



BIBLIOTECA NAZIONALE
VITTORIO EMANUELE
6
34 D
16

PAPIRII MASSONI LIBRI SEX,

DE EPISCOPIS VRBIS, QVI ROMANAM ECCLESIAM REXERUNT, rebúsque gestis eorum.

AD

HENRICVM III. OPTIMVM MAXIMVMQVE FRANCORVM REGEM.





PARISIIS,
Apud SEBASTIANVM NIVELLIVM, sub Ciconiis via Iacobæa.
M. D. LXXXVI.


Cum priuilegio Regis.

Emptus sum xl6 solid



HENRICO TERTIO
OPTIMO, MAXIMOQVE
REGI FRANCORVVM,
Papirius Massonus S.





EX gemmas, Henrice Regum Christianissime, multo auro alieno inclusas, maiestati tuæ supplex offero, petóque vt eas per Legatum qui negotia tua Romæ procurat, Sixto Episcopo vrbis tradi iubeas: etenim vir sanctissimus, cui & decessori eius Gregorio, magna pietatis clementiǽque tuæ pignora sæpe dedisti, plurimum gaudij & lætitiæ hauriet ex hoc opere, quod extra Italiam seruata historiæ lege, id est, narrationis rerúmque fide, obsequentissimus Maiestati tuæ seruus scripsi, si mo-

do hosce libros de vita Pontificum Romanorum ad sanctitatem suam missos viderit à te maximo piissimóque Francorum Rege: neque enim quemquam magis decet Pontificiam historiam scire, quàm Episcopum Romanum, qui nouit pręclaros Pontifices viuere etiam post obitum, relicta post se immortali virtute, rerúmque à se gestarum memoria. Talis est Sixtus experientissimus ac religiosissimus Pontifex, qui omnium in se oculos coniectos arbitratur, Pontificatúmque suum quasi in aliquo orbis terræ theatro versari existimat, atque intelligit quid habeat vtilitatis præteritarum rerum vera narratio. Ac si fortè mirabitur, cur post tam multos ego quoque de Episcopis Romanæ ecclesiæ scribere aggressus sum, is denuo lectis omnibus, postquam hæc mea cum alienis contulerit, nullam sibi admirationis causam fuisse sentiet. Et quia epistola non erubescit, audebo equidem laborum & vigiliarum mearum præmium aliquod, iustámque mercedem petere ab vtroque vestrum: à tua Maiestate, quia subditus illi sum, naturalísque debitor obsequij, & præcipuæ dotes in Principe sunt, liberalitas & clementia, vt Romæ in Quirinali marmoreus lapis adhuc loquitur: clementia autem vti decet erga omnes, liberalitate erga eos qui non sibi, sed nobis, &

patriæ reíque publ. nati ſunt : ab Apoſtolico viro, quia æquiſſimum eſt honorarium dare peritis hiſtoriæ vel Annalium ſcriptoribus, etſi non petunt, præſertim ijs qui ſyncerè, veréque ſcribendo, prodeſſe conantur religioni & pietati Chriſtianæ.

SVMMA PRIVILEGII.

HENRICI III. Galliarum & Poloniæ Regis priuilegio sancitum est, ne quis Typographus imprimere, neu quis Bibliopola diuendere audeat ante quinquennium, *Papirij Massoni libros sex, de Episcopis vrbis, qui* Romanam *ecclesiam rexerunt, rebúsque gestis eorum*: Præter Sebastianum Niuellium, cuius impensis & diligentia impressi sunt. Qui secus fecerit, libris & pœna in sanctione æstimata mulctabitur, vt fusius Regio diplomate continetur. Dato Parisiis III. nonas Iul. anno M. D. LXXXVI.

Subsignato, DE NEVFVILLE.

Absolutum autem est hoc opus XII. *Kal. August. eodem anno.*

NOMINA PONTIFICVM QVORVM VITA EXPONITVR

LIBRO I.

D. Petrus.
Linus.
Cletus.
Clemens I.
Anacletus.
Euariſtus.
Alexander I.
Sixtus I.
Teleſphorus.
Hyginius.
Pius I.
Anicetus.
Sother.
Eleutherius.
Victor I.
Zepherinus.
Calixtus I.
Vrbanus I.
Pontianus.
Antherus.
Fabianus.
Cornelius.
Lucius I.
Stephanus I.
Sixtus II.
Dionyſius.
Fœlix I.
Eutychianus.
Caius.
Marcellinus.
Marcellus I.
Euſebius.
Miltiades.
Silueſter I.
Marcus.
Iulius I.
Liberius.
Fœlix II.
Damaſus I.
Siricius.






PRAEFATIO
OPERIS.




CHRISTIANÆ Religionis auctor CHRISTVS, qui Tiberio Cæſare, per Procuratorem eius Pontiũ Pilatum, ſupplicio affectus eſt: id vetus ſcriptor tradit Cornelius Tacitus, annalium libro decimo quinto. Chriſtianos autem à Nerone primùm exquiſitiſſimis pœnis affectos, atque ea pereuntibus addita ludibria, vt ferarum tergis contecti, laniatu canum interirent, aut crucibus affixi, aut flammandi, atque vbi defeciſſet dies, in vſum nocturni luminis vrerentur, ab eodem quoque Tacito memoriæ proditum eſt. Cæterùm quia Tertullianus in Apologetico, eum loquaciſſimum mendaciorum appellat, adiiciamus Suetonij Tranquilli teſtimonium. Is Domitiano Cæſare adoleſcentulus erat, vti ingenuè fatetur, & in vita Neronis referens
" quæ de Chriſtianis ſupplicia ſumebantur, Afflicti ſunt,
" inquit, ſuppliciis Chriſtiani, genus hominum ſuperſti-
" tionis nouæ, & maleficæ. quod ab ethnico, & ignaro Chriſtianæ pietatis ſcriptum eſſe illis temporibus minimè miror, quibus nondum ſatis cognito CHRI-

sti euangelio, ciues Romani defixa in marmoribus & statuis corda habebant, obrutáque omni humano vitio, vt nondum lucem, quæ se tamen protulerat, splendentem intueri possent. Idque Suetonio acciderit, acciderit & Tacito, errore potius quàm dolo malo, vt Iudæis. Nam hi cùm lucem, qui Christus est, pro salute hominum cruci suffixã viderent, nõn crediderũnt, vt omnes crederent, natione illa addicta perpetuæ seruituti, nihil futurum miserius. Tametsi quid necesse est Suetonij, vel Cornelij testimoniis vti, cùm tacere eos oporteat, vbi quatuor euangelij Præcones loquuntur? Nolo autem Tertulliani ex Apologetico aduersus gentes locum insignem præterire. » Tiberius, inquit, cuius tempo- » re nomen Christianum in seculum introiuit, annuncia- » tum sibi ex Syria Palæstina, quæ illic veritatem ipsius di- » uinitatis reuelauerat, detulit ad Senatum cum prærroga- » tiua suffragij sui. Senatus, quia non ipse probauerat, res- » puit. Cæsar in sententia mansit, comminatus pericu- » lum accusatoribus Christianorum. Consulite commenta- » rios vestros, illic reperietis primùm Neronem in hanc se- » ctam tum maximè Romæ orientem Cæsariano gladio » ferocisse. Sed tali dedicatore damnationis nostræ etiam » gloriamur. qui enim scit illum, intelligere potest non » nisi aliquod bonum grande à Nerone damnatum. Ad hunc modum se habebant res Christianæ sub illa immani bellua, progressúque temporis modò quietem aliquã habuerant, modò bellum atrox passæ sunt, sub prauis bonísque Principibus vsque ad Constantinum Cæsarem, qui primus Christum adorare cœpit. Quamobrem erunt principia Episcoporum vrbis explicatu admodum

difficilia,quia de iis ſcriptores pauci loquuti ſunt, cæteri omnes ſiluere.



PETRVS.




X illo numero cruci affixorum fuit Petrus, quem Romæ interemptum à Nerone Lactantius tradit,charus acceptúſque Conſtantino Imperatori maximo,ac refert libro quarto de vera ſapientia, quæ Petrus & Paulus Romæ
» prædicauerunt,in qua prædicatione
» quæ in memoriam ſcripta permanſit, cùm multa alia mi-
» ra, tum etiam hoc futurum eſſe dixerunt, vt poſt breue
» tempus immitteret Deus Regem, qui expugnaret Iu-
» dæos, & ciuitates eorum ſolo adæquaret: ipſos autem fa-
» me, ſitíque cōfectos obſideret. Tum fore, vt corporibus
» ſuorum veſcerentur, & conſumerent ſe inuicem. Poſtre-
» mò vt capti venirent in manus hoſtium, & in conſpectu
» ſuo vexari acerbiſſimè coniuges ſuas cernerent, violari ac
» proſtitui virgines, diripi pueros, allidi paruulos,omnia
» denique igni,ferróque vaſtari,captiuos in perpetuū terris
» ſuis exterminari, eo quòd exultauerint ſuper amantiſſi-
» mum, & probatiſſimum Dei filium. Itaque poſt illorum
» obitum, cùm eos Nero interemiſſet, Iudæorum nomen,
» & gentem Veſpaſianus extinxit, fecítque omnia, quæ il-
» li futura prædixerant. Idem ſupplicium Petro illatum
Prudentius vir illuſtris in martyrio eius à ſe conſcripto

ſub Theodoſio principe narrat, paſſumque Romæ refert. Quorum virorum ſincera teſtimonia probabunt ij, qui ſcient Lactantium Africanum, Prudentium Hiſpanici generis militarem fuiſſe virum. Quos corrũpere Pontifices illius ætatis, valde ab iis remoti minimè potuere. Sed exemplo Petri innumerabiles alij poſtea paſſi ſunt, vt meritò locum hunc Lactantij eiuſdem, ex libro
" quinto de iuſtitia hic adiiciam. Quinetiam ſceleratiſſimi
" homicidæ contra pios iura impia condiderunt. Nam &
" conſtitutiones ſacrilegæ, & diſputationes iuriſperitorum
" leguntur iniuſtæ. Domitius de officio Proconſulis, libro
" ſeptimo reſcripta Principum nefaria collegit, vt doceret,
" quibus pœnis affici oporteret eos, qui ſe cultores Dei cõ-
" fiterentur. Hũc Domitium Alexander Cæſar Domitium Vlpianum Præfectum annonæ, Iuriſconſultum, & amicum ſuum eſſe dicit apud Iuſtinianum C. de contrahenda & cõmittẽda ſtipulatione. Quòd ſi Romanam Eccleſiam à Petro & Paulo ſacer Irenęus fundatam prædicat libro tertio aduerſus hæreſes, non video cur inter Romanos martyres Petrum abigei non numerent, id eſt ij qui ſe ſe atque oues mitiſſimas abigũt à Chriſto, nec cur Tertulliano nolint credere: cuius hæc ſunt verba libro quar-
" to contra Marcionem: Romanis euangelium & Petrus
" & Paulus ſanguine quoque ſuo ſignatum reliquerunt. quem ſequutus Hieronymus epiſtola ad Caſtrucium:
" Quid Petro, inquit, quid Paulo ſublimius? & tamen
" Neronianum gladium cruentauerunt. Petrus Alexandrinus Epiſcopus, & martyr Petrum quoque Romæ crucifixum fuiſſe fatetur. Sed Gratianus, Valentinianus, & Theodoſius Cæſares, Petrum Romæ fuiſſe publica lege

teſtantur ad populum Conſtantinopolitanum miſſa, ſic
„ enim aiunt: Cunctos populos quos clementiæ noſtræ
„ regit Imperium, ſub tali volumus religione verſari, quam
„ diuum Petrum Apoſtolum tradidiſſe Romanis religio
„ vſque adhuc inſinuata declarat, quámque Pontificem
„ Damaſum ſequi claret, & Petrum Alexandrinum Epiſ-
copum virum Apoſtolicæ ſanctitatis. & in eandem ſen-
tentiam Hieronymus in fidei ſuæ expoſitione ad Dama-
„ ſum, Petri, inquit, & fidem, & ſedem tenes. Et ſi adhuc
duos auctores à me laudari ſegreges volunt, ſciant à Do-
rotheo Epiſcopo Tyri hoc ſincerum teſtimonium de Pe-
tri ſupplicio & crucifixione tradi, qui Epiſcopos vrbis
ne noſſe quidem potuit, & à Diocletiano, & Licinio in
„ exilium religionis cauſa actus eſt: Apoſtolorum, inquit,
„ primus eſt Simon Petrus, hic vt epiſtolis ſuis innuere vi-
„ detur, Euangelium domini Ieſu Chriſti in Ponto, Gala-
„ tia, Capadocia, Bithynia, & tandem Romæ prædicauit,
„ vbi poſtea ſub Nerone Rege capite ad terram verſo (nam
„ ad hunc modum ipſe pati volebat) tertio Kal. Iul. crucifi-
„ xus, ibíque ſepultus eſt. Alter auctor eſt Maximus Epiſ-
copus Taurinenſis, qui Honorio & Theodoſio Iuniore
imperantibus vixit, ſcribítque in homelijs de Apoſtolis
„ Petro & Paulo in hunc modum: Non ſine cauſa factum
„ putemus, quòd vna die, vno in loco, vnius tyranni tolera-
„ uere ſententiam. Vna die paſſi ſunt, vt ad Chriſtum pari-
„ ter peruenirent: vno in loco, ne alteri Roma deeſſet: ſub
„ vno perſecutore, vt æqualis crudelitas vtrumque con-
„ ſtringeret. dies ergo pro merito, locus pro gloria, perſe-
„ cutor decretus eſt pro virtute. & in quo tandem loco
„ martyrium pertulerunt? in vrbe Roma, quæ principatum,

» & caput obtinet nationum, ſcilicet vt vbi caput ſuper-
» ſtitionis erat, illic caput quieſceret ſanctitatis: & vbi gen-
» tilium principes habitabant, illic Eccleſiarum principes
» morerētur. Ac ſanè poſſem innumera eiuſmodi teſtimo-
nia proferre, vti Simeonis Metaphraſtæ, vt Gaudentij
Brixienſis, vt Iſidori viri doctiſſimi, & aliorum, qui ni-
hil in gratiam ſcripſerunt Epiſcoporum vrbis. Sed Auidij
Caſſij illud ſcio, aut hoc teſtium ſatis eſt, aut neſcio quid
ſit ſatis, præſertim mihi, cui non eſt propoſitum de con-
trouerſijs Theologicis diſſerere, ſed nudam atque aper-
tam rerum veritatem ſequi, quam expreſſit Tertullianus
» in libro contra Gnoſticos: Vitas, Cæſarum, inquit, legi-
» mus, orientem fidem Nero primus cruentauit. Tunc Pe-
» trus cruci aſtringitur. Tunc Paulus ciuitatis Romanæ
» conſequitur natiuitatem, cum illic martyrij renaſcitur
» generoſitate. Denique ne quam dubitationem lectores
Chriſtiani relictam querantur, addemus Conſulum no-
mina. Siluano & Othone Conſ. Romæ Sanctos Apo-
ſtolos Petrum & Paulum, trucidatos eſſe à Nerone ma-
gnus Aurelius Caſſiodorus vir doctiſſimus tradit in
Chronico ad Theodoricum Gothorum Regem.





LINVS.



ETRI obitum duodecimo Neronis anno cōtigiſſe docet Epiphanius Valentiniano & Valente vndecimum, & Gratiano ſeptimū imperantibus, ſcribens. At Hieronymus decimo quarto affixum cruci narrat in Libello de viris illuſtribus. Et Rufinus Aquileienſis Romanæ Eccleſiæ per viginti & quatuor annos præfuiſſe dicit, ídque ſoli cōtigiſſe Petro certū eſt: nam ſucceſſorum nemini tot annos in Pōtificatu cōceſſit Deus. Fœlices autē Volaterræ, id eſt oppidū in Hetruria. Illę enim Petri ſucceſſorem, vrbíque Epiſcopum primæ ex Italia dedere, huic Lino nomen fuit: cuius meminit Paulus Apoſtolus epiſtola ad Timotheum, eúmque ſecundum Romæ Epiſcopum fuiſſe Hieronymus ſcribit ad Dextrum Præfectum prætorio. quod munus cùm ſanctiſſimè obiret, & religio Chriſtiana atque integritas ipſum magnopere commendarent, tamen impetus Ethnicorum, furórque innocentem ad ſupplicium traxere; non tracturi profectò, ſi re vt nomine Lino illi antiquiſſimo poëtarum ſimillimus fuiſſet, qui multitudinem Deorum primus aſſeruit. Poſt Neronem imperarunt Sergius Galba, Otho Siluius, Aulus Vitellius, Veſpaſianus: illi breuiſſimi temporis Imperatores fuere. Ab hoc nondū Cæſare victi Iudæi natio nata ſeruituti, & vnus ex nobilibus captiuis Ioſephus, cùm coniiceretur in vincula, aſſeuerauit fore, vt ab eodem breui ſolue-

retur, verùm iam Imperatore. De Christo autem nõ inepte quidem est loquutus, asserens eum sapientem virũ fuisse, si tamen virum eum oporteret dicere, & ipse de se déque beneuolentia Domitiani erga res suas in vita sua eleganter narrat. Visitur autẽ Romæ arcus Vespasiani, ac Titi, & in eo apparatus templi Iudaici sculptus cernitur: euersi autem sunt ita vt in reliquum tempus erigere se se nunquam potuerint. At derisos eos à Romanis sanè constat. Martialis qui Domitiano Cæsare vixit recutitos appellat, quòd circũsecti essent, & eo antiquior Horatius curtos Iudæos propter circumcisionẽ vocat: Aulusque Persius recutita sabbata irridet satyra quinta; solitos diligẽter ieiunare sabbatis, Augustus quoque Epistola ad Tiberium testis est, cuius verba citantur à Suetonio. Tiberio successit Caius, is quanto odio, cõtemptúque Iudæos sit persecutus, exponit Philo Iudæus in legatione ad Caium: ille inquam Philo, quem Hieronymus doctissimum Iudæorũ, & prudentissimum philosophorum appellat. De Mose verò & cæremoniis illius gentis Iuuenalis, & Petronius poëtæ, Cornelius Tacitus, Iustinus historicus, Trebelliúsque Pollio & alij seu odio, seu ignorãtia ineptè plurima scripsere. Verùm Sextus Empiricus, qui Tiberij meminit, Pyrrhoniarum hypotiposeôn libro tertio illud verissimè
" de Iudæis affirmat: Iudæus, aut sacerdos Aegyptius, mo-
" riatur potius, quàm carnem suillam edat. Sed extant passiones Petri & Pauli, quæ à Lino scriptæ dicuntur, & in Græcum sermonem postea cõuersæ, quarum excutiẽda fides est propter circumstãtiarum nomina, ficta enim sunt, & videntur eruditis.

CLETVS.




DE proximis Petri ſucceſſoribus difficile eſt dicere, magnis viris & antiquiſſimis ſcriptoribus neque multa & variè referentibus. Quid enim? ſanctiſſimus Irenæus, Euſebius grauis ſcriptor, & Nicephorus Conſtantinopolitanus poſt Linum numerant Anacletum: Optatus tamen, & Auguſtinus eundem poſt Clementem in apoſtolica ſede collocant. At Hieronymus hiſtoriæ ſcientiſſimus tertium Romæ Epiſcopũ Cletum facit, & Epiphanius lib. I. ipſáque Roma Petrum, deinde Linum, mox Cletum ponũt, hócque ordine res ab iis geſtas narrant. Tantis viris diuerſa ſentientibus quid fieri oporteat non eſt meum iudicare, conſenſũ tamẽ eccleſiæ pluris fieri debere ſentio, &, ſi quid Damaſus, non ille Epiſcopus Romæ, ſed vetus quidam hiſtoricus, auctoritatis habere poteſt, Cletus non ſolùm Epiſcopus vrbis, ſed Romanus quoque patria fuit, eúmque ſediſſe ſub Veſpaſiano & Tito narrat. Titus enim cognomine paterno amor ac delitiæ generis humani (vt Tranquilli verbis vtar) Veſpaſiano ſucceſſit, eius memorabilem illam meritóque laudatam vocem cur prætercam? cùm recordatus ſuper cœnam quod nihil cuiquam toto die præſtitiſſet, dixit, Amici diẽ perdidi. Viſitur Romæ iuxta Capitolium arcus elegantiſſimi operis ſic inſcriptus, SENATVS POPVLVSQVE ROMANVS DIVO TITO DIVI VESPASIA-

ni f. Vespasiano Avgvsto. & in marmore patrum memoria reperto ad illum arcum hæc prӕterea habentur.

S. P. Q. R.

Imperatori Tito. Cæs. Divi Vespasiani filio Avgvs. Pont. Max. Tr. Pot. x. Imp. xvii. xiiii. p. p. Principi Svo. Qvi Præceptis Patriæ Consiliisqve Et Avspiciis Gentem Ivdæorvm Domvit, Et Vrbem Hierosolymam Omnibvs Ante Se Dvcibvs, Regibvs, Gentibvs, Avt Frvstra Petitam Avt Omnino Intentatam Delevit.



CLEMENS.



Larissimi viri Optatus Mileuitanus, & Auguſtinus Hipponenſis Africani Epiſcopi, ſediſſe priorem Petrum, cui ſucceſſerit Linus, Lino ſucceſſiſſe Clementem aiunt, ſed vtroque antiquior Florẽs Tertullianus de præſcriptione aduerſus hæreſes, Epiſcopũ Romanum Clementem à Petro ordinatũ ait, quod Eucherius Lugdunẽſis Epiſcopus cõfirmare videtur, & Rufini apud Hieronymum locus, quo Clementem Apoſtolorum diſcipulum Romanæ Eccleſiæ poſt Apoſtolos Epiſcopum & martyrem ſcribit fuiſſe. Ipſe verò Hieronymus in libello ad Dextrum Præfectum prætorio Clementem, quartum poſt Petrvm Romæ Epiſcopum facit, etſi plurimi Latinorum ſecundum poſt Petrum apo-

ſtolum putabant fuiſſe Clementem. Certè Paulus apoſtolus ad Philippenſes Clementis huius nomen attigit vel
» Hieronymo teſte. Aduerſus Iouinianum enim, Clemens,
» inquit, ſucceſſor apoſtoli Petri, cuius Paulus apoſtolus
» meminit. Hunc Clementem Epiſcopum Romanum iure appelles, quia Romanus patria fuit. Quis autem eum
» deſcribere melius poſſit quàm Eucherius? Clemẽs, inquit,
» vetuſta proſapia Senatorum atque etiam ſtirpe Cæſarum
» omni ſcientia refertus, omniúmque liberalium artium pe-
» ritiſſimus, ad hanc iuſtorum viam tranſiit. Itáque in ea
» excellenter floruit, vt principi quoque Apoſtolorum ſuc-
» ceſſor extiterit. Hieronymus ſcribit eum obiiſſe tertio Traiani anno, at non laudat auctorem, quem laudatum tamen oportuit. Eo quidem imperante res Chriſtianorũ in meliori quàm anteà ſtatu fuiſſe perſpicuũ eſt ex Plinij Secundi epiſtola de moribus & doctrina Chriſtianorum, quam Græci ſcriptores è Romano ſermone in Græcum conuertere; & ex reſcripto Traiani, de quo idem Tertul-
» lianus in Apologetico aduerſus gẽtes, Plinius, inquit, Se-
» cundus cùm prouinciam regeret damnatis quibuſdam
» Chriſtianis, quibuſdam gradu pulſis, ipſa tamen multitu-
» dine perturbatus, quid de cætero ageret conſuluit tunc
» Traianum Imperatorem, allegãs propter obſtinationem
» non ſacrificandi, nihil aliud ſe de ſacris eorum compe-
» riſſe, quàm cœtus antelucanos ad cantandum Chriſto
» deo, & ad confœderandam diſciplinam, homicidium, a-
» dulterium, fraudem, perfidiam, & cætera ſcelera prohi-
» bentes. Tunc Traianus reſcripſit, hoc genus inquiren-
» dos quidem non eſſe, oblatos verò puniri oportere. nec
» huiuſmodi reſcriptum probans, O ſententiam, inquit,

„ necessitate cõfusam, negat inquirendos vt innocentes, &
„ mandat puniendos vt nocentes: parcit & sæuit, dissimulat
„ & animaduertit. Et eodem libro, quales ergo truces leges „
„ istæ quas aduersus nos soli exercent impij, iniusti, turpes, „
„ dementes, vani, quas Traianus ex parte frustratus est ve-
„ tando inquiri Christianos, quas nullus Hadrianus quan-
„ quam curiositatum omnium explorator, nullus Vespasia-
„ nus quanquam Iudæorum debellator, nullus Pius, nullus
„ Verus impressit?




ANACLETVS.



VT suprà demonstrauimus, Anacletum Irenæus post Linum numerat inter Episcopos vrbis, hominem vitæ integrum excellentíque præditum ingenio, & ad hoc munus à Deo vocatum, id enim Anacleti voce continetur. numerat & Eusebius Cæsariensis, qui Constantini Cæsaris temporibus vixit. Quid alij senserint de Cleto, & Anacleto iam attigimus, quæ etsi planè diuersa sunt, penéque contraria, nostri tamen instituti non est inter tantos viros inter se dissentientes pacem componere: quod ne fieri quidem potest, vt opinor. Sed hoc affirmare Linum, Cletum, Clementem & Anacletum Episcopos vrbis fuisse: at quo ordine sederint, nondum mihi ne veteribus quidem satis constare. Hic Anacletus Græcus genere, vt Damasus ait, iussu

Domitiani occiditur. erat enim Domitianus non solùm magnæ, sed callidæ inopinatæque sæuitiæ, præsertim erga Iudæos, quorum regiam gentem oderat. Nam sub illo Suetonius refert fiscum acerbissimum actum esse, ad quem deferebantur qui velut professi Iudaicam intra vrbem viuerent vitam, vel dissimulata origine imposita genti tributa non pependissent: ac se interfuisse adolescentulum meminit, cùm à Procuratore frequentissimóque concilio inspiceretur nonagenarius senex an circumsectus esset. Martialem miror, qui cùm ad Domitianum vltimum Flauiæ gentis epigrammata scribat, & gentem Iudæorum recutitam appellet, & Sabbatariorum ieiunia rideat, ortos ex eis Christianos omittit, nisi si Christiani quoque nomine Iudaico appellabantur. Nec prætereatur, Apollonius Tyanæus celebris famæ auctoritatísque philosophus, qui Cocceio Nerua Cæsare decessit, cùm sub Domitiano floruisset: cuius vitam Philostratus græcè scripsit, Domitianíque & Neruæ meminit. Sed miranda quædam vir ille fecisse dicitur, Lactantij & Hieronymi libris improbata, apud quem hæc verba reperio aduersus
„ Ioannem & Rufinum: Apollonius Tyanæus scribit, quòd
„ cùm ante Domitianum steterit in consistorio, repentè
„ non comparuit. Flauius Vopiscus in Aureliano: quid illo
„ viro sanctius? venerabilius? antiquius? diuiniúsque inter
„ homines fuit? ille mortuis reddidit vitam: ille multa vltra
„ homines & fecit & dixit, quæ qui velit nosse, Græcos le-
„ gat libros qui de eius vita conscripti sunt. Loquitur autem
„ hic auctor de Philostrato Apollonij præcone, de quo &
„ Eunapius sub Iuliano Cæsare scribit in hunc modum:
„ Apollonius Tyanæus non iam Philosophus, sed meritò

" inter deos ac mortales naturæ particeps. quippe qui Pythagoricæ disciplinæ sectator, illius diuinitatis famam adauxit, de quo exactè scripsit Philostratus Lemnius editis libris, quibus titulum fecit vitam Apollonij, cùm debuerit inscripsisse verius, accessum Dei ad homines. Visi autem sunt Ethnici delectari commemoratione rerum à Tyaneo gestarum, quòd is deorum multitudinem coluisset, vt haberent quem opponerent Christo Iesu. sed quid sui cum fidibus? quid tenebris cum radianti luce? Extat Eusebij labor Hieroclem Philosophum egregiè confutantis, quòd Tyaneum Christo Iesu conferre ausus esset.




EVARISTVS.



GRÆCIA omnium ingenuarum artium parens, eiusdem Traiani temporibus dedit Episcopum vrbi studiosissimum pietatis Christianę, cui Euaristo nomen. Illum Eusebius affirmat in Romanæ Ecclesię procuratione annos octo consumpsisse, Christo semper efferendo, & cultores numinum velut impiè errantes fortissimè redarguendo: vt eos ad cognitionem vnius Dei posset adducere. Ne hunc quidem omisit Irenæus, Euaristum Clementi successisse asserens. Nec Eusebius, qui locum Irenæi illum legerat. Traiano imperante Euaristum in pontificatu fuisse diximus, id

est pium Pontificem sub leni & iusto Cæsare. cùm enim tria sint, quę ab egregijs Principibus expectentur, sanctitas domi, in armis fortitudo, vtrobique prudentia: tantus erat in eo maximarum rerum modus, vt quasi temperamentum quoddam virtuti miscuisse videretur. vti enim liceat Aurelij antiqui scriptoris in hac re testimonio. cúmque imperium assumpsisset, edicta quædam ad Senatum misit, atque illud imprimis, nunquam suo iussu bonum virum occisum iri, aut ignominia notari. Id quod non solùm in præsens sacramento confirmauit, sed per totum imperij tempus inuiolatum seruauit. Quo hæc teste narrauimus? Dione Nicæo, qui huius Cæsaris vitam scripsit.



ALEXANDER.



EX in duos sedi suæ Roma præbuit Episcopos, Alexandrum, & Sixtum, viros immortali gloria dignissimos. ille enim cùm ciuibus suis multitudinem deorum deserendam suasisset, cultúmque veri Dei & præferendum & amplexandum esse; cúmque decennium in munere suo transegisset, excessit è vita anno Ælij Hadriani tertio. Dion Cassius refert Hadrianum sæpius frustrà inuocata morte, sæpe etiam seipsum occidere voluisse, extaréque epistolam eius quæ hoc ipsum significat. scribere e-
" nim, Quàm miserum est mortem optare, & mori non
" posse! Imò Hadriane, quàm miserum est Christianos vi-

dere,& nolle Christianum fieri. Hoc Cæsare vixit Epictetus philosophus, cuius auditor Arrianus Nicomediensis in suis ad Lucium Gellium libris ait, Galilæos per insaniam quandam, & propter consuetudinem sic animo affectos, vt nulli eos satellites, nulli enses terreant. Christianos eodem nomine appellans, quo Iulianus Cæsar postea vsus est epistola ad Ecdicium Præfectum Ægypti: sed vir ille alioquin doctissimus Christianorum constantem & inuictum animum in asserenda religione sua non probat. Lucianus quoque maledicentissimus hominum in dialogo Pseudomante cùm Arriani & Epicteti meminisset, ab Alexandro quodam Tyanæo dictum refert: Si quis impius,
„ aut Epicureus mysteriorum explorator accessit, discedat.
„ Item illud, Foras pellantur Christiani. Sed quàm fœdum vitæ exitū habuerit is Alexander, postea narrat, ipséque Lucianus à canibus tandem dilaniatus distractúsque est, vt apud Suidam reperio. Verùm hic noster cum pontificatu martyrij quoque coronam meruit, corpúsque eius Romæ sepultum, postea Lucam Hetruriæ vrbem delatum, in ea honoratur & ferè colitur, singulísque annis V. Non. Maias maximo populorum concursu martyrium eius, quod cum Euentio & Theodoro sub Hadriano passus est, religiosè piéque celebratur, eíque augustissimū tēplum è marmore Alexandri nomen ferens publicè Lucensium maiores fieri iusserunt.

SIXTVS

SIXTVS.



VNC verò ALEXANDRI successorem fuisse Irenæus docet, & Eusebius Cæsariensis, Hadriano adhuc Cęsare cùm decē annos in gerēda Pōtificatus cura transegisset, Thelesphoro locum fecisse. Cæterùm Hadrianus mitis in Christianos, vt ex Tertulliani Apologetico diximus, in Iudæos seuerus fuit. nam illos indicta causa occidi vetuit, hos propter rebellionis studium & frequentes motus fortissimè domuit, graui & periculoso inter eos exorto bello, in quo arces eorum quinquaginta celeberrimæ dirutæ sunt, vici ad nongentos & octoginta quinque direpti, & mox igni consumpti, viri in excursionibus & prælijs ad quinquaginta millia cæsi fuere, famēque, morbis, ac igni ingens multitudo absumpta, sic ferè omnis Iudæa vastata est. Quam cladem etiam ante bellum præsentire debuerunt. Nam Salomonis sepulchrum, quod illi in supremo cultu & reuerentia habent, sponte discussum corruit. Idque bellum ex eo natum est, quòd cùm Hadrianus Hierosolyma pridem euersā rursus habituri iussisset, atque vrbem Æliam Capitolinā appellasset, Iouíque ex aduerso templi Iudaici ædem excitasset, magno dolore afficiebantur Iudæi, atque succensebant peregrinos secum in ciuitate habitaturos: & illud grauius ferebant externa sacra fieri, & deorum imagines in ipsa constitui. Hæc Dion Græcus scriptor tradit. Et Hieronymus

» ad Dardanum ſub Veſpaſiano & Tito vrbs capta templúmque ſubuerſum eſt, deinde ciuitatis vſque ad Hadrianum principẽ per quinquaginta annos manſere reliquiæ, poſt euerſionem templi paulominus per quadringentos annos & vrbis & templi ruinæ permanent. Sixtus igitur ſub Hadriano vixit, niſi fortè mauis Sextum dicere, id enim nomen iam in vſu erat, vt Martialis verſus oſtẽdit:

Sexte nihil debes, nil debes Sexte, fatemur.

Et ante Martialem Sextus Pompeius, Quintus Ciceronis frater, Quintus Hortenſius, atque alij appellabantur à numero.



THELESPHORVS.



DVos iterum ordine Epiſcopos Græcia Romæ dedit, Theleſphorum, & Hyginum, viros omni virtutis genere ornatos, quorum Theleſphorus noua myſteria afferens idolorum cultum (cui populus Romanus deditiſſimus erat) omnino ferre non poterat. ob ídque plebi inuiſus, non ob nomen, quod ex Martiale Domitiani temporibus iam fuiſſe vſitatum Romæ conſtat, ſed ob ſacram dignitatem populo illi odioſam inſons damnatus eſt, affectúſque ſupremo ſupplicio anno primo Antonini Pij Cæſaris, cùm annis vndecim Epiſcopum egiſſet. Quem verò præconem ſuæ virtutis habere meliorem poſſit, quàm ſanctiſſimum Irenæum, à quo

& martyr & summa cum gloria dicitur fuisse? Euersum ab Hadriano Iudæorum templum diximus, non multo pòst Antonino Cæsare à Rabino quodam, quem Magistrum sanctum Iudæi vocant, & præ cæteris admirari solent, Misna scripta est, doctrinam Iudaicæ sectæ continens, ídque ab eo factum Rabi Moyses ait, quando Iudæi diffundi per orbem vniuersum Christianam religionem videre. Sed Iudæorum historias summa breuitate cõplexus est auctor Seda Olam Zuta, id est chronici Hebræorum; atque Rabbi Abraham leuita Dauidis filius in Cabbala historica. Quorum omnis doctrina pertinaciæ plena est, nisi insaniam mauis dicere. Cuius argumenti etiam est Iosephus Albo inter Hebræos maximè infestus pietati ac religioni Christianæ.




HYGINVS.



IVLIVM Hyginum iuris pontificij non ignarum fuisse libro decimo sexto tradit Agellius. At Hyginus sanctissimus vrbis Episcopus longè præstãtior fuit. Quid enim Romanis proposuit præter Iesum Christum? aut quid aliud optauit, quàm vt illi à simulacris deorum spontè auerterentur? vtque diuini iuris scientiam planè vtilem & necessariam se docente addiscerent? Fuit hic decimus Romanæ Ecclesiæ Pontifex, aut nonus, si Irenæum sequi pręstat. Quis enim huius rei testis

magis idoneus esse potest, quàm vir ille diuinus Lugdunensis in Gallia ad Rhodanum Episcopus? Nam quot annis Hyginus Ecclesiæ Dei præfuit religiosissimus, Eusebius indicat, quatuor in pontificatu scribens fuisse. sed præstat indicare ipsum Irenæi locum, quo Hyginum inter Romanos Pontifices numerat libro tertio aduersus hęreses: Fundantes, inquit, & instruentes beati Apostoli Ecclesiam, Lino Episcopatum administrandæ Ecclesiæ tradiderunt. Huius Lini Paulus in his quæ sunt ad Timotheum epistolis meminit. Succedit autem ei Anacletus, post eum tertio loco ab Apostolis Episcopatum sortitur Clemens, qui & vidit ipsos Apostolos, & contulit cum eis, cùm adhuc insonantem prædicationem Apostolorum & traditionē ante oculos haberet, non solus enim, adhuc multi supererāt tūc ab Apostolis docti. Sub hoc igitur Clemēte dissensione non modica inter eos qui Corinthi essent fratres facta, scripsit quæ est Romæ ecclesia potentissimas literas Corinthiis, ad pacem eos congregans, & reparans fidem eorum, & annuntians quam in recenti ab Apostolis receperant traditionē, annuntiantem vnum Deum omnipotētem, factorem cæli & terrę, plasmatorē hominis, qui induxerit cataclysmum, & aduocauerit Abraham, qui eduxerit populum de terra Ægypti, qui colloquutus sit Moysi, qui legem disposuerit, & prophetas miserit, qui ignem præparauerit diabolo & angelis eius. Hunc patrem domini nostri Iesu Christi ab ecclesiis annunciari, ex ipsa scriptura qui velint, discere possunt, & apostolicam Ecclesiæ traditionem intelligere, cùm sit vetustior epistola his qui nunc falsò docēt, & alterum Deum super demiurgum, & factorem horum omnium quæ sunt

» commentiuntur. Huic autem Clementi ſucceſſit Euari-
» ſtus,& Euariſto Alexander, ac deinceps ſextus ab Apoſto-
» lis cōſtitutus eſt Sixtus,& ab hoc Teleſphorus, qui etiam
» glorioſiſſimè martyrium fecit,ac deinceps Hyginus, pòſt
» Pius, poſt quem Anicetus. Cùm autem ſucceſſiſſet Ani-
» ceto Soter, nunc duodecimo loco Epiſcopatum ab apo-
» ſtolis habet Elutherius. Quæ Irenæi verba ab Euſebio
» quoque græcè citantur.




PIVS.



PIVM Aquileia protulit, nunc quoque Venetiæ oppidum.Sub quo Epiſcopo pietas floruit. nam vt omnes pij eſſent in verum & æternum Deum ſemper optauit, vtquè prophanæ religiones & cęremoniæ deorum oboleſcerēt, & floreret in pectoribus humanis Chriſti recordatio.Ac ſanè Pio Antonino Cæſari,quem Lactātius Maiorem, Diocletianus Magnum ſolēt appellare,fœliciter euenit,vt princeps eccleſię Romanę& re & nomine Pius eſſet. Decimoquinto Pontificatus ſui anno exceſſit è vita.Extant verò ad Iuſtum Viennæ Prætoriæ ad Rho-
» danum flumen tunc Epiſcopū epiſtolæ duæ, quæ ſincerā
» pietatē refulſiſſe in Pio teſtātur,prima ſic inſcripta eſt:Pius
» Epiſcopus Romanus fratri Iuſto Epiſcopo Salutē.Antequā
» Roma exiiſſet ſoror noſtra Euprepia,ſicut benè recordaris,

„ titulum domus ſuæ pauperibus aſſignauit, vbi nunc cum
„ pauperibus noſtris commorátes, miſſas agimus. De te au-
„ tem ſuperbeate poſtquã ad Senatoriam vrbem Viennẽ-
„ ſem perrexiſti, quid factum ſit, noſſe cupimus, & vt ſemẽ-
„ tem Euangelij iam ſparſeris, audire multum deſideramus.
„ Preſbyteri illi qui ab Apoſtolis educati vſque ad nos per-
„ uenerunt, cum quibus ſimul verbum fidei partiti ſumus,
„ à domino vocati in cubilibus æternis clauſi tenentur. Sã-
„ ctus Timotheus & Marius per bonum certamen tranſie-
„ runt. Vide frater vt illos imiteris ſequendo, neque vincu-
„ lis mundi illigeris. Feſtina palmam perſeuerabilem cum
„ ſanctis Apoſtolis tenere, quam per multas paſſiones Pau-
„ lus ſuſcepit & Petrus, cui crux charitatem Chriſti tolle-
„ re non potuit. Salutant te Soter & Eleutherius digni
„ preſbyteri. Saluta fratres qui tecũ viuunt in domino. Che-
„ rintus primarches Satanæ multos auertit à fide. Gratia
„ Chriſti habitet in corde tuo. Soter autem & Eleutherius,
„ quorum ſuperiori epiſtola mentio facta eſt, Pio ſucceſſere
in pontificatu Romano. Altera epiſtola ſe habet in hunc
„ modum: Pius Epiſcopus Romanus fratri Iuſto Epiſco-
„ po S. Attalus epiſtolas martyrum portans ad nos venit,
„ gaudium nobis inæſtimabile faciens de triumpho eorum:
„ qui dixit nobis ſanctum Verum collegam noſtrum vi-
„ ctorem de mundi principe triumphaſſe: Tu verò apud
„ ſenatoriam vrbem Viennenſem eius loco à fratribus con-
„ ſtitutus & colobio epiſcoporum veſtitus, vide vt mini-
„ ſterium quod accepiſti, in domino impleas: Cura autem
„ ſanctorum martyrum corpora ſicut membra Dei, quem-
„ admodum curauerunt Apoſtoli Stephanum. Carceres
„ ſanctorum viſita, ne aliquis tepeſcat in fide. Martyria ſan-

» cta,spiritu sancto proba, vt perseuerent in fide, eis incitator insiste. Presbyteri & diaconi non vt maiorem, sed vt ministrum Christi te obseruent: plebs vniuersa sanctitate tua protegatur. Fratres nostri, quos per Attalum recognosces, de tyranni sæuitia iam liberati requiescunt in domino. Presbyter Pastor titulum condidit, & dignè in domino obiit. Reuelatum mihi esse scias collega beatissime citius me finem huius vitæ facturum. Vnum flagitabo, in communione sta, & mei ne obliuiscaris. Salutat te Senatus pauper Christi apud Romam constitutus. Saluta omne collegium fratrum qui tecum sunt in domino."




ANICETVS.



GESIPPVS vicinus Apostolicorum temporum prædicabat se venisse Romam sub Aniceto, qui vndecimus post Petrũ Episcopus fuit; idque ab Hieronymo in libello de viris illustribus annotatum scio, nósque Anicetum à diuo Petro vndecimum cõstituimus, iudicium Ecclesiæ secuti, quæ præterire Cletũ non solet. Is cùm decem annis in illa Ecclesia gregem dominicum rexisset, fœliciter Romæ mortuus est Antonino Vero imperium gerente. Quis Syrum hominem è natione nata seruituti minùs seruiisse idolis putet, quàm hũc inuicto animo Anicetum, hostem multitudinis deorum, hostem tenebrarum, lucis amatorem? Apud Suidam Græ-

cum scriptorem reperio Antonino Pio imperãte, Romanæ Ecclesiæ Episcopo Aniceto, Polycarpum Romam venisse, vbi multos qui errori Marcionis & Valentini assenserant ad sanitatem animi redire fecit. Cùm verò Marciõ illi occurrisset, dixissétque, Agnosce nos Polycarpe: Agnosco, inquit, te filium diaboli primogenitum. Sed multis seculis ante Suidam Hieronymus id quoque tradiderat.




SOTER.



OMINEM Campanum ex eadem Italia Græcum nomen attulisse ad Episcopatum vrbis, successisséque Aniceto verissimum sanè est. Huic Soter nomen. quæ vox & Christo seruatori omnium populorum tribuitur Tertulliano auctore, & ante id tẽpus quo Christus Fusio Gemino & Rebellio Consulibus ad salutem orbis natus est, Soteris vox in vsu erat. Hoc planũ facit Cicero actione 4. in Verrem cùm ait, "Eum non solùm patronum istius insulæ, sed etiam Sotera inscriptum vidi Syracusis. Hoc quantum est? ita magnum vt Latino vno verbo exprimi non possit. Is est nimirum Soter, qui salutem dedit." Hoc præclarum nomen ad pontificatum Soter attulit, ad quem extabat olim Dionysij Episcopi Corinthiorum epistola laudantis in eo studium & beneuolentiam erga Christianos ad metalla damnatos, eúmque tanquam

tanquam patrem indulgentem,& clementem in liberos ad virtutem incitantis. Sed cùm octo annis illi muneri præfuisset, decessit è vita Antonino Imperium administrante, quod solus quidem non gessit. Lucius enim Annius Antoninus cognomento Seuerus ad partem Imperij nouo beneuolĕtiæ genere adscitus ab eo est, priusquam Commodum filium consortem regni faceret. Atque hi sunt qui Diui fratres ab historicis, ínque imperatoriis cō-stitutionibus vulgò appellantur. Commodo autem Publius Heluius Pertinax sex mensium Imperator successit, qui prius Consul erat. Dein Septimius Seuerus, aliíque Cæsares regnarunt.




ELEVTHERIVS.



QVI Hyginum, qui Pium, qui Anicetum, & superiores Episcopos ordine recensuisset Irenæus: Cùm, inquit, successisset Aniceto Soter, nunc duodecimū locū ab Apostolis habet Eleutherius: id verum erit, si omisso Petro, incipias à Lino enumerare Pontifices, Cletúmque prætereas. Eleutherium verò, id est Christiana libertate insignem virum, Aniceti quondam Diaconū fuisse, eúdémq; vrbis Episcopū testatur Hieronymus ad Dextrum Præfectū prætorio. Sub Antonino Vero floruit, quo quidem tempore ille ipse Irenęus Photini Episcopi, qui Lugdunensem in Gallia regebat Ecclesiam, eiusdem

loci ob quaſdam Eccleſiæ quæſtiones legatus Romam miſſus, honorificas ſuper nomine ſuo literas tulit. Sed de Irenęo Hieronymus in epitaphio Fabiolę ſic loquitur, ídque annotādum puto. Refert Irenæus vir apoſtolicorū tēporū & Papiæ auditoris euāgeliſtę Ioānis diſcipulus, Epiſcopúſque Eccleſię Lugdunēſis. Hoc ille ſcripſit ante annos circiter mille trecentos, & ſcripſit in his libris quos aduerſus omnes hęreſes doctiſſimo & eloquētiſſimo ſermone cōpoſuit. Et ante Hieronymū præclarū elogiū quod apud Tertullianum aduerſus Valentinianos reperio, cur nō hîc quoque apponam? Irenæus, inquit, omnium doctrinarum curioſiſſimus explorator. quare mirari lubet, quis enim hoc nō debeat plurimum mirari? nec Lugduni ſcripta eius apud Ætherium Epiſcopum, nec in ſede omnium prima Gregorij primi temporibus reperiri potuiſſe. Nam petenti Ætherio reſpōdet in hunc modum: geſta, inquit, vel ſcripta beati Irenęi iamdiu eſt quod ſollicitè quæſiuimus, ſed hactenus ex iis inueniri aliquid non valuit. Quid verò acciderit ſub Epiſcopatu Eleutherij, docet Tertullianus in libro aduerſus hæreſes: Vbi tunc, inquit, Marcion Pōticus Nauclerus Stoicæ ſtudioſus? vbi tunc Valentinus Platonicę ſectæ? nam conſtat illos neque adeò olim fuiſſe Antonini ferè principatu & in catholicā penè doctrinam crediſſe apud Eccleſiam Romanēſem ſub Epiſcopatu Eleutheri benedicti, donec ob inquietam eorum ſemper curioſitatem, qua fratres quoque vitiabant, ſemel & iterum ſunt eiecti.



VICTOR.




Es Christianorum afflictas fuisse sub Marco Aurelio Antonino & Lucio Aurelio Cōmodo, si quis est qui nesciat, Athanagoram Atheniensem philosophum audiat. Is enim ad illos Imperatores Apologiam scribit, in qua hoc legimus: Nostri tantùm qui Christiani vocamur, nulla vobis cura est. Sinitis enim nos qui nihil mali facimus, immò omnium piissimè, iustissiméque cùm erga Deum, tum Imperiū vestrum nos gerimus, exagitari, rapi, fugari, nomen dumtaxat nostrum plerisque impugnantibus. Huius Commodi tempore vixit Claudius Galenus artis medicæ peritissimus, qui Traiano Cæsare Romæ fuit, & Marco Antonino philosopho Theriacem composuit, vt libri eius ostendunt; ísque Mosaïcam legem & Christianam demōstratione carere lib. 2. de differentiis pulsuum ait, eísque persimilem esse Archigenis doctrinam. Neque id à Galeno scriptum miror, quia non facilè philosophi adducuntur ad verum, nisi ratione conuicti fuerint. Christi autem ratio, fides est, quam qui sequuntur, fœlices; qui fugiunt, miseri erunt. Irenæus quoque apud Lugdunum Romanam coloniam post Photinum factus Episcopus, Victorem decimū quartum à Petro Romanę vrbis Episcopum arguit, monuítque eum nō facilè vnitatem collegij scindere. Siquidem Victor multos Asiæ & Orientis Episcopos, qui decimaquarta luna


cum Iudæis Pascha celebrabant, damnandos crediderat. In qua sententia hi qui discrepabant ab illis, Victori non dedere manus. Hæc Hieronymus post Eusebium tradit de Irenæo & Victore, additque hūc rexisse ecclesiam Romanam sub Septimio Seuero annis decem. Visitur Romæ arcus marmoreus ad cliuum Capitolinum, & in eo bella victoriæque Septimij sculptæ elegāti opere. Ac mirabile videri poterit vno tempore & Episcopum Romanum, & Cæsarem Septimium, & Tertullianum sublimē ingenio, qui sub Antonino Caracalla etiam vixit, & patria Carthaginensis fuit, vt ex Optato aduersus Parmenianum didicimus, genere Afros fuisse. Tertullianus Seuerum constantissimum principē esse dicit in Apologetico aduersus gentes, eiúsque Imperij anno decimo quinto primum librum contra Marcionem scribebat. id enim ex eo constat. & ipse se Septimium Tertullianum appellat extremis verbis libri de velandis virginibus. Idem in libro aduersus Praxeam ipsum arguit, quòd Romæ duo quidem procurarit, vnum vt prophetiam expelleret, alterum vt hęresim inferret, id est paracletum fugaret, & patrem crucifigeret. Episcopum enim Romanum agnoscentem iam prophetias Montani, Priscæ & Maximillæ, & pacem Ecclesiis Asiæ & Phrygiæ inferentem, falsa de ipsis prophetis & ecclesiis eorum asseuerando & prędecessorum eius auctoritates defendendo coegerit, & literas pacis reuocare iam emissas, & à proposito recipiendorum charismatum concessare. Nec fuisse satis æquum Pontifici Romano ex libro de pudicitia Tertullianum intelligimus, benedictum Papam appellans, & Pontificem scilicet maximum Episcopum Episcoporum, quæ ironicôs ab eo dicta videntur, seu in Victorē,

qui Eleutherio ſucceſſit, quem ipſe auctor laudauit, ſeu in alium. Quàm autem parum in tuto Chriſtiani illa ætate eſſent, ſatis indicat in libro de corona militis Chriſtiani, & in Apologetico: Licet nos, inquit, ſarmentitios & ſemiſſarios nunc appelletis, quia ad ſtipitem dimidij aſſis reuincti ſarmentorum ambitu exurimur. Et Tertullianus magnus vir profectò fuit. Nam beatus Cyprianus eo magiſtro eſt vſus, & fatetur Hieronymus in Apologia aduerſus Origenis hæreſes, itémque epiſtola ad Magnum oratorem Romanum, Quid Tertulliano, ait, eruditius, quid acutius? Apologeticus enim & contra gentes libri cũctam ſeculi obtinent diſciplinam. Idem tamen cùm de hæreſi agitur, mutare ſtylum ſolet, vt aduerſus errores Heluidij, Et de Tertulliano quidem nõ amplius dico, quàm hominem eccleſiæ non fuiſſe. & in Rufinum, In Tertulliano, inquit, laudamus ingenium, ſed damnamus hæreſim. Iam pro Victore ſuperſunt loci duo: Nicolai primi Epiſcopi Romani in epiſtola ad Michaëlem Græcũ Imperatorem. Cùm Aſiani, inquit, omnes, inter cęteros Euãgeliſta Ioanne auctore, quartadecima luna cum Iudæis putarent paſcha celebrandum, hoc præſul meritis & nomine Victor à collegis ſeparauit. At illi omnes cum nonnullis Eccleſiarũ Præſulibus non ſolùm huic manus minimè præbuerunt, verumetiam pertinaciæ redarguerunt. Alter locus eſt in eadem epiſtola: Quid autem mirum, ſi nobis pro eccleſiaſtica correctione laborantibus manum non datis? Sed & duritiis redarguitis? cùm videamus Victorem Papam & martyrem, qui ideò verè victor eſt, quia martyr, pro eccleſiaſtica traditione penè à totius eccleſiæ Præſulibus pertinaciæ redargutum, quandoquidem Eccleſia tota nunc

cum illo sapit, & quod fecit laude prædicat dignum.




ZEPHERINVS.



ONSECVTIS temporibus Roma quatuor ordine, eósque excellentissimos sine dubio Pōtifices protulit. Hi sunt Zepherinus, Calixtus, Vrbanus, & Pontianus, viri sanctissimi, quorū primus sub Antonino Seueri filio vixit: sub Opilio Macrino & alio iterū Antonino Vario decem & octo annis magistratum gessit. Ac mihi profectò incertum est, Origene Romam veniente vter beatior, Origenes, qui vrbis Episcopum vidit, an verò Zepherinus, qui humaniter & comiter suscepit Origenem pro Christi causa profugum, & Leonidis constantissimi martyris filiū. At Origenes cùm innumerabiles postea libros de diuinis mysteriis scripsisset, mortuus est Tyri. Cui rei testimonium præbet Hieronymus, doctissimum virum Origenem appellans, cùm ait: Centum quinquaginta propè sunt anni, ex quo Origenes mortuus est Tyri, ídque in Apologia ad Origenis hæreses: Marcū etiam Iulium Philippum etsi humillimo ortum loco omnes historiarum scriptores tradūt, ad imperium peruenisse. Hunc Hieronymus scribit primum de Regibus Romanis Christianum fuisse; & ad matrem eius literas Origenis adhuc extare. Eiusdē Cæsaris extant constitutiones sexaginta duæ, quæ in Iustiniani Codice continentur, nulla

tamen earum ad Christianam religionem & sacra vllo modo pertinet. Hoc Philippo imperante Plotinus Philosophus Romam ijt, ibíque Platonicę sectę theoremata docuit, Galieno Imperatori, vxoríque eius Saloninæ tam charus, vt eum honorarent, maximéque colerent. Hęc in eius vita Porphyrius tradit: eóque tempore multos fuisse Christianos refert. Sed Augustinus epistola ad Dioscorum quid de Plotini schola sentiat, videamus. » Plotini, » inquit, schola Romæ floruit: habuítque condiscipulos multos acutissimos & solertissimos viros: Sed aliqui eorum magicarum artium curiositate deprauati sunt: aliqui dominum Iesum Christum, ipsius veritatis atque sapientię incommutabilis, quam conabantur attingere, cognoscentes gestare personam, in eius militiam transierunt.




CALIXTVS.



CALIXTVS Domitij præclarissimi ciuis filius, post Zepherinum Romanæ vrbis Episcopus factus est, rexítque Ecclesiam Christianorum annis quinque, vti ab Eusebio refertur, tanta modestia vsus erga omnes tantáque prudentia in omnibus rebus exhibita, vt gregi illi gratissimus fuerit, nec admodum displicuerit ciuibus suis, etsi cultum idolorum cognitioni æterni & immortalis Dei præferre didicerāt. Sub Antonino Vario floruit, vt veteres memoriæ mandarunt, quanquam no-

tior eſt Heliogabali nomine, cui Deo in Palatino monte iuxta ædes imperatorias templum fecit, id agens ne quis Romæ Deus niſi Heliogabalus coleretur. Dicebat præterea Iudęorum & Samaritanorum religiones & Chriſtianorum deuotiones illuc transferendas, vt omnium culturarum ſecretum Heliogabali ſacerdotium teneret. Hæc enim Ælij Lampridij verba ſunt in vita huius Antonini ſcripta ad Cõſtantinum Auguſtum. Verùm cur de Calixto & aliquot Romanis Epiſcopis tam breuiter ſcribimus? quia vbi mutæ ſunt veteres hiſtoriæ, ibi neceſſe eſt pauciſſima dicere.



VRBANVS.


VALES fuiſſe dicam ſuperiores Epiſcopos vrbis, & hunc Vrbanum, qui ad Alexandri Seueri tempora peruenit? Hic Mammeæ ſpectatiſſimæ matris filius, vbi aliquos voluiſſet vel Rectores prouinciis dare, vel Præpoſitos facere, vel Procuratores, id eſt rationales ordinare, nomina eorum proponebat, hortans populum vt ſi quis quid haberet criminis, probaret manifeſtis rebus; ſi non probaſſet, ſubiret pœnam capitis. Dicebátque graue eſſe, cùm id Chriſtiani, & Iudęi facerent in prædicandis ſacerdotibus qui ordinandi ſunt, non fieri in prouinciarum Rectoribus, quibus & fortunę committerentur, & capita. Id ab Alexandro dictum Ælius Lampridius auctor eſt, atque vtinam eum morem Romana Eccleſia aliæque inter

ter Christianos subsecutis temporibus diligenter seruassent, excussissentque vitam sacerdotum, quos sacerdotes esse, & improbatæ vitæ magnum sanè crimen est. At Seuerus clamabat sæpius eodem Lampridio teste, quod à quibusdam siue Iudęis, siue Christianis audierat, ídque per pręconem, cùm aliquem emendaret, dici iubebat:
„ QVOD TIBI FIERI NON VIS, ALTERI NE FE-
„ CERIS. Quam sententiam vsque adeo dilexit, vt & in palatio, & in publicis operibus præscribi iuberet. Igitur Vrbanus more maiorum creatus Episcopus, ita se gessit in Episcopatu, vt Christianum nomen longè latéque diffuderit per orbem terræ: Martyrísque nomen consecutus ad æternam, immortalémque cum Christo gloriam peruenerit. Ac nescio propinquúsne fuerit Vrbani Consulis Romani, cuius collega Maximus fuit vt apparet ex constitutione edicti ab Alexandro Cæsare missa ad Martianum Rufum x. Kal. Martias ijsdem Coss. quæ titulo de negotiis gestis libro secũdo Codicis Iustinianæi continetur. Vrbanum verò martyrio affectum sub Alexandro nihil miror, cùm Domitium Vlpianum Iurisconsultum amicum habuerit, qui vt Lactantius refert libro quinto de iustitia, rescripta principum nefariè collegit, vt doceret quibus pœnis affici oporteret eos, qui se cultores Dei cõfiterentur. Alexandri tamen legem illam quam tulit sexto Kal. April. Maximo ij. & Æliano Coss. quis non putaret verè Christianam? Iurisiurandi contempta religio satis Deum vltorem habet.



PONTIANVS.




Ex continuis annis Epiſcopatum vrbis geſſit Pontianus Calpurnio genitus, vir ſáctiſſimus, Vrbano deceſſore mortuo: neque aliud ciuibus ſuis perſuadere voluit, quàm vt ab antiquis ſuperſtitionibus recederent, & veritati coaleſcerent Chriſtianæ. Quis huic rei fidem facit, præter Euſebium inſignē hiſtoricū? à quo id eueniſſe dicitur ſub Iulio Maximino, Gordianóque Auguſtis, ſub quo Pium & Pontianū ſcio Coſs. fuiſſe ex conſtitutione quam Regulo militi miſit, eáque libro ſecundo Codicis continetur. Quo ſanè tempore Pontianū Conſuli illi cognominem pontis marmorei eſſe oportuit, quem onera non frangunt; neque enim vel minis vel ſuppliciorum metu, vel auro, vel diuitiis corruptus eſt Sed in id incubuit, vt ciues ſui paulatim à grege deorū auerſi Chriſtum Deum amplecterentur, & ſacra illius myſteria, ritúſque diſcerēt. Iulius autem Maximinus (vt Gordianum præteream) apud Aquileiam militari manu diſcerptus eſt vnà cum filio, conclamantibus cunctis militari ioco, „ EX PESSIMO GENERE NE CATVLVM „ QVIDEM HABENDVM. Hanc enim militum vocem „ fuiſſe Aurelius Victor memoriæ mandauit.

ANTHERVS.



I Eunapio historico credimus in vita Iamblici Philosophi, Antheros Græcis est Deus amantium, iniuriæ vindex: & Romæ inspicitur Venus marmorea cũ duobus alatis pueris, quorum vni nomen est Eros, alteri Antheros, vt inscriptio adhuc ostendit. Quod nomen ad Pontificatum attulisse non miror Antherotem. cur enim impositum sibi nomen mutasset, vt successores postea fecere, etsi non sinẽ aliqua probabili ratione id factum puto. Quanquam Antherotianum quẽdam Tiberij Augusti libertum fuisse ex veteri tumulo inter ruinas vrbis adhuc cognoscimus. Sed siue seruus, siue liber, vt est verisimile, Antheros Romanus Episcopus fuit, Romulíque Græci hominis filius, amantissimus diuini cultus, breuissimo duntaxat tempore floruit. vno enim mense eo magistratu functus est, vt Eusebium sequuti dicere audemus. Sub Gordiano igitur decessit vir beatissimus, Gręcus quidem genere, Romanus dignitate. Hic est Gordianus ille qui tam multas constitutiones in iure ciuili edidit, quas Iustinianus recitat.




FABIANVS.



NTHEROTE mortuo, cùm dispersi per agros Christiani vagarentur, nec consistere Romæ securi possent, in eam tandem migrauere, vbi Fabianus ab ijs delectus est ad Episcopatum vrbis, ac fortè euenit vt in locum vbi cõuenerant, columba è sublimi volans capiti eius insideret. Id pro fœlici signo accipientes magno consensu & alacritate animorum ipsum elegerunt, & eo dignitatis gradu dignissimum pronunciarunt. Hæc Eusebius in historiæ suæ libro sexto narrat. ex quo loco colligimus electionem Episcopi Romani non ad paucos, sed ad omnes olim pertinuisse. Ad hunc Fabianum Romanæ vrbis Episcopum, Origenes magnus vir ab infantia, & verò Martyris filius scripsit Epistolam, qua pœnitere se profitetur, quòd quędam scripserit, & causas temeritatis refert in Ambrosium Diaconum, qui secretò edita in publicum protulerat. Hieronymus in Apologia aduersus Origenis hæreses, & in libello ad Dextrum in persecutione quæ aduersum Christianos sub Decio cõsurrexit, Fabianum Romanæ Ecclesiæ Episcopum occubuisse testatur. Decius enim M. Iulium Philippũ Imperatorem qui primus de regibus Romanis Christianus fuit, ob religionis causam Veronæ interfici curauit, vt Sextus Aurelius Victor in epitome, & ante eum Hieronymus ad Dextrum narrat. Hic cùm ex Præfecto prætorio Impera-

toris nomen Gordiano cæſo conſecutus eſſet, Philippum filium Cæſarem fecit. ſed hic quoque Romæ occiditur, patre Veronæ interfecto. Præclarum autem Fabiani nomen etiam tulit conſequentibus ſæculis Conſtantinopolitanæ vrbis Epiſcopus, cuius elogium in memoriam ſcriptum permanſit. Sic enim de eo Valentinianus & Martianus Cæſares ad Palladium Præfectum prætorio: Quoniam venerabilis recordationis Fabian⁹ huius almæ vrbis Epiſcopus, venerabilis Synodi innumerabilium penè ſacerdotum qui Chalcedone cōuenerunt, tanto & tali decoratus eſt teſtimonio, vt Eutyches qui contrà ſenſerat, cum ſceleratis dictis ſuis ab omnibus vno ore dānaretur: Aboleatur quidem Eutychetis damnoſa memoria, Fabiani autem laudabilis recordatio releuetur. Sed ante hunc Fabianum etiam cognominis Epiſcopo Romano fuit vir clariſſimus Fabianus Præfectus prętorio Italiæ, ad quem extat Valentiniani, Theodoſij & Arcadij conſtitutio Codice Iuſtiniani libro quarto.



CORNELIVS.




ECESSOR Cornelij Fabianus, ſimul ipſe Cornelius, tréſque ſucceſſores eorum Romani omnes fuere, & fortia facere, aut fortia pati Romanum eſſe docuerunt. Sed qualis, quantúſque quilibet eorum fuit, indicare erit operæpretium. Cui Cypriani nomen eſt inauditum? quem Augu-

ſtinus ex eadem Africa doctorem ſuauiſſimum, & martyrem beatiſſimum appellat. Hunc igitur epiſtola ad An-
» tonianum de Cornelio ſcribentem audiamus: Venio iam
» nunc, frater chariſſime, ad perſonam Cornelij collegę no-
» ſtri: vt Cornelium nobiſcum veriùs noueris, non de ma-
» lignorum & detrahentium mendacio, ſed domini Dei
» iudicio, qui Epiſcopum fecit, & coëpiſcoporum teſti-
» monio, quorum numerus vniuerſus per totum mundum
» concordi vnanimitate conſenſit. Nam, quòd Cornelium
» chariſſimum noſtrum Deo & Chriſto & Eccleſiæ eius,
» item conſacerdotibus cunctis laudabili prædicatione cō-
» mendat: non iſte ad Epiſcopatum ſubitò peruenit, ſed
» per omnia Eccleſiaſtica officia promotus & in diuinis ad-
» miniſtrationibus dominum ſæpe promeritus, ad ſa-
» cerdotij ſublime faſtigium cunctis religionis gradibus aſ-
» cendit. Tum deinde Epiſcopatum ipſum nec poſtulauit,
» nec voluit, nec vt cæteri quos arrogantiæ & ſuperbię ſuæ
» tumor inflat, inuaſit, ſed quietus & modeſtus & quales
» eſſe conſueuerunt, qui ad hunc locum diuinitus eligũtur,
» pro pudore virginalis conſcientiæ ſuæ, & pro humilitate
» ingenitæ ſibi & cuſtoditæ verecundię, non vt quidam
» vim fecit, vt Epiſcopus fieret, ſed ipſe vim paſſus eſt, vt
» Epiſcopatum coactus exciperet. Et factus eſt Epiſcopus
» à plurimis collegis noſtris, qui tunc in vrbe Roma aderāt,
» qui ad nos literas honorificas, & laudabiles, & teſtimonio
» ſuæ prędicationis illuſtres de eius ordinatione miſerunt.
» Factus eſt autem Cornelius Epiſcopus de Dei & Chriſti
» eius iudicio, de clericorum penè omnium teſtimonio, de
» plebis, quæ tunc affuit, ſuffragio, & de ſacerdotum anti-
» quorum & bonorum virorum collegio; cùm nemo ante

» se factus esset, cùm Fabiani locus, id est, cùm locus Petri &
» gradus cathedræ sacerdotalis vacaret, quo occupato de
» Dei voluntate, atque omnium nostrûm consensione fir-
» mato; quisquis iam Episcopus fieri voluerit, foris fiat ne-
» cesse est, nec habeat ecclesiasticam ordinationem, qui Ec-
» clesiæ non tenet vnitatem, quisquis ille fuerit, multùm de
» se licet iactans, & sibi plurimum vindicans, profanus est,
» alienus est, foris est. Et cùm post primum secundus esse nõ
» possit, quisquis post vnum, qui solus esse debeat, factus
» est, non iam secundus ille, sed nullus est. Tum deinde post
» Episcopatum non ex ambitum, nec extortum, sed de Dei,
» qui sacerdotes facit, voluntate susceptum, quanta in ipso
» suscepto Episcopatu suo virtus? quantum robur animi?
» qualis firmitas fidei? quod nos simplici corde & perspice-
» re penitus, & laudare debemus: sedisse intrepidum Romæ
» in sacerdotali cathedra eo tempore, cùm tyrannus infestus
» sacerdotibus Dei fanda, atque infanda cõminaretur; cùm
» multo patientius & tolerabilius audiret leuari aduersus se
» æmulum Principem, quàm constitui Romæ æmulum sa-
» cerdotem. Nónne hic frater charissime summo virtutis &
» fidei testimonio prædicandus est? Nónne inter gloriosos
» Confessores & Martyres deputandus, qui tãtum temporis
» sedit expectans corporis sui carnifices, & tyranni ferocien-
» tis vltores, qui Cornelium aduersus edicta feralia resisten-
» tem, & minas & cruciatus, & tormenta fidei vigore cal-
» cantem, vel gladio inuaderent, vel crucifigerent, vel igne
» torrerent, vel quolibet inaudito genere pœnarum viscera
» eius & membra laniarent? Etiam si maiestas domini prote-
» gentis & bonitas sacerdotem quem fieri voluit, factum
» quoque protexit: tamen Cornelius, quantum ad eius de-

„ uotionem pertinet, & timorem passus est quicquid pati
„ potuit, & tyrannum armis & bello postmodum victum,
„ prior sacerdotio suo vicit. Quod autem quædam de illo
„ inhonesta & maligna iactãtur, nolo mireris; cùm scias hoc
„ esse opus semper diaboli, vt seruos Dei mendacio laceret,
„ & opinionibus falsis gloriosum nomen infamet: vt qui
„ conscientiæ suæ luce clarescunt, alienis rumoribus sordi-
„ dentur. Explorasse autem collegas nostros scias, & verissi-
„ mè comperisse, nullum illum libelli, vt quidam iactant, la-
„ be maculatum esse, sed neque cum Episcopis, qui sacrifica-
„ uerunt, communionem sacrilegam miscuisse; sed eos
„ demum quorum causa audita & innocentia comprobata
„ sit, coniunxisse nobiscum. Ex quibus Cypriani verbis quã
ritè facta sit, fieríque debeat Romani Episcopi designatio, & à quibus & quomodo perspicuè intelligitur. At hoc mirabile est, Nouatianum presbyterum Romanum, de eo enim loquitur, aduersus sanctissimum Cornelium cathedram sacerdotalem conatum inuadere. Qui prauum dat exemplum, is malorum sequentium auctor est, vt hic fuit. Nam eius nequitiam consecutis temporibus imitati sunt complures magno disciplinæ ecclesiasticæ detrimento damnóque. Cornelius verò tandem martyr constantissimus factus est, vt in Epistola ad Romanum Pontificem
„ Cyprianus idem apertissimè ostendit: Seruandus est, in-
„ quit, antecessorum nostrorum beatorum martyrum Cor-
„ nelij, & Lucij honor gloriosus, quorum memoriã cùm nos
„ honoremus, multo magis tu frater charissime honorifica-
„ re & seruare grauitate & auctoritate tua debes, qui vicarius
„ & successor eorum factus es. Rexit autem Cornelius ecclesiam Romanam annis duobus sub Gallo & Volusiano:
quan-

quanquam Hieronymus qui hoc dicit in libello ad Dextrum, sub Decio & Valeriano persecutoribus Cornelium Romæ, & Cyprianum Carthagine fœlici cruore dānatos esse in vita Pauli referat. Vitius quidem Gallus cum Volusiano filio imperasse annos duos dicitur. Licinius autem Valerianus Deo tandem vltore in Mesopotamia bellū gerens à Sapore Persarum rege superatus, mox etiam captus ignobili seruitute consenuit. Nam quandiu vixit Rex eiusdem prouinciæ, incuruato eo pedem ceruicibus imponens conscendere equum solitus erat.




LVCIVS.



VCIVM Porphyrio prognatū & Cornelij successorem in exilium missum, rursúmque ab eo reuocatū ex Cypriani ad eum epistola cognoscimus. Quę sic habet: Ad Lucium Papam Romanū reuersum ab exilio, vt nuper quidem tibi frater charissime gratulati sumus, cùm te honore geminato in ecclesiæ suæ administratione confessorem pariter & sacerdotem constituit diuina dignatio: Sed & nunc non minus tibi & comitibus tuis atque vniuersæ fraternitati gratulamur, quòd cùm eadē gloria & laudibus vestris reduces vos denuò ad suos fecerit benigna domini & larga protectio, vt pascendo gregi pastor & gubernandæ naui gubernator, & plebi regendæ rector redderetur: & appareret relegationem vestram sic diuini-



tus esse dispositam, non vt Episcopus relegatus & pulsus ecclesiæ decet, sed vt ad ecclesiā maior rediret. Reuersum autem ab exilio Lucium, & Christianos magistratus vrbis diu ferre non potuere. Post Episcopum Cornelium beatū martyrem, vt Cypriani verbo vtar, crudeliter cæsum, quia illis in animo erat Lucio quoque vitā adimere, vti ademerunt. Nam suprà ostendimus ipsum quoque præclarissimum nomē martyris adeptum, Valeriano scilicet carnificinam in Christianos exercente. Illo imperium vnà cum Decio gerente, Perennius mandato ab ipsis accepto Christianos omnes qui Romæ essent, & in finitimis prouinciis, grauissimis quæstionibus & tormentis acerbissimísque suppliciis idola colere coëgit, quantū in Photij bibliotheca reperio.




STEPHANVS.



ORNELIVS quem alia Epistola pacificum & iustum sacerdotem Cyprianus vocat, triennio ferè Episcopus fuit, si Eusebio mauis quàm Hieronymo credere. Lucius octo mensium tempus vix impleuit, & Stephano locum suum reliquit. De hoc quidem Iulij ciuis Romani filio, quis elegantius quàm ille ipse Hieronymus agere possit? Ita enim scribit in Luciferiana confutatione: " Conatus est beatus Cyprianus contritos laqueos fugere, nec bibere de aqua aliena, & idcirco hæ-

" reticorum baptiſma reprobans, ad Stephanum tunc
" Romanæ vrbis Epiſcopum, qui à beato Petro vigeſimus
" tertius fuit, ſuper hac re Africanam Synodũ indixit. Sed
" conatus eius fruſtra fuit. Denique ipſi Epiſcopi qui bapti-
" zandos hæreticos cum eo ſtatuerunt, ad antiquam conſue-
" tudinem reuoluti nouum emiſere decretum. At Cypria-
nus quàm ægrè tulerit piam Stephani ſententiam, ex Epi-
ſtola ad Pompeium collegam colligere potes. Sic enim
" ait: Quia deſideraſti in notitiam tuam perferri quæ mihi
" ad litteras noſtras Stephanus frater noſter reſcripſerit, miſi
" tibi reſcripti eius exemplum: quo lecto magis ac magis er-
" rorem eius denotabis, qui hæreticorum cauſam contra
" Chriſtianos & cõtra Eccleſiam Dei aſſerere conatur. Nam
" inter cætera vel ſuperba vel ad rem non pertinentia vel ſi-
" bi ipſi contraria quæ imperitè atque improuidè ſcripſit,
" etiam illud adiunxit, vt diceret: Si quis ergo à quacunque
" hæreſi venerit ad nos, nihil innouetur, niſi quod traditũ,
" eſt, vt manus illi imponatur in pœnitentiam; cùm ipſi hæ-
" retici propius alterutrum ad ſe venientes non baptizent,
" ſed communicent tantùm. Hæc quidem Cyprianus ſcrip-
" ſit immemor ſui. Nam in epiſtola ad Stephanum: De eo,
" inquit, vel maximè tibi ſcribendum, & cum tua grauitate
" & ſapientia conferendum fuit quod magis pertineat ad
" ſacerdotalem auctoritatem. Quid grauem Cypriane, quid
ſapientem appellas eum quem paulo poſt ſuperbum, im-
peritum atque improuidum vocas? ne ſanctis quidem vi-
ris adimitur omnis humana perturbatio, vt ſe homines nõ
Angelos eſſe meminerint. Marianus Arelatenſis Epiſco-
pus peruicax & ſuperbus & diuinæ pietatis ac fraternæ ſa-
lutis inimicus prædicabat ſe Nouatiano adhuc ſtudere, mi-

ſitque ad Cyprianum in Africam legatos, rogatum vt ad Epiſcoporum Africæ communicationem admitteretur. Sed à concilio plurimorum ſacerdotum ſententiam retulit, ſe foris eſſe cœpiſſe, nec poſſe à quoquam ſibi communicari, qui Epiſcopo Cornelio in cathedra Eccleſiæ de Dei iudicio & Cleri ac plebis ſuffragio ordinato profanum altare erigere & adulteram cathedram collocare, & ſacrilega contra verum ſacerdotem ſacrificia offerre tentauiſſet. Proinde ſi reſipiſcere & ad ſanæ mentis cõſilium redire vellet, ageret pœnitentiam, & ad Eccleſiam ſupplex rediret. Qua de re Stephano ſcribit, vt mittãtur in Prouinciam & ad plebem Arelate conſiſtentem ab eo literæ, quibus abſtento Martiano alius in locum eius ſubſtituatur. Ex his itáque diſcimus, niſi grauitas & ſapientia Stephani obſtitiſſet, periculoſam & noxiam de rebaptizandis hæreticis ſententiam apud Afros & alibi locum habituram fuiſſe. Et hic moneo pium lectorem, cùm adhuc fuerint viginti quinque Pontifices Romani, neminem eorum ſecundum eſſe dictum; ſed occurrit Sixtus, in quo primùm binarius numerus repetendus erit.



SIXTVS II.



CVM Stephanus duobus annis Romani Episcopi munus gessisset, Sixtus ritè legitiméque electus id on⁹ subiit. Erat enim onus asperrimis temporibus exercere Episcopi dignitatem, cùm Licinius Valerianus vbique in Christianos sæuire iuberet. Huic rei fidẽ facit epistola ad Successũ collegã, vbi Valeriani crudelia mãdata, Sixtíque supplicium Cyprianus memorat: Vt nõ vobis incontinenti scriberem frater charissime, illa res fecit, quòd vniuersi clerici sub ictu agonis constituti, recedere istinc omnino non poterant, parati omnes pro animi sui deuotione ad diuinam & cælestem gloriam. Sciatis autem eos venisse, quos ad vrbem propter hoc miseram, vt quomodocumque de nobis rescriptum fuisset, exploratam sibi veritatem ad nos referrent. Multa enim varia & incerta opinionibus ventilantur; quæ autem sunt in vero ita se habent. Rescripsisse Valerianum ad Senatum, vt Episcopi & presbyteri & diacones incontinenti animaduertantur; Senatores verò & viri egregij, & equites Romani, dignitate amissa, etiam bonis spolientur: & si ademptis facultatibus Christiani esse perseuerauerint, capite quoque multẽtur: matronæ ademptis bonis in exilium relegentur: Cæsariani quicunque vel prius confessi fuerant, vel nunc cõfessi fuerint, cõfiscentur, & vincti in Cæsarianas possessiones descripti mittantur. Subiecit etiam Valerianus Impe-

» rator orationi ſuæ exemplum literarum, quas ad præſides
» prouinciarum de nobis fecit: quas literas quotidie ſpera-
» mus venire, ſtantes ſecũdum fidei firmitatem ad paſſio-
» nis tolerantiam, & expectantes de ope & indulgentia Do-
» mini vitæ æternæ coronam: Sixtum autem in cœmeterio
» animaduerſum ſciatis, octauo Iduum Auguſtarum die, &
» cum eodẽ Quartũ. Sed & huic perſecutioni quotidie inſi-
» ſtunt præfecti in vrbe; vt ſi qui ſibi oblati fuerint, animad-
» uertãtur; & bona eorũ fiſco vindicentur. Hæc peto per vos
» & collegis noſtris innoteſcant, vt vbique hortatu eorum
» poſſit fraternitas corroborari, & ad agonẽ ſpiritalẽ præpa-
» rari: vt ſinguli ex noſtris, nõ magis mortem cogitẽt, quàm
» immortalitatẽ, & plena fide ac tota virtute domino dicata
» gaudeãt magis, quã timeãt in hac cõfeſſione; in qua ſciunt
» Dei & Chriſti milites non perimi, ſed coronari. Sed eiuſdẽ
» Sixti ſuppliciũ nemo venuſtius expreſſit quàm Prudẽtius
» ille Hiſpanæ gẽtis gloria. Sic enim ait in hymno Laurẽtij.

» *Ferè hoc ſacerdos dixerat*
» *Iam Sixtus affixus cruci,*
» *Laurentium flentem videns*
Crucis ſub ipſo ſtipite,
» *Deſiſte diſceſſu meo*
» *Fletum dolenter ſcindere.*
» *Præcedo frater, tu quoque*
» *Poſt hoc ſequeris triduum.*
» *Extrema vox Epiſcopi*
Prænunciatrix gloriæ
» *Nihil fefellit, cùm dies*
» *Prædicta palmam præſtitit.*


Ergo Sixtum martyrem & Cypriani voce & Prudentij, teſtimonio fuiſſe conſtat. Quibus etſi grauiſſima ſunt, accedit Maximi Epiſcopi Taurinẽſis locus ille homelia pri-
» ma in natali diui Laurentij martyris: Qui inquit, Cùm in
» ſede glorioſiſſimi patriarchæ diaconatus fungeretur offi-
» cio, paritate innocentis vitæ fortiſſimæque mortis trium-
» pho apoſtolico ſe conſortio copulauit: nec immeritò eum
» Apoſtolorum ſupparem prædicamus, cui & caſtitas animi

" leuitarum ministerium dedit, & plenitudo fidei contulit
" dignitatem. Quem venerabilis Sixtus Romanæ vrbis an-
" tistes, cùm impietatem sæuientis mundi per tormenta sú-
" peraret, & regnis esset cælestibus iam vicinus, viderétque
" eum paterna de morte tristissimum, spiritu præscientię cō-
" pellasse narratur: Noli fili mœstus esse, post triduum me sequêris. At viri sanctissimi nomine Pelagius abusus est, vt gregem Christianum falleret: sed fallaciam detexit Hierônymus, Augustinus serò animaduertit. nā ille ad Ctesiphōtem de libero arbitrio contra Pelagianos, librum Sixti Pythagoræi hominis absq; Christo atque ethnici immutato nomine Sixti martyris Romanæ ecclesię Episcopi prænotauit. In quo iuxta dogma Pythagoricū hominē exæquat Deo, & de eius dicit esse substantia. Multa de perfectione dicuntur, vt qui volumen Philosophi nesciunt, sub nomine martyris de aureo calice bibant. At Augustinus libro retractationum secundo postea errorem agnoscit, Sixti
" philosophi esse, non Sixti Christiani, his quidē verbis: Ve-
" nit etiam tūc in manus meas quidam Pelagij liber, vbi ho-
" minis naturam contra Dei gratiam, qua iustificatur im-
" pius. Et quia Christiani sumus, quanta potui argumenta-
" tione defendi librum. Ergo quo huic respōdi defendens,
" gratiam non contra naturam, sed per quem natura libera-
" tur & regitur, de natura & gratia nuncupaui. In quo verba
" quædam quæ velut Sixti Romani Episcopi & martyris
" Pelagius posuit, ita defendi tanquam reuera eiusdem Sixti
" essent. Id enim putaueram, sed postea legi Sixti Philosophi esse, non Sixti Christiani. Detecta itaque est per Hieronymum & Augustinum fraus Pelagij, & hæreticorum dolus. Quòd si Augustini testimonium pluris quàm Prudentij

poëtæ vel Maximi Taurinensis facere vis, vti æquum est, eandem planè historiam de Sixto déque Laurentio cõmemorat: venerabilem Sixtum apostolicæ sedis sacerdotio functum referés, summúmque Domini sacerdoté appellans; Ambrosij quoque testimonium, qui Sixti Episcopi Romani in martyrio constantiam laudat. Restat vt de Cypriano nunc dicam, qui suo ipse sanguine madefactus pro Christo aboleuit suas de lapsis opiniones & senteṫias mense Septembri proximè secuto, vt literas ad Successum verissimas fuisse constet. Sed Lactátij de Cypriano locum
„ subiungam, quem Hieronymus olim legit. Epistola enim
„ ad Magnum oratorem Romanum, Cyprianus, inquit, vir
„ & eloquẽtia pollens & martyrio, Firmiano narrante mor-
„ detur, quòd aduersus Demetrianũ scribés testimoniis vsus
„ sit prophetarum & apostolorum, quæ ille conficta & cõ-
„ mentitia esse dicebat; & non potius philosophorum &
„ poëtarum, quorum auctoritati vt ethnicus contraire
„ nó poterat. Lactátius igitur libro quinto de iustitia; Vnus,
„ inquit, præcipuus & clarus extitit Cyprianus, quoniam &
„ magnam sibi gloriam ex artis oratoriæ professione quæ-
„ sierat; & admodum multa conscripsit in suo genere mirá-
„ da. Erat enim ingenio facili, copioso, suaui, & (quæ sermo-
„ nis maxima est virtus) aperto; vt discernere nequeas, vtrũ-
„ ne ornatior in eloquendo, an facilior in explicádo, an po-
„ tentior in persuadendo fuerit. Hic tamé placere vltra ver-
„ ba, sacramentum ignorantibus nón potest, quoniam my-
„ stica sunt quæ locutus est, & ad id præparata, vt à solis fi-
„ delibus audiantur. Denique à doctis huius seculi, quibus
„ fortè scripta eius innotuerunt, derideri solet. Audiui ego
„ quendam hominem sanè sacrilegum, disertum, qui dum

immu-

" immutata vna litera Coprianum vocaret; quasi quòd ele-
" gans ingenium, & melioribus rebus aptum ad aniles fa-
" bulas contulisset. Quòd si accidit hoc ei, cuius eloquentia
" non insuauis est; quid tandem putemus eis accidere, quo-
" rum sermo ieiunus est, & ingratus; qui neque vim persua-
" dendi, neque subtilitatem argumentandi, neque vllã pror-
" sus acerbitatem ad reuincendum habere potuerũt? Quod iudicium Lactãtij equidem nõ magnifacio, potiores enim iudices habeo, Hieronymum & Augustinum, inferiores quidem ætate, sed acrioris iudicij notæque prudentiæ, qui Cyprianum beatissimum virum magnopere commendant.




DIONYSIVS.



CVM Romanam Ecclesiam vndecim annis Sixtus rexisset, Dionysius Episcopatum Romæ obtinuit, gẽtilis Dionysij illius Alexandrini Episcopi, qui per id tempus cõtra Sabellij hæreses acerrimè disputauit, ac Romano Episcopo Dionysio disputationes suas dicauit. Sic Eusebius in septimo historiæ suæ libro, & Hieronymus in vita Dionysij Alexandrini, meminit Dionysij Romanæ ecclesiæ presbyteri, eiusdémque postea episcopi vrbis. Quid de illo amplius dicam? Et benè, & sapienter gesto Episcopatu à nouẽ annis, successorem habuit re & nomine Fœlicẽ. Floruit sub Claudio & Aureliano. Hic quidẽ Aurelianus

ſæuus & ſanguinarius & crudelis fuit, ſororiſque filium interfecit, vt apud Aurelium Victorem reperio.



FOELIX.




E verò ſanctiſſime Fœlix quinquennio Romanam eccleſiam rexiſſe non dubium eſt: quando Euſebius proximus tui temporis id apertè prædicat. Vir fuiſti fide, vita, ſcientia clarus, & martyrio ſubeundo idoneus, vt euentus docuit. Id enim ſub Aureliano, quod negari non poteſt, ſeuero, truculento, vtque Flauij Vopiſci verbo vtar, ſanguinario principe, & Chriſtiani nominis acerbiſſimo hoſte, pro Chriſto conſtantiſſimè ſubiſti vt decebat Conſtantij filium, hoc enim patri tuo nomen erat. Itáque non immeritò Cyrillus Alexandrinus, & Vincentius Lirinenſis, qui ſub Cæleſtino primo vixere, te ſanctum martyrem appellant. Et Atticus ille Epiſcopus te producebat teſtem, Romanæque Eccleſiæ doctorem appellabat. Sententia Fœlicis ſanctiſſimi epiſcopi & martyris Romani de Incarnatione verbi & fide. Credimus in dominum noſtrum Ieſum Chriſtum ex virgine Maria natum, quòd hic eſt Dei æternus filius, & verbum, & non homo à Deo aſſumptus, vt alius ſit ab illo. Neque enim hominem ſuſcepit Dei filius, vt alius ab ipſo; ſed Deus exiſtens perfectus factus eſt, ſimul & homo perfectus, incarnatus ex virgine.

EVTICHIANVS.



OPPORTVNE accidit vt post Fœlicem Romanū Eutichianus Maximi filius ex Hetruria succederet, quasi alter Fœlix, id enim nomen sonat optimo interprete Græci vocabuli M. Tullio actione sexta in Verrem, cùm ait: Tertia est vrbs, quæ quòd in ea parte Fortunæ fanum antiquum fuit, Tyche nominata est. Ac sanè Gordiani Cæsaris constitutionem, Gallique & Volusiani ad Eutichianum reperio apud Iustinianum de negotiis gestis, & multo antè Antoninus Cæsar Læto secundùm & Cereale Coss. ad Eutichianum scripserat, eáque constitutio lib. 9. Cod. continetur. At hic noster idem nomen ferens, etsi alius numero, breuissimum tempus in Episcopatu transegit decem circiter menses, vt Marcellinus non multo post primùm infœlix, deinde fœlicissimus vrbis Episcopus designaretur. Sub Aureliano Cęsare Christianæ gentis inimicissimo mortuus dicitur. De quo viro nolo locum illum prætetire, qui est in vita eius apud Flauium Vopiscum: Est, inquit, epistola Aureliani de libris Sibyllinis. nam ipsam quoque indidi ad fidem rerum. Miror vos patres sancti tandiu de aperiēdis Sibyllinis dubitasse libris, perinde quasi in Christianorum ecclesia, non in templo deorum omnium tractaretis. Agite igitur, & castimonia pontificum, cæremoniisque solennibus iuuate Principem necessitate publica.

laborantem. Circa hoc tempus Iudæi, genus hominum superis æquè ac mortalibus inuisum, doctrinam suam, quæ est Talmuth, cœtu in Babylone cōgregato, composuere, duorum præcipuè opera. Hi fuere Rabina & Rab-Ase legis peritissimi, qui Euangelia Iesu Christi igni cremanda censuerunt, sed quàm immeritò hoc fecerint, ostēdit Hieronymus ex Iudæo Christianus, cuius libro sexto mētionem fieri moneo.



CAIVS.



" VTICHIANVS Caio, qui no-
" stra memoria viguit, Cleri ministeriū
" reliquit: cui cùm quindecim annos il-
" lud administrasset, à Marcellino suc-
" cessum est. Eusebius ad hunc modū loquitur libro septimo historiæ suæ. Dalmatam verò fuisse Caiúque filium, & gentilem Diocletiani Cæsaris interfectoris sanctorū manifestum est. Hoc principe Arnobius Afer apud suos, & in vicinis regionibus floruit. Ex cuius libro primo disputationum aduersus gentes duos tantùm locos annotare
" placuit: Vnum, quo ait: Trecenti sunt anni minus vel plus
" aliquid ex quo cœpimus esse Christiani, & terrarum in or-
" be censeri. Alterum, quo affirmat innumeros in Gallia & Hispania viuere Christianos. Suo verò tempore significat vniuersæ religionis homines capere noluisse atque intelligere, & quod personis infame erat vilibus crucis suppli-

cio interemptum, & Deum fuisse, & quotidianis supplicationibus adorari debuisse. Hæc libro primo aduersus gentes: simul in eo docet Christianos exui bonis, exterminari patriis sedibus, ipsis irrogari supplicia capitalia, torqueri eos, dilacerari, exuri, & ad extremum feris & belluarum laniatibus obiici. Ex secundo vero didici Petri cum Simone mago acerrimos Romæ congressus, quorum Ambrosius postea, aliique mentionem fecerunt.



MARCELLINVS.



VID te Marcelline accusant ij, qui abigei appellantur, & reum faciunt maiestatis diuinæ? metu quidem perterritus non quouis, sed qui in constantem virum cadere potuisset, inter carnifices positus multitudinem deorum adorasti. Sed metus non est diuturnus magister officij: nam reuersus ad te, agnouisti delictum tuum, & habita synodo squalidus & cilicio indutus pœnas tibi graues infligi pro inconstantia petiisti. Qui te damnaret, nemo inuentus est: cum dicerent omnes & Petro Christum dominum ignouisse, cum ipse illum negasset. ac reuersus Romam Diocletiani iussu ad supplicium rapitur. Itaque hunc vere Eusebius prædicat martyrio vitam finiisse. Sed Nicolaum Marcellini factum diserte explicantem epistola ad Michaelem Græcum Cæsarem au-


» dire præſtat. Tempore Diocletiani & Maximiani Augu-
» ſtorum, Marcellinus Epiſcopus vrbis Romæ, qui poſtea
» inſignis martyr effectus eſt, adeo cõpulſus eſt à paganis,
» vt in templum eorum ingreſſus, grana thuris ſuper prunas
» poneret. Cuius rei gratia collecto numeroſorum concilio
» Epiſcoporum, & inquiſitione facta, hoc ſe idem pontifex
» egiſſe confeſſus eſt. Nullus tamen eorum proferre in eum
» ſententiam auſus eſt, cùm ei ſæpiſſime omnes perhiberẽt,
» Tuo ore iudica cauſam tuam, non noſtro iudicio. & iterũ:
» Noli, aiunt, audiri in noſtro iudicio, ſed collige in ſinu
» tuo cauſam tuam. & rurſus: Quoniam ex te, inquiunt, iu-
» ſtificaberis, aut ex ore tuo condemnaberis. & iterum di-
» cunt: Prima ſedes non iudicabitur à quoquam. Iouium
Diocletianum Heracliúmque Maximianum ſuprà nomi-
nauimus, & nominandus eſt Decius Cæſar, quia conſti-
tutio eius multo antè publicata eſt ad Marcellinum, vide-
licet Nonis Mart. Decio Auguſto primùm & Grato Coſſ.
eáque extat & lib. 8. Codicis Iuſtinianei cõtinetur. Quod
idcirco dicimus, ne quis putet nomen hoc Marcellini Ro-
mano primùm Epiſcopo tributum impoſitúmve fuiſſe.
Sub hoc Principe viuebat Lactantius Firmianus Arnobij
auditor, de quo ſuprà dictum eſt. Ex huius libris locos ali-
quot exſcribã perſecutionis teſtes, ex libro quinto de iu-
» ſtitia: Ego, inquit, cùm in Bithynia oratorias literas acci-
» tus docerem, contigit vt eodem tempore Dei templum
» euerteretur, duóque extiterunt ibidem qui iacenti atque
» abiectæ veritati neſcio vtrum ſuperbius an importunius
inſultarent. Et eodem tempore quo iuſtus populus nefa-
riè lacerabatur, narrat philoſophum quendam in eadem
Bithynia tres libros euomuiſſe contra religionem, nomén-

„ que Christianum, sed alium eandem materiam mordacius scripsisse, qui erat tum è numero iudicum, & qui au„ctor imprimis faciendæ persecutionis fuit. quo scelere „ non contentus etiam scriptis eos quos afflixerat insecutus „ est, præcipuè tamẽ Paulum Petrúmque lacerauit, cæterósque discipulos tãquam fallaciæ seminatores, quos eosdem „ tamen rudes & indoctos fuisse testatus est. nam quosdam „ eorum piscatorio artificio fecisse quæstum. Et rursus La„ctantius eodem libro: Nostri, inquit, pueri & mulierculæ „ tortores suos taciti vincunt, & exprimere illis gemitum „ nec ignis potest. Et in eodem de iustitia libro: Vidi ego, „ inquit, in Bithynia Præsidem gaudio mirabiliter elatum „ tanquam barbarorum gentem aliquam subegisset, quòd „ vnus qui per biẽnium magna virtute restiterat, postremò „ cedere visus est. Contendunt igitur vt vincant, & exqui„sitos dolores corporibus immittunt, & nihil aliud deuitant quàm vt ne torti moriantur. Sed quid Lactantius prę„dixerit in libro de diuino præmio hic quoque subiiciam: „ Romanum nomen, quo nunc regitur orbis, horret ani„mus dicere (sed dicam, quia futurum est) tolletur de terra, „ & imperium in Asiam reuertetur. Id etsi nondum accidit, periculum est ne imposterum accidat. Occidentem enim videmus quotidie ruere & in deterius labi.

MARCELLVS.

POſt Licinium Valerianum interiectis annis ferè quinquaginta Diocletiano & Maximiano imperantibus acerbiſſima perſecutio exorta, quæ per decem continuos annos plebem Dei depopulata eſt. Qua tempeſtate omnis ferè ſacro martyrum cruore orbis infectus eſt: quippe certatim glorioſa in certamina ruebantur, multóque auidius tum martyria glorioſis mortibus quærebantur, quàm nunc Epiſcopatus prauis ambitionibus appetuntur, nullis vnquam magis bellis mundus exhauſtus eſt: neque maiore vnquam triumpho vicimus quàm cùm decem annorum ſtragibus vinci non potuimus. Sed finis perſecutionis illius fuit ab hinc annos nouem & LXXX. à quo tempore Chriſtiani Imperatores eſſe cœperunt. Namque tum Conſtantinus rerum potiebatur, qui primus omnium Romanorum principũ Chriſtianus fuit. Sanè tum Licinius, quia aduerſus Conſtantinum de Imperio certauit, milites ſuos litare præceperat, abnuentes militia reijciebat, ſed id inter perſecutiones nõ cõputatur. Hactenus Sulpitius Seuerus inter grauiſſimos ſuæ ætatis ſcriptores iure numerandus, vt infrà dicam. Sed ante eum Optatus Mileuitanus: Tempeſtas, inquit, perſecutionis peracta & definita eſt. Iubente Deo, indulgentiam mittente Maxentio Chriſtianis libertas eſt reſtituta. Horum verò principum temporibus Marcellus vixit Romanæ

manæ vrbis Episcopus, quem inter Pontifices eo libentius numero, quòd eum successisse Marcellino Optatus atque Augustinus tradidere. Quin idē Augustinus libro tertio contra Cresconium indicat Diocletianum Imperatorem VIII. & Maximianum VII. Consules fuisse, cùm edixerunt vt Christianorum libri flammis abolerentur: & quāuis eosdem criminis obnoxios putarent, legem tamen piā tulerunt 8. Id. April. ipsi quartùm & tertiùm Coss. qua obnoxios criminū digno supplicio subiectos sepulturæ tradi non vetuerunt. Impij ergo sumus Christiani, qui affecta vltimo supplicio fratrum corpora feris dilanianda exponimus.



EVSEBIVS.




EFERVNT iidem doctissimi viri Eusebium Episcopum vrbis successisse Marcello. Sed Eusebium anni vnius pontificem ex Nicephoro Constantinopolitano Episcopo fuisse scimus. Idem verò incidit in tempora Constātini Cæsaris, sub quo Christi nomen omni persecutione dimota fœliciter inclamari cœpit. Quam rem Lactantius Firmianus ita exequitur initio libri
» primi diuinarum institutionum: Quod opus nunc nomi-
» nis tui auspicio inchoamus Constantine Imperator ma-
» xime: qui primus Romanorum principum, repudiatis
» erroribus maiestatem Dei singularis ac veri & cognouisti

» & honorasti. Nam cùm ille dies fœlicissimus orbi terrarũ » illuxisset, quo te Deus summus ad beatum imperij culmẽ » euexit; salutarem vniuersis, & optabilem principatũ præ- » claro initio auspicatus es; cùm euersam sublatámque iu- » stitiam reducens, teterrimum aliorum facinus expiasti. » pro quo facto dabit tibi Deus fœlicitatem, virtutem, diu- » turnitatẽ: vt eadem iustitia qua iuuenis exorsus es, guber- » naculum Reipublicæ etiam senex teneas; tuísque liberis, » vt ipse à patre accepisti, tutelam Romani nominis tradas. » Nam malis, qui adhuc aduersus iustos in aliis terrarũ par- » tibus sæuiunt; quanto serius, tanto vehementius idem om- » nipotens mercedem sceleris exoluet: quia vt est erga pios » indulgentissimus pater, sic aduersus impios rectissimus iu- » dex. Cuius religionem, cultúmque diuinum cupiens defẽ- » dere, quem potius appellem, quem alloquar, nisi eum, per » quem rebus humanis iustitia & sapientia restituta est? Et » libro septimo de diuino præmio: Omnia iam sanctissime » Imperator figmenta sopita sunt, ex quo te Deus summus » ad restituendum iustitiæ domicilium, & ad tutelam gene- » ris humani excitauit. Quo gubernãte Romanæ Reipubl. » statum iam cultores Dei pro sceleratis ac nefariis non ha- » bemur. Nemo iam nobis Dei nomen exprobrat. Nemo » irreligiosus vlterius appellatur; qui soli omnium religiosi » sumus; quoniam contemptis imaginibus mortuorum, » viuum colimus & verum Deum. Sed Imperator Zeno » ad Sebastianum Præfectum prætorio hoc ipsum planẽ » testatur, cùm ait: Diuum Constantinum veneranda » Christianorum fide Romanum muniuisse imperium. Agnouit & Senatus populúsque Romanus fœlissimi principis religionem, & victorias Christo duce de hostibus

partas marmoreo arcu iuxta Colisæum complexus est, vbi hęc tum posita inscriptio se mihi legendam præbuit ante annos duos & viginti.

IMP. CÆS. FL. CONSTANTINO MAXIMO. P. F. AVGVST. S. P. Q. R. QVOD. INSTINCTV DIVINITATIS, MENTIS MAGNITVDINE, CVM EXERCITV SVO, TAM DE TYRANNO QVAM DE OMNI EIVS FACTIONE VNO TEMPORE IVSTIS REMP. VLTVS EST ARMIS, ARCVM TRIVMPHIS INSIGNEM DICAVIT.



MILTIADES.



NTE hunc Romanum Episcopum fuit qui Miltiadis nomē ferret Miltiades sub Commodo & Seuero Cæsaribus, à Tertulliano dictus ecclesiarū sophista, quòd egregiè & accuratè hæreticorum nomen disputādo confudisset. At hic noster non minus ecclesiæ Dei vtilem se præbuit. nam qui Donati in Africa à Casis nigris partes tuebantur, Lucianus, Dignus, Nassutius, Capito, Fidentius, & cæteri Imperatorem Constantium his precibus rogauerūt, quarum exemplum infrà scriptum est: » Rogamus te ô Constantine optime Imperator, quoniam de genere iusto es, » cuius pater inter cæteros Imperatores persecutionem non » exercuit, & ab hoc facinore immunis est Gallia. Nam in

» Africa inter nos & cæteros Episcopos contentiones sunt,
» Petimus vt de Gallia nobis iudices dari præcipiat pietas
» tua. Datæ à Luciano, Digno, Nassutio, Capitone, Fiden-
» tio, & cæteris Episcopis partis Donati. Quibus lectis, Cō-
» stantinus pleno liuore respondit. In qua responsione &
» eorum preces prodidit, dum ait: Petitis à me in seculo iu-
» dicium, cùm ego ipse Christi iudicium expectem. Et ta-
» men dati sunt iudices, Maternus ex Agrippina ciuitate,
» Rheticius ab Augustoduno ciuitate, Marinus Arelatensis.
» Ad vrbem Romam ventum est ab iis tribus Gallis, & ab
» aliis quindecim Italis. Cōuenerunt in domum Faustæ in
» Laterano, Cōstātino tertiùm & Licinio tertiùm Coss. sex-
» to Nō. Octobris die sexta feria. Cùm cōsedissent Miltia-
» des Episcopus vrbis Romæ, & Rheticius & Maternus &
» Marin⁹ Episcopi Gallicani; & Merocles à Mediolano, Flo-
» rianus à Cæsena, Zoticus à Quintiano, Stemnius ab Ari-
» mino, Fœlix à Florentia Tuscorū, Gaudētius à Pisis, Con-
» stantius à Fauētia, Proterius à Capua, Theophilus à Bene-
» uento, Sauinus à Terracina, Secundus à Præneste, Fœlix
» à tribus tabernis, Maximus ab Ostia, Euardus ab Vrsino,
» Donatianus à foro Claudii: His decē & nouem considē-
» tibus Episcopis, causa Donati & Cæciliani in mediū missa
» est à singulis. In Donatum sunt hæ sententiæ latæ. Quòd
» confessus sit se baptizasse, & Episcopis lapsis manum im-
» posuisse; quod ab Ecclesia alienū est. Testes inducti à Do-
» nato, confessi sunt se non habere quod in Cæcilianum
» dicerent, Cæcilianus omnium suprà memoratorum sentē-
» tiis innocens est pronunciatus, etiam Miltiadis sententia,
» qua iudicium clausum est his verbis. Cùm constiterit, Cę-
» cilianum ab iis qui cum Donato venerūt, iuxta professio-

» nem suam non accusari, nec à Donato conuictum esse in
» aliqua parte constiterit, suæ communioni ecclesiasticæ
» integro statu retinendum esse censeo. Sufficit ergo & Do-
» natum tot sententiis esse percussum, & Cæcilianum tanto
» iudicio esse purgatum. Et tamen Donatus appellandū esse
» ab Episcopis credidit, ad quam appellationem Constan-
» tinus Imperator sic respōdit, O rabida furoris audacia! si-
» cut in causis gentilium fieri solet, appellationem interpo-
» suerunt. Ex quibus Optati verbis colliges Miltiadem sub Constantino Episcopum vrbis fuisse, numeraríque primo loco inter Episcopos, & piā Constantini ipsius de appellatione temerè interposita sentētiam miraberis. Et multo magis Cōstantini ipsius ad Miltiadē pro causa Cæciliani Episcopi Carthaginensis elegātem epistolam, in qua Miltiadem Episcopū Romanū appellat. Ea verò est apud Eusebium libro decimo historiæ suę. Augustinus autem in epistolis narrat, cùm Miltiades ex sentētia collegarum suorum damnaret Donatum, Donastitis qui resipiscere vellent, ita pepercisse, vt sanitatis animi recuperandę liberam optionem iis fecerit, paratus communicatorias literas mittere iis quos à Maioriano ordinatos esse cōstaret, ita vt quibuscunque locis duo essent episcopi, cùm confirmari vellet qui fuisset ordinatus prior, alteri autem eorum plebs alia regenda prouideretur. De qua Miltiadis sententia sic
» exclamat: Quàm innocens, quàm integra, quàm prouida
» atque pacifica! ô virum optimum, ô filium Christianæ pa-
» cis, & patrem Christianæ plebis! Donatistæ tamen postea declamarunt in Marcellinum, Miltiadem eiúsque successorem Siluestrū, quos incredilibus calūniis insectati sunt, vt ait idem Augustinus in libro de vnico baptismo. At sy-


nodum sub Miltiade habitam diximus Constantino tertiùm Consule: cũ verò secũdùm consul esset, præclarissimã legẽ tulit, & verè Christianã, qua omnes iudices vrbanásq; plebes & cũctarum artiũ officia venerabili die solis quiescere iussit. Eam habes apud Iustinianũ in Codice legum imperatoriarum titulo de feriis. Itáque falsò Rabbi Iosephus Albo ait in explicatione articulorum legis Mosaicæ, Episcopum Romanum circiter quingentos annos post Christum loco sabbathi diem primum seruari iussisse. Sed quia Donastitæ quasi spreta Constantini auctoritate aduersus ecclesiam Catholicam vsque ad HONORIJ tempora rabiem suam exercuerũt, ne de iis amplius loquamur, intelligere
» præstat eorũ in Catholicos sæuitias & crudelitates ex actis
» cognitionis Carthaginensis habitæ iisdẽ Cæsaribus præ-
» sidẽte cõuentui Catholicorum & Donatistarum viro cla-
» rissimo Marcellino Tribuno & Notario. In ea igitur quod
» vult Deus Episcopus Cathol. Quis nesciat istos traditores
» persecutorésque nostros cõmentitiis precibus cunctis in
» nostrã necẽ huius seculi Principibus supplicasse, atque ad
» suam communionem contra Dei præcepta minis & pro-
» scriptionibus coartasse? Nã vt omittamus quãtus sanguis
» Christianus effusus sit per Leontium, Vrsacium, Macariũ,
» Paulum, Taurinum, Romanum cæterósque executores,
» quos in sanctorum necem à Principibus seculi meruerũt,
» quando plurimi venerabiles sacerdotes occisi, alij in exi-
» lium relegati, Christianitas latè vexata, stuprata virginitas,
» proscripti diuites, spoliati pauperes, ablata basilica at-
» que acti in fugam profugi sacerdotes, nostro nunc tem-
» pore quanta cõmiserint, nullus ignorat. Episcopis suggeſ-

» ſerunt exitia, Chriſtianis fugientibus præcipitia, oppreſſe-
» runt populos, prædati ſunt clericos, inuaſerunt baſilicas,
» intulerunt cõſentire nolentibus plagas, poſtremò in vno
» tantùm oppido Baiacenſi eorum cauſa multorũ Chriſtia-
norum ſanguis effuſus eſt, & nec ſic ſatiati in hodiernum
ceſſare contenti ſunt. Habita eſt autem cognitio tam
diligens támque exacta opera Marcellini illius iuriſcon-
ſulti, vt ab illo tempore Donatiſtarũ nullũ nomen, nulla
ſecta nulláque auctoritas fuerit. Atque hic eſt ille Marcel-
linus ad quem libri de Ciuitate Dei poſt captam Romam
irruptione Gothorum agentium ſub rege Alarico ſcripti
ſunt ab Auguſtino Hipponenſi Epiſcopo: quin diſputa-
tionẽ illá breuiſſimè cõplectitur eo libro quem Breuiculũ
appellat. ipſe enim cum Catholicis Epiſcopis interfuit. Ac
ne iterũ de Donatiſtis dicere cogamur, admonebimus le-
ctorem epiſtolam Conſtantini nuper repertam extare in
» hunc modum: Conſtantinus Auguſtus Ælaſio. Iam qui-
» dem antehac cùm perlatum fuiſſet ad ſcientiam meam, a-
» pud Africam noſtram plures veſanó furore, vanis crimi-
» nationibus, contra ſe inuicem ſuper obſeruantia ſancti-
» ſſimæ legis catholicæ diſſidere cœpiſſe, dirimendæ diſſen-
» ſionis huiuſmodi cauſa placuerat mihi vt ad vrbem Ro-
» mam tam Cæcilianus Carthaginenſis Epiſcopus, contra
» quem vel maximè vniuerſi ſæpe me conuenerant, quàm
» etiã aliqui ex his qui ei quædã obiicienda crediderãt, præ-
» ſentiam ſui exhiberent. Nam etiam ad ſupradictam vrbẽ
» noſtram Romam, quoſdam Epiſcopos ex Galliis ire præ-
» ceperát, vt tam hi pro integritate vitæ ſuæ atque laudabili
» inſtituto, ſed & ſeptem eiuſdem communionis, quàm e-
» tiam vrbis Romæ Epiſcopi, atque illi qui cum iiſdem co-


» gnoſcerent, poſſent rei quæ videtur eſſe commota, finem
» debitum adhibere. Quiquidem ea quæcunque in præſen-
» tia eorum fuerunt geſta, cuncta ad ſcientiam meam, etiam
» actis habitis retulerunt, verbo inſuper affirmantes, quòd
» iudicium ſuum pro rerum fuiſſet æquitate depromptum:
» eóſque potius cauſæ obnoxios eſſe dicentes, qui contra
» Cæcilianum quædam putauerunt commouere, adeo vt
» iſtum poſt iudicium habitum Africã ipſos remeaſſe pro-
» hiberent. Inde propter hæc omnia probabili rerum æſti-
» matione ſperauerunt, quòd omnibus omnino ſeditioni-
» bus & contentionibus, quæ aliis hominibus videbantur
» ſubitò commotæ, finis debitus fuiſſet impoſitus. Sed cùm
» dictationis tuæ ſcripta legiſſem, quæ ad Nicaſium & cæ-
» teros ſuper iiſdem ſimulationibus grauitas tua mittenda
» crediderat, euidenter agnoui, quòd neque reſpectus ſalu-
» tis ſuæ, neque quod eſt maius Dei omnipotentis venera-
» tionẽ, ante oculos ſuos velint ponere: ſiquidem ea agere
» perſiſtant, quæ non modò ad ipſorũ dedecus infamiam-
» que pertineant, ſed etiam his hominibus detrahendi dent
» facultatem, qui longè ab huiuſcemodi ſanctiſſima obſer-
» uantia ſenſus ſuos noſcuntur auertere. Nam id quoque te
» ſcire conuenit, quòd iidem venerunt, adferentes, quòd
» minus dignus idem Cæcilianus cultu ſanctiſſimæ religio-
» nis habeatur: & contra id quod iiſdem reſponderam, fru-
» ſtra eos id iactare: quippe cùm res fuiſſent apud vrbẽ Ro-
» mam ab idoneis ac probatiſſimis viris Epiſcopis termina-
» tæ, obnixè ac pertinaciter reſpondendum æſtimauerunt,
» quòd eorum omnis cauſa nõ fuiſſet audita, ſed potius iidẽ
» Epiſcopi quodam loco ſe clauſiſſent, & prout ipſis aptum
» fuerat, iudicaſſent. Quare cùm hæc tot & tanta nimium
obnixas

obnixas diſſenſiones protrahere peruiderem, ita vt nullo modo finis iiſdē dari poſſe videatur, niſi & Cæcilianus idē, & ex his qui contra eum diſſident, tres aliqui in iudicium eorum qui contra Cæcilianum ſentiunt, conſenſúmque debent ad Arelatēſe oppidum venire, iniūgendum ſolertiæ tuæ duxi, vt mox has literas meas acciperes, tum Cæcilianum ſupradictum cum aliquibus ex his quos ipſe delegerit, ſed & de Byzacenæ, Tripolitanæ, Numidiarum & Mauritaniarum prouinciis ſingulis quique aliquantos ex ſuis perducere debebunt, quos ipſi putauerint eligendos, ſed etiam aliquos ex his qui cōtra eundem Cæcilianū diſſentiunt, data euectione publica per Africam & Mauritaniam, inde ad Hiſpaniam breui tractu facias nauigare, & inde nihilominus huiuſmodi his in ſingulis Epiſcopis ſingulas tractorias tribuas, vt ipſi ad ſupradictum locum, intra diem kalendarū Auguſtarū poſſent peruenire: celeriter intimaturus iiſdem, vt, antequā proficiſcātur, debeant diſponere, quatenus abſentibus ipſis & diſciplina cōpetēs habeatur, & nulla fortè ſeditio vel aliquorum altercantiū, quæ ad maximum dedecus ſpectet, oriatur. De ſecreto plena cognitione ſuſcepta finis adhibeatur. Qui cùm præſentiam ſui exhibuerint, vniuerſi qui nunc in contentione eſſe noſcuntur, quíque non immeritò finem debent accipere maturum, vt protinus poſſint terminari atque componi. Nam cùm apud me cretum ſit te quoque Dei ſummi eſſe cultorem, confiteor grauitati tuæ quod nequaquam fas eſſe ducam, vt eiuſmodi contentiones & altercationes diſſimulentur à nobis, ex quibus forſitan commoueri poſſet ſumma diuinitas non ſolùm contra humanum genus, ſed etiam in me ipſum, cuius curæ nutu ſuo cęleſti ter-

„ rena omnia moderanda commiſit, & ſecus aliquid hacte-
„ nus incitata decernet. Tunc enim reuera & pleniſſimè po-
„ tero eſſe ſecurus: & ſemper de promptiſſima beneuolen-
„ tia potẽtiſſimi Dei proſperrima & optima quæque ſpera-
„ re, cùm vniuerſos ſenſero debito cultu catholicæ religio-
„ nis ſanctiſſimum Deum concordis obſeruantia fraterni-
„ tatis venerari.



SILVESTER.



VB eodem Cõſtantino magno Arrius erupit, qui conabatur docere filium Dei ex nullis ſubſtantiis factum eſſe, cuius doctrina niſi Nicæno Concilio à trecentis decem & octo Epiſcopis diſſipata fuiſſet, pectora multorum atque animos ſicut cãcer penetraſſet, vti Optatũ libro quarto tradere memini: Victor & Vin-
„ centius preſbyteri vrbis Romæ pro venerando viro & E-
„ piſcopo ſuo ſancto Siluestro ſubſcribere ſe teſtantur huic
„ ſanctæ Synodo, & ante cæteros Epiſcopos ſubſcribunt.
„ Cúmque è quamplurimis prouincijs orbis Epiſcopi
„ idem faciant, è prouincia Galliarum vnus tantùm interfuit. Is eſt Nicaſius Dinienſis, quem vel ob eam ſubſcriptionem cæteris Galliæ Epiſcopis præferre auſim, etſi is Epiſcopatus ex omnibus ferè Galliæ prouincijs minimus hodie quoque habetur, & paret Archiepiſcopo Eberodunenſi in Alpibus Coctiis. In Bibliotheca Photij Conſtantinopol. nondum edita reperio ſanctos illos viros Victo-

rem & Vincentium Romanos sacerdotes à Siluestro Pontifice Romano missos Nicenæ Synodo interfuisse, déque rebus in ea gestis historiam scriptam esse, quæ tres libros contineret. Quæ autem Arriani prædicabant, erant huiusmodi: Patrem domini instituendi orbis causa genuisse filium pro potestate sui ex nihilo in substantiam nouam atque alteram factum dominum nouum alterúmque, » fuisse autem tempus quo filius nō fuisset. Cuius mali cau- » sa, inquit Seuerus, Synodus apud Nicæam ex toto orbe » contrahitur: trecentis siquidem & duodeuiginti Episco- » pis congregatis fides plena conscribitur, hæresis Arriana » damnatur, Imperatórque decretum Episcopale comple- » ctitur. Sub eodem Constantino Rhetitius Heduorum, id » est Augustodunensis Episcopus celeberrimæ famæ habitus est in Gallijs. Hoc Hieronymus de illo prædicat: In quo quid reprehendat, epistola ad Marcellam indicat. „ Nuper cùm Rhetitij Augustodunensis Episcopi, qui „ quondam à Constantino Imperatore sub Siluestro Epis- „ copo ob causam Montensium missus est Romam, Com- „ mentarios in Cātica Canticorū perlegissem, quod Hebræi „ vocant Sir hasirim, vehementer miratus sum eloquentem „ virū præter ineptias sensuum superiorum Tharsis vrbem „ putauisse Tharsum, in qua Paulus Apostolus natus sit. Cōstātinopolitanum verò Cæsarem quem appellet notum est, quia Constantinus Byzantio vrbi Thraciæ nomē suum dedit, & deinceps noua Roma à principibus appellata est, vti à Iustiniano Cæsare. Eodem Constantino Imperante habita est Arelate synodus Episcoporum, in qua Siluestri mentionem factam video, & propter breuitatem „ hic inserendam putaui. Dilectissimo Papæ Siluestro Ma-


» rinus, Acratius, Natalis, Theodorus, Proterius, Vocius,
» Verus, Probatius, Cæcilianus, Faustinus, Surgentius, Gre-
» gorius, Retitius, Ambirausus, Termatius, Merocles, Par-
» dus, Adelfius, Hibernus, Fortunatus, Aristasius, Lampa-
» dius, Vitalis & Maternus, Liberius, Gregorius, Crescens,
» Auitianus, Dafnus, Orantalis, Quintasius, Victor, Epi-
» ctetus, in domino æternam salutem. Communi copula
» charitatis & vnitate matris Ecclesiæ Catholicæ vinculo in-
» hęrentes, ad Arelatensium ciuitatem piissimi Imperatoris
» voluntate adducti, inde te, gloriosissime Papa, cum merita
» reuerentia salutamus. vbi graues ac pernitiosos legi nostræ
» atque traditioni, effrenatæque mentis homines pertuli-
» mus, quos & Dei nostri præsēs auctoritas & traditio ac re-
» gula veritatis ita respuit, vt nulla in illis aut dicendi ratio
» subsisteret, aut accusandi modus vllus, aut probatio cōue-
» niret. Ideò iudice domino & matre ecclesia, quæ suos no-
» uit & comprobat aut damnati sunt, aut repulsi. Et vtinam
» frater dilectissime ad hoc tantum spectaculum interfuis-
» ses; tanti fecisses profectò credimus, quia in eos seuerior
» fuisset sententia prolata, & te pariter nobiscum iudicante
» cœtus noster maiori lætitia exultasset. Sed quoniam rece-
» dere à partibus illis minimè potuisti, in quibus & Aposto-
» li quotidie sedēt, & cruor ipsorum sine intermissione, Dei
» gloriam testatur: Non tamen hæc sola nobis visa sunt tra-
» ctanda frater charissime, ad quæ fueramus inuitati, sed &
» consulendum nobismet ipsis censuimus: & quum diuer-
» sæ sunt prouinciç ex quibus aduenimus, ita & varia cōtin-
» gunt quæ nos censemus obseruare debere. Placuit ergo
» præsente spiritu sancto & angelis eius, vt & his qui singu-
» los quos monebat iudicare, proferremus de quiete prçsen-

" ti. Placuit etiam antea, qui maiores diœceſeos tenes, per
" te potiſſimum omnibus inſinuari. Quid autem ſit quod
" ſenſerimus, ſcripto noſtræ mediocritatis ſubiunximus. At
" id primo in loco de vita noſtra atque vtilitate tractandum
" fuit, vt qui vnus pro multis mortuus eſt & reſurrexit, ab
" omnibus tempus ipſum ita religioſa mente obſeruetur,
" ne diuiſiones vel diſſenſiones in tanto obſequio deuotio-
" nis poſſint exſurgere. Cenſemus ergo Paſcha domini per
" orbem totũ vna die obſeruari. De his quoque quibuſcũ-
" que locis ordinati fuerint, miniſtri, in ipſis locis perſeue-
" rent. De his etiam agitur qui arma in pace proiiciunt, pla-
" cuit abſtineri eos à communione. De Circiſſariis agitato-
" ribus qui fideles ſunt, placuit eos quandiu agitant, à com-
" munione ſeparari. De theatricis ipſos placuit, quandiu
" agunt, & à cõmunione ſeparari. De his qui in infirmitate
" ſunt conſtituti, recedere volũt, placuit eis manũ imponi.
" De præſidibus autem qui fideles ſunt, & ad præſidiatum
" conſiliunt, ita placuit: vt cùm promoti fuerint, literas qui-
" dem accipiant eccleſiaſticas communicatorias, ita tamen
" vt in quibuſcunque locis geſſerint, ab Epiſcopis eiuſdem
" loci cura illis agatur: & ſi cœperint cõtra diſciplinam age-
" re, tunc demum à cõmunione excludantur. Et de his qui-
" dem, qui in Republ. agere volunt, ſimiliter. De Africa au-
" tem quòd propria ſua lege vtuntur, vt rebaptizent, placuit
vt ad eccleſiam ſi aliquis hæreticus venerit, interrogent
eum ſymbolum: & ſi peruiderint eum in patre & filio &
ſpiritu ſancto eſſe baptizatum, manus tantùm ei imponã-
tur: Quòd ſi interrogatus ſymbolum, nõ reſponderit Tri-
nitatem hanc, meritò baptizetur, &c. Tunc Tædiano iuſ-
ſit omnes ad ſedes ſuas redire. Huic Arelatẽſi primæ ſyno-

do Constantini primis temporibus habitæ Ambitausum Episcopum Remēsem interfuisse cum Primogenito diacono, eamque synodum à Marino Episcopo Arelatēsi recitatam delatámque beatissimo Papę Siluestro Consulib. Volusiano & Aniano Frodoardus Remensis egregius scriptor in vitis Pontificum Remensium narrat, ísque anno nongentesimo sexagesimo sexto mortuus est. De donatione verò Constantini, quæ Romanę Ecclesiæ facta existimatur, quia materiam iusto operi præbet, seorsim dicemus. Restat vt Nicolai primi testimonium de Siluestro apponam, quod vir ille eloquētissimus sic explicat
» epistola ad Michaëlem Græcum Imperatorem: Confessor
» Christi Siluester fecit gradus in gremio synodi, vt non
» presbyter aduersus episcopum, non diaconus aduersus
» presbyterum, non subdiaconus aduersus diaconem, non
» acolytus aduersus subdiaconem, non exorcista aduersus
» acolytū, nō lector aduersus exorcistā, non ostiarius aduer-
» sus lectorem det accusationē aliquam, neque præsul sum-
» mus à quoquam iudicabitur, quoniam scriptum est: Non
» est discipulus super magistrum. Christiana autem religio quantum debeat huic Siluestro & Constantino Magno ostendā testimonio ethnici hominis, & à Christiana pietate alieni. Is est Eunapius Græcus scriptor, qui vixit vsque ad Theodosium, & à Constantino scribit fana toto orbe augustissima euersa, & Christianorum ædificia extructa, ídque in Edesij philosophi vita tradit, & virus suum in monachos effundit, à quibus ait salita eorum capita, qui ob scelerum multitudinem à iudicibus extremo supplicio fuerant affecti, pro diuis ostentare, ijs genua flectere, eos in diuorum numerum recipere, ad illorúmque sepulchra

puluere & sordibus onusta ducere, & nonnullos martyres, diaconos alios, & legatos, arbitrósque peccatorum apud deos numerare, cùm fuerint seruitia infida, & flagris pessimè subdita, & quæ cicatrices scelerum, ac nequitiæ vestigia corporibus circumferrent. In eóque imitatus videtur insanam Zozimi historiam, Christianorum hostis infestissimi acerbissimíque. Postremò idem præclarissimus Imperator Constantinus Sexto Id. Iun. Sabino & Rufino Consul. Constitutionem misit ad Protogenem Græcum, vt videtur, Episcopum, ex qua quanti eum & cęteros omnes fecerit Episcopos, Christianus lector ex ipsis
" Constantini verbis ediscat: Iamdudum placuit vt in Eccle-
" sia Catholica libertatem domini suis famulis præstare pos-
" sint, si sub aspectu plebis assistentibus Christianorum an-
" tistitibus id faciant: vt propter facti memoriam vice acto-
" rum interponatur qualiscunque scriptura, in qua ipsi vice
" testium signent. Vnde à vobis quoque ipsis non imme-
" ritò dandæ & relinquẽdæ sunt libertates, quo quisque ve-
" strum pacto voluerit, dummodo vestræ voluntatis eui-
" dens appareat testimonium. Cuius Constitutionis verba Iustinian⁹ Codici suo inseruit in titulo de ijs qui in Ecclesiis manumittuntur. Illa quoque Cõstitutio eius ad religionem Christianam valde pertinet, quam de concubinis tulit, etenim ante id tempus sua matrimonio dignitas nõ
" erat. Imperator Cõstantinus ad populum. Nemini licentia
" concedatur constante matrimonio concubinam penes se
" habere. Dat. XVIII. Kal. Iul. Constantinis patre & filio Coss. Has quidem leges in gratiam Christianorum Constantinus tulit: sed posteri eius Christiana pietate magis cognita alias quoque sanxerunt, quarum vtilissimę fuerũt

» ex epistola Marci, quæ apud Athanasium reperitur, hic
» describenda putaui: Diligenter requirentes in sancto no-
» stræ & Apostolicæ sedis scrinio eadem quę sanctę recor-
» dationis prędecessori meo Siluestro sunt directa, septua-
» ginta sicut significasti capita inuenimus: Ipsa autem vobis
» propter auctoritatem & subscriptionem tantorum pa-
» trum & eius magis concilij minimè misimus, sed per ea-
» dem corámque apocrisariis vestris alia similia eundem nu-
» merum eadémque verba & ipsam subscriptionem conti-
» nentia vobis rescribere, & sub certa stipulatione & confir-
» matione mittere curauimus. Epistolam verò illam Marcus
» ait datam fuisse octauo Kalend. Nouemb. Nepotiano &
» Secundino viris clarissimis Coss.




IVLIVS



Arcvm illũ, qui primus Episcoporum vrbis Marci Euangelistæ nomen tulit, non apostoli, sed apostolici viri, vt aduersus Marcionem Tertullianus ait, nulla vnquam satis laudabit oratio. Hunc Iulij decessorẽ, vt cæteros omittam, Rufinus vir excellenti ingenio facit. Iulius itáque vrbis Romæ Episcopus fuit: cuius elegantiam, vitæ integritatẽ, doctrinam debemus admirari. Nam scripta ab eo est epistola, quam per presbyteros suos Elpidium & Philoxenum misit, plena facundiæ, plena grauitatis & sciẽtiæ iuris diuini. Cui diaconus Narcissus, Flaxillus,

Eusebius, Macedonius, Theodorus ex Antiochia responderunt: In qua fastus & arrogantia scribentium apparebat. Alias igitur literas ad eos per Gardianum Comitem misit, quibus meritò reprehenduntur, quòd Synodum nollent, quodque Athanasium Episcopum sanctissimum virum persequerētur innocentem. Sed eam epistolam, quia longior est, satis erit indicasse inter Athanasij opera reperiri. Quin & illud ex ea annotandum puto, annum integrum & dimidium humanissimè apud Iulium fuisse. Est & apud eundem Athanasium exemplar literarum Constantini iunioris datarum Treueris decimo quinto Kal. Iul. ad Catholicam ecclesiam Alexandrinam: qua significat se accepisse mandatum à Constantino patre sacræ memoriæ de restituendo sedi Alexandrinæ Athanasio, séque id facere & fieri velle. Sed ad Iulium reuertor. eius tanta fuit auctoritas, vt sub Cælestino lectæ sint in Ephesina synodo aliquot eius epistolæ, vt refert Vincentius Lirinensis, sanctũ Iulium vrbis Romæ Episcopũ dicens fuisse. Cyrillus quoque in Apologetico meminit Attici Constantinopolitanĩ Episcopi, qui Iulium Romanæ Ecclesiæ doctorem fuisse prædicabat. Et Photius Patriarcha Cõstãtinopolitanus Siluestrum ac Iulium illustrat & celebrat: Ecclesiæ Romanæ Antistites fuisse dicit epistola ad Michaëlem Bulgariæ principem, quæ apud Euthymium Græcum scriptorem reperitur.



LIBERIVS.



PISCOPVS Romanus quàm parum potuerit Conſtantio Cæſare, & quàm impiè eum Cæſar Roma decedere iuſſerit atque in exilium ire non voluntarium, docebit ſequens narratio, quam à teſtimonio Ammiani Marcellini or-
» diemur. Vrbem ęternam regēte Leon-
» tio, inquit, Liberius Chriſtianæ legis Antiſtes à Conſtan-
» tio ad comitatum mitti præceptus eſt, tanquam Impera-
» toris iuſſis & plurimorum ſui conſortium decretis obſiſtēs
» in re, quam breui textu percurram. Athanaſium Epiſ-
» copum eo tempore apud Alexandriam vltra profeſſio-
» nem altius ſe efferentem, ſciſcitaríque conatum externa,
» vt prodidere rumores aſſidui, cœtus in vnum quæſitus e-
» iuſdem loci multorum (ſynodus vt appellant) remouit à
» ſacramento quod obtinebat. Dicebatur enim fatidicarum
» ſortium fidem, quæve augurales portenderent alites, ſcien-
» tiſſimè callens, aliquoties prædixiſſe futura. Super his in-
» tendebātur ęi alia quoque à propoſito legis abhorrentia
» cui præſidebat. Hunc per ſubſcriptionem abiicere ſede ſa-
» cerdotali paria ſentiens cæteris iubente principe Liberius
» monitus perſeueranter renitebatur, nec viſum hominem
» nec auditum damnare nefas vltimum ſæpe exclamans, a-
» pertè ſcilicet recalcitrans Imperatoris arbitrio. Id enim ille
» Athanaſio ſemper infeſtus, licet ſcire impletum; tamen
» auctoritate qua potiores æternæ vrbis Epiſcopi firmari de-

„ ſiderio nitebatur ardenti. quo nõ impetrato, Liberius ęgrè
„ populi metu, qui eius amore flagrabat, cum magna diffi-
„ cultate noctis medio potuit aſportari. Verùm hic Hiſto-
ricus qui multitudinem deorum adhuc ſequebatur, eundẽ
Conſtantium iam mortuum breuiter perſtringit in hunc
„ modum lib. vigeſimo primo hiſtoriæ: Augebat etiam a-
„ maritudinem temporum flagitatorũ rapacitas inexpleta,
„ plus odiorum ei, quàm pecuniæ conferentium. Hócque
„ multis intolerantius videbatur, quòd nec cauſam aliquan-
„ do audiuit, nec prouinciarum indemnitati proſpexit, cùm
„ multiplicatis tributis & vectigalibus vexarentur. Erátque
„ ſuper his adimere facilis quæ donabat, Chriſtianam reli-
„ gionem abſolutam & ſimplicem anili ſuperſtitione con-
„ fundens: in qua ſcrutanda perplexius quàm componenda
„ grauius, excitauit diſſidia plurima, quæ progreſſa fuſius a-
„ luit concertatione verborum: vt cateruis Antiſtitum iu-
„ mentis publicis vltro citróque diſcurrẽtibus per ſynodos
„ quas appellãt, dum ritum omnẽ ad ſuum trahere conantur
„ arbitrium, rei vehiculariæ ſuccideret neruos. Voluit ergo
„ Conſtantius, vt niſi aduerſus Athanaſium ſubſcriberet Li-
„ berius Romanus præſul, in exilium mitteretur. Sed is vi-
„ dens ea quæ contra Athanaſium gerebantur, omnia pati
„ maluit, quàm aut veritatem aut cauſam illius prodere. qui
etſi non vſque ad finem exilij mala perpeſſus eſt, bienniũ
tamen exul fuit, quemadmodum ipſe Athanaſius atteſta-
tur apologia ſecunda quam pro ſe edidit, & epiſtola ad
ſolitariam vitam agentes rem totam ita fermè exequitur.
„ Arrianos ait non perperciſſe Liberio Epiſcopo, & Conſtã-
„ tium, cùm illum vellet allicere, miſiſſe Euſebium Eunuchũ
„ Romam, vbi cum Liberio colloquutus ſit his ferè verbis:

» Contra Athanasium subscribas placet Cæsari,& pro impe-
» rio iubet.Deinde munera & literas ostẽtans apprehensa Li-
» berij manu,Obtẽpera ait,Cæsari,& ista accipe.Cùm dona
» recuperasset,nihilominus Eusebius templum Apostoli Pe-
» tri ingreditur,ibíque ea ipsa munera collocat. Cuius rei
» cùm Liberius certior factus esset ab æditUo,dona illa vt vi-
» ctimam illicitam proiecit. Qua re cognita Constantius
» scribit Romam ad Pręfectum,vt Liberium aut dolo Roma
» seductum ad se in castra mitteret, aut certè vim in eo per-
» sequendo adhiberet. Trahitur itáque Liberius ad Constã-
» tium.quò cùm peruenisset,& magna dicendi libertate es-
» set vsus,in exilium ire iubetur. Vbi cùm biennium fuisset,
» tãdem minis mortis ad subscriptionem adductus est. Hęc
quidem Athanasius de Liberio scribit, coarguítque co-
gentis Constantij voluntatem & violentiam. Sed defen-
sionem Liberij quis melius exprimeret quàm Hilarius li-
bro aduersus Constantiũ,vbi ait: Vertisti deinde vsque ad
» Romam bellum tuum, eripuisti illinc Episcopum, & ô te
» miserum qui nescio vtrum maiore impietate relegaueris
» quàm remiseris! vel quàm ipse facit epistola ad Constan-
» tium, quæ sequitur: Gloriosissimo Constantio Augusto
» Liberius Episcopus. Opto,tranquillissime Imperator, vt
» mihi benignas aures clementia tua tribuat, quo possim
» mansuetudini tuæ mentis meæ propositum aperire. De
» Christiano etenim Imperatore & sanctæ memoriæ filio
» Constantini hoc ipsum sine cunctatione mereor impe-
» trare. Sed in eo me laborare intelligo, qui repetita satisfa-
» ctione placabilem etiam circa reos animum tuum in grã-
» tiam meam reuocare nõ possum. Seruio enim pietati tuæ
» iam dudum ad populum missus, me quidem quem patiẽ-


» ter omnia ferre necesse est, plurimum lacerat, sed animum
» tuum qui lenitati semper vacat, qui nunquam, vt scriptum
» est, in occasum diei iracundiam seruat, retinere circa me
» indignationē miraculo mihi est. Ego enim religiosissime
» Imperator tecum veram pacem requiro, quæ non sit ver-
» bis composita interna dispositione fallaciæ, sed præceptis
» euangeliorum rationabiliter cōfirmata: non Athanasij tā-
» tùm negotium, sed multa alia in medium venerant, pro-
» pter quæ concilium fieri mansuetudinem tuam fueram
» deprecatus, vt ante omnia, quod specialiter optat, mentis
» tuæ erga Deum sincera deuotio cum fidei causa, in qua pri-
» ma nobis spes est ad Deum, diligenter fuisset tractata: nec
» eorum qui nostram circa Deum obseruantiam mirari do-
» bent, possent finiri, & dignum fuerat Dei cultore, dignum
» Imperio tuo, quod Christi pietate regitur & augetur, spe-
» cialiter hoc ipsum pro reuerentia sanctę religionis, cui
» prudenter intentus es, clementiam tuam nobis ad hæc im-
» petranda præstare: sed multi Ecclesiæ membra lacerare fe-
» stinant, qui confinxerunt me literas suppressisse, ne crimi-
» na eius quem dicebantur condemnasse, apud omnes pa-
» terent: quas illas literas Episcoporum Orientalium, &
» Ægyptiorum, quibus in omnibus eadem in Athanasium
» crimina continebantur. At satis omnibus clarum est, nec
» quisquam negat nos Oriētalium literas intimasse, legisse
» Ecclesiæ, legisse Concilio: atque ad hæc etiam Orientali-
» bus respondisse, qui fidem & sententiam non commoda-
» uimus nostram. Quod eodem tempore septuaginta quin-
» que Episcoporum Ægyptiorum de Athanasio sententia
» repugnabat, quam similiter recitauimus atque insinuaui-
» mus Episcopis Italis. Vnde contra diuinam legem visum

" est etiam cùm Episcoporum numerus pro Athanasio ma-
" ior existeret, in parte aliqua commodare consensum. Hęc
" scripta, si Deo fidem debet Theosebius, qui missus fuerat,
" festinans ad Africam nobis reliquit, quæ tamē postea om-
" nia scripta ne ad impetrandum fortè concilium deessent,
" Vincentius qui cum cæteris legatus missus fuerat, Arelatū
" pertulit. Videt igitur prudentia tua nihil animum meum
" introisse quod Deo seruientibus non dignum fuerat co-
" gitare. Testis autem est mihi Deus, testis est tota cum suis
" membris Ecclesia, me fide, & me in Deum meum cuncta
" mundana, ita vt Euangelica & Apostolica ratio præcepit,
" calcare, atque calcasse, non furore temerario, sed consti-
" tuto atque obseruato iure diuino: atque in alio ministerio
" Ecclesiasticus viuens, nihil per iactantiam, nihil per gloriæ
" cupiditatem, quod ad legem pertinebat, impleui: atque
" ad istud officium, testis est mihi Deus meus, inuitus ac-
" cessi, in quo cupio quidem sine offensa Dei, quandiu in se-
" culo fuero, permanere: & nunquam mea statuta, sed Apo-
" stolica vt essent semper firmata & custodita perfeci, secu-
" tus morem ordinèmque maiorum, nihil addi Episcopatui
" vrbis Romæ, nihil minui passus sum; & illā fidem seruans,
" quæ per sucessionem tantorum Episcoporum cucurrit, ex
" quibus plures martyres extiterūt, illibatam custodiri sem-
" per exopto. Denique iam aperire meam causam pietati
" tuæ sollicitudo ecclesiastica, atque ipsa deuotio persuadet.
" Significant Orientales paci & nostræ velle coniungi. quę
" est pax clementissime Imperator, cùm sint ex partibus ip-
" sis quatuor Episcopi, Demofilus, Macedonius, Eudoxius,
" Martyrius, qui ante annos octo cùm apud Mediolanum
" Arrij hæreticam sententiam voluissent damnare, de con-

" cilio iratis animis exierunt. Horũ, si fas est, sententiis quale sit, aut quid habeat commodare consensum, æqualitas & clementia tua poterit æstimare. Non est nouum, quod non subtiliter & sub occasione nominis Athanasij attentatur. Manent literæ Alexandri Episcopi olim ad Syluestrum sanctæ memoriæ destinatæ, quibus significant ante ordinationem Athanasij vndecim tã presbyteros quàm etiam diacones, quòd Arrij hæresim sequerentur, se ecclesia eiecisse: ex quibus nunc quidam extra ecclesiam catholicam foris positi dicuntur, sibi cõciliabula inuenisse: quibus asseueratur etiam Georgius in Alexãdria per literas cõmunicare. Quæ ergo potest pax esse, tranquillissime imperator, si Episcopi vt nunc per Italiam factum est, cogantur talium sententiis obedire? Accipe aliud, quia trãquillitas tua patienter admittit. Manent legatorum literæ, qui ad clementiam tuam fuerãt destinati, quę nuper venerũt, quibus significãt propter turbationem quidem omnium Ecclesiarum se quidem ante succumbere sententiis Orientalium voluisse, proposuisse tamen conditionẽ, vt si iidem Arrij hæresim condemnassent, hoc genere se inclinati eorum sententiis obedire, placitum vt ipsi significant scriptura teste firmatur. Itur in concilium, accipiunt cum deliberatione responsa, Arrij doctrinam se damnare non posse, Athanasium, quod solum exigebãt, communione esse priuandũ. Hinc iam clementia tua hoc quoq; consideret, rectè catholicæ religionis iure seruato, an hominis causa debeat diligenter excusseq; tractari. Vnde iterum atque iterũ mansuetudinẽ tuam, animũ tuũ Deo deditum rogo per eius virtutem, qui se in defensione tua quãtus sis vniuersis mortalibus approbauit, habens ante oculos eius beneficia,

„ neficia, qui imperium tuum in omnibus regit. Hæc in cœ-
„ tu Episcoporum diligenter facit omni cum consideratio-
„ ne testari, vt pacatis per te Deo fauente temporibus, tran-
„ quillitate tua consentiente sic omnia discutiantur, vt quæ
„ fuerint iudicio sacerdotum Dei confirmata, cùm consti-
„ terit omnes in expositione fidei, quæ inter tantos Epis-
„ copos apud Niciam præsente sanctę memorię patre tuo
„ confirmata est, vniuersos consensisse, cum exemplo pos-
„ sent in posterum custodiri, vt ipse Saluator qui desuper
„ mentis tuæ propositum intuetur, in tanta rerum expedi-
„ tione lætetur; causam fidei & pacis etiam Reipublicæ ne-
„ cessitatibus non immeritò præposuisse. Ad exorandam i-
„ gitur mansuetudinem tuam, vt beneuolo animo allega-
„ tiones nostras audire digneris, fratrem & coëpiscopũ meũ
„ sanctum virum Luciferum cum Pãcratio, compresbytero
„ meo, & Hilario diacono placuit proficisci, quos credimus
„ de clementia tua ad pacem omnium Ecclesiarum catho-
„ licarum non difficulter posse concilium impetrare. Dei
„ omnipotentis clementia te nobis custodiat, clementissi-
„ me ac religiosissime August. Hîc facere non possum quin exclamem in Reges, qui nisi quod imperarint fiat, instar torrentium rapidè feruntur, & minus obsequentes volũtati suę impetu quodam & rabie proterunt, vt Constantiũ in Liberij causa fecisse suprà demõstrauimus. Si quis verò de Liberio plura nosse cupit, legat epistolam Basilij magni ad Occidentales Episcopos, vbi Liberiũ beatissimũ Episcopum appellat. sed cùm de eius exilio Hilarius loquitur;
» statim addit: Quos tu deinde in ecclesiam Tholosanam
» exercuisti furores? clerici fustibus cæsi, diacones plumbo
» elisi, & in ipsum vt sanctissimi mecũ intelligãt, in ipsum


» Christum manus missæ. Quibus verbis constanter sæuitiã arguit. At Iulianum, quem religiosum Cæsarem ad Constantium scribens appellat, ad gentiliũ errores postea conuersus quàm iniquus Christianus fuit? Hoc docent eius epistolæ, quæ extant. Hoc Gregorius Nazanzenus. Hoc innumeri auctores tradunt.



FOELIX II.



VID verò, de Fœlice dicam, qui Liberio absenti suffectus est Acacius Cęsariensis Episcopus tantùm sub Constãtio potuit, vt in Liberij absentis locum φήλικα Ἐπίσκοπον ῥώμης, id est fœlicem, vt Hieronymus loquitur, Episcopum Romæ constitueret: Et Rufinus proximus illorum temporum refert Fœlicem diaconum Liberij ab hæreticis ei fuisse subrogatum, nec tam sectæ diuersitate quàm cõmunionis & ordinationis conueniẽtia maculatũ. At Marcellinus Comes in Chronico ait, Antonio & Siagrio Coss. mense Octobri Damasum Romanæ Ecclesiæ excepto Liberio & Fœlice trigesimum quintum Episcopum anno pontificatus sui decimo octauo defunctum. Ac deinceps de singulis Pontificibus Romanis vsque ad Ioannem Hormisdæ successorem aliquid prȩclari narrat.



DAMASVS.



VNC Damaſum Epiſcopum & antiſtitem legis Chriſtianæ placet appellare, vt fecit Symmachus Præfectus vrbi epiſtola ad Theodoſium & Arcadium ſemper Auguſtos. Reſpondeat, ait lite-
» ris epiſcopi Damaſi, quibus aſſectatores
» eiuſdem religionis negauit vllam vn-
» quam contumeliam pertuliſſe. Credatur eius legis An-
» tiſtiti, quę læſa ſimulatur. Et paulò infrà: Sanè laudabili vi-
» ro Epiſcopo denegante vllum è ſuis aut carcere aut vincu-
» lis attineri, & officio eadem ſuggerente ignoro quos po-
» tiſſimum præceperitis abſolui. Tenēt quidem leges vario-
» rum criminum reos, ſed vt comperi à myſterio Chriſtia-
» næ legis alienos. Damaſus ergo meritò à nobis laudibus efferri poteſt, quē à Symmacho Chriſtianæ religionis hoſte laudabilē Epiſcopū dici videmus, & à Gratiano, Valentiniano & Theodoſio publica lege laudari. Sed Epiſtolæ illi ab Ambroſio Mediolanenſi Epiſcopo & à Prudentio viris clariſſimis grauiter & acutè reſponſum eſt. Verùm ad Epiſcopi dignitatē Damaſus quomodo peruenerit, operæpretium eſt narrare. Certè beatus Ambroſius epiſtola ad Valentinianū Cæſarem, ſanctū Damaſum ait Romanæ eccleſiæ ſacerdotem iudicio Dei electum fuiſſe: etſi aliter ſcribit Ammianus Marcellinus libro vigeſimo ſepti-
» mo: Damaſus & Vrſicinus, inquit, ſupra humanum mo-
» dum ad rapiendam epiſcopalē ſedem ardentes, ſciſſis ſtu-

„ diis aſperrimè cõflictabantur, advſque mortis vulnerúm-
„ que diſcrimina ad iamẽtis vtriuſq; progreſſis: quæ nec cor-
„ rigere ſufficiens Vincentius, nec mollire, vi magna coactus
„ ſeceſſit in ſuburbanum: & in concertatione ſuperauit Da-
„ maſus, parte quæ ei fauebat inſtante. Conſtátque in baſi-
„ lica Sicinini, vbi ritus Chriſtiani eſt conuenticulum, vno
„ die centum triginta ſeptem reperta cadauera peremptorũ:
„ efferatámque diu plebem ægrè poſtea delinitam. Neque
„ ego abnuo, oſtentationem rerum conſiderans vrbanarũ,
„ huius rei cupidos ob impetrandum quod appetunt omni
„ contentione laterum iurgari debere: cùm id adepti, futuri
„ ſint ita ſecuri, vt ditentur oblationibus matronarũ, proce-
„ dántque vehiculis inſidentes circumſpectè veſtiti, epulas
„ curantes profuſas, adeò vt eorum conuiuia regales ſupe-
„ rent menſas: qui eſſe poterant beati reuera, ſi magnitudine
„ vrbis deſpecta quam vitiis opponunt, ad imitationẽ An-
„ tiſtitum quorundam prouincialium viuerent: quos tenui-
„ tas edendi potandíque parciſſimè, vilitas etiam indumen-
„ torum & ſupercilia humum ſpectantia perpetuò numini
„ veríſque eius cultoribus vt puros commendát & verecun-
dos. Hunc Marcellinum hiſtoricum ſcio aſſertorem anti-
quę religionis deorũ. itáq; moneo nõ omnino ei credẽdũ:
credendũ tamen, contentio enim inter Vrſicinum & Da-
maſum, vter Epiſcopus crearetur ingẽs profectò fuit. Fue-
re & cędes plurimorum ciuium, quod negari non poteſt,
Rufino & Chriſtianis hiſtoricis id quoque referentibus.
Ad quod etiam tempus referendus eſt ille Auguſtini locus
libro ſexto cõtra Iulianum Pelagianæ ſectę hominem, de
„ conſtituendo Epiſcopo diſſenſionem populi Romani in-
„ ſultabundus obiectas. Et ſatis conſtat illis temporibus E-


" piſcopatum Romanum in pretio habitum. Nam Prætex-
" tatus qui deſignatus Conſul eſt, mortuus, homo ſacrilegus
" & idolorum cultor, ſolebat ludẽs beato Papæ Damaſo di-
" cere, Facite me Romanę vrbis Epiſcopum, & ero protinus
" Chriſtianus. Hæc ſunt Hieronymi verba in libello ad Pã-
machium contra Ioannem & Rufinum aſſertores Origenis. Quàm egregius verò & eruditus fuerit Damaſus, teſtatur idem Hieronymus in apologia contra Iouiniani hæreſim:
" Cùm, inquit, adhuc viueret ſanctæ memoriæ Dama-
" ſus, librum contra Heluidium de beatæ Mariæ virginita-
" te perpetua ſcripſimus. In quo neceſſe fuit nobis ad virgi-
" nitatis beatitudinem prædicandam multa de moleſtiis
" dicere nuptiarum. nam vir egregius & eruditus in ſcriptu-
" ris & virgo Eccleſiæ virginis doctor aliquid in illo ſermone reprehendit. Quam autem operam præſtaret Hieronymus Damaſo, hæc illius verba ex epiſtola ad Geruntiam oſtendent:
" Ante annos plurimos, inquit, cùm in chartis Ec-
" cleſiaſticis iuuarem Damaſum Romanę vrbis Epiſcopum,
" & Orientis atque Occidentis ſynodicis conſultationibus
" reſponderem, vidi duo inter ſe paria viliſſimorum è plebe
" hominum comparata: vnum qui viginti ſepeliſſet vxores:
" alteram quæ viceſimum ſecundum habuiſſet maritum, &
" extremo ſibi, vt ipſi putabant, matrimonio copulatos
" ſumma omnium expectatione virorum pariter ac fœmi-
" narum, poſt tantas rudes quis quem prius ſepulturæ effer-
" ret. Vicit maritus, & totius vrbis populo confluente coro-
" natus, & palmam tenens, adoranſque per ſingulos ſibi ac-
" clamantes, vxoris multinubæ feretrum præcedebãt. Quid
" dicemus tali mulieri? nempe illud, quod dominus Sama-
" ritanæ: Viginti duos habuiſti maritos, & iſte à quo ſepe-

» lieris non eſt tuus. Et memorabili facto atque euentui perſimile eſt epigramma Martialis, lib. 8. ſcriptum Domitiani temporibus in Fabium & Chriſtillam.

Effert vxores Fabius, Chriſtilla maritos:
Funereámque toris quaſſat vterque facem.
Victores committe, Venus: quos iſte manebit
Exitus, vna duos vt Libitina ferat.

Ad Damaſum redeo, quem vulgò exiſtimant deceſſorum ſuorum vitas ſcripſiſſe. At Hieronymus nihil tale loquitur in Damaſo ad Dextrum Præfectum prætorio. Da-
» maſus, inquit, Romanæ vrbis Epiſcopus elegans in verſi-
» bus componendis ingenium habuit, multáque & breuia
» metro edidit, & propè octogenarius ſub Theodoſio prin-
» cipe mortuus eſt. De Damaſo mortuo vt apparet loquitur, nec vllam mētionem facit editi ab eo libelli de vitis Epiſcoporum vrbis. quare non eſt veriſimile hunc libellum à Damaſo compoſitum, ſed eſt probabilius editum à Damaſo Portuenſi Epiſcopo, ad quem ab Euſebio Cremonenſi Hieronymi olim diſcipulo vita eius ſcripta dicitur, aut ab alio cognomini quicunque is fuit ſcriptum, at non à Damaſo Epiſcopo vrbis. nam quem egregium virum & eruditum Hieronymus prædicat libris atque epiſtolis aliquot ad eum datis, eum neceſſe eſſet valde imperitū dicere, qui inciderit in mille errata, quibus libellus ille eſt pleniſſimus. Multa enim ab eo dicuntur, quæ nullius ſinceri ſcriptoris teſtimonio probari poſſe manifeſtum eſt: ſtylúmque Damaſi Epiſcopi vrbis ne amplius dicam, diſſimilem eſſe, & multò nitidiorem apparet ex epiſtolis quas ipſe ad Hieronymum dedit. illæ enim extant, ac fidem faciunt eundem libellum eſſe degenerem, ſi Damaſi

esse dicatur. Tametsi hîc nolo cum ignaris & pertinacibus contendere. Frustrà enim pugnatur cum belluis. Huius Episcopi temporibus Theodosió Magno imperante concilium habitum est, centum & quinquaginta Episcoporum aduersus Macedonium impiè sentientem de Spiritu sancto, & Damasus recitante Photio decreta illa confirmauit. Sed de Damaso satis dictum sit.



SIRICIVS.

QVA ætate Episcopatum Romæ obtinuerit Siricius, quis magis scire potest quàm Optatus Mileuitanus in Africa Episcopus? Negare, inquit, non potes Parmeniane, scire te in vrbe Roma Petro primo cathedram episcopalem esse collatam, in qua sederit omnium Apostolorum caput Petrus, cui successit Linus, Lino successit Clemens, Clementi Anacletus, Anacleto Euaristus, Euaristo Sixtus, Sixto Thelesphorus, Thelesphoro Iginus, Igino Anicetus, Aniceto Pius, Pio Soter, Soteri Eleutherius, Eleutherio Victor, Victori Zepherinus, Zepherino Calixtus, Calixto Vrbanus, Vrbano Pontianus, Pontiano Antherus, Anthero Fabianus, Fabiano Cornelius, Cornelio Lucius, Lucio Stephanus, Stephano Sixtus, Sixto Dionysius, Dionysio Fœlix, Fœlici Eutychianus, Eutychiano Caius, Caio Marcellinus, Marcellino Marcellus, Marcello Eusebius, Eusebio Miltiades, Miltiadi Siluester, Siluestro Marcus, Marco Iulius, Iulio Liberius, Liberio Damasus,


" Damaso Siricius, qui hodie noster est socius. Hæc libro secundo aduersus Parmenianum tradit, eúmque secutus
" Augustinus in epistolis. Et à Siricio quidem oppugnatum
" scimus Photinũ, cuius error pectora multorum sicut can-
" cer penetrauerat. De quo idem Optatus lib. 4. aduersus
" eundem Parmenianum: Photinus, ait, præsentis tempo-
" ris hæreticus, filium Dei ausus est dicere tantummodo ho-
" minem fuisse, non Deum. Pari studio Siricius per fratres & presbyteros suos Crescentem, Leopardum & Alexandrum viros religiosos scripsit epistolam Mediolanensi Ecclesiæ, qua significat omnium tam presbyterorum & diaconorum, quàm totius Cleri fuisse sententiam, vt Iouianus, Auxentius, Genialis, Germinator, Fœlix, Prontinus, Martianus, Ianuarius & Ingeniosus, qui auctores nouę hæresis & blasphemiæ de nuptiis inuenti essent, diuina sententia & suo iudicio in perpetuum damnati extra Ecclesiam remanerent. Illa autem hæresis cuiusmodi fuerit, ipsa epistola continetur. At Ambrosius cæteríque Episcopi Mediolanensis prouinciæ rescribunt, hac quidem præ-
" fatione vsi: Domino dilectissimo fratri Siricio Papæ Am-
" brosius Episcopus, Bassianus Episcopus, & cæteri. Iouia-
" num, Auxentium, Geminatorem, Fœlicem, Ianuarium,
" & Ingeniosum, quos sanctitas tua damnauit, scias apud
" nos quoque secundum iudicium tuum esse damnatos. In qua præfatione illud notandum puto, quòd Ambrosius & cæteri Episcopos se vocant, Siricium verò Papam. ac Hieronymus quidem in detectione nugarum Rufini:
" Sìricij, inquit, in Domino morientis profers epistolam,
" & viuentis Anastasij dicta contemnis? quasi dicat, fieri non potest vt cuius dicta contemnis, eius decessorem

magni

magni facias. Auxentij verò suprà memini, sed is nequitia impior fuit ei Auxentio qui sectæ Arrianæ studiosus Mediolanum & Catholicos omnes terruerat, de quo Hieronymus epistola ad Innocentiũ alium ab Innocentio vrbis
" Episcopo scribit ad hunc modum: Iam ad Euagrij no-
" men peruenimus, cuius ego pro Christo laborem si arbi-
" trer à me dici posse, non sapiam: si penitus tacere velim,
" voce in domino erumpente non possim. Quis enim va-
" leat digno canere præconio Auxentium Mediolani incu-
" bantem, huius excubiis sepultum pene antequam mor-
" tuum? Romanum Episcopum iam pene factionis laqueis
" irretitum, & vicisse aduersarios, & non nocuisse superatis? Porrò quid constituerit in Ecclesia Dei Alexander, quid Telesphorus, Victor, Zepherinus, quid Stephanus, quid Siluester, quid Miltiades, quid Fœlix, quid Vrbanus, quid Eutichianus, quid denique Siricius, Romanę Ecclesiæ prę-sules, præter Damasum historicum Valafridus Strabo libro de exordio & incrementis rerum Ecclesiasticarum statim post Ludouici Pij Cæsaris Imperium scripto diligenter exponit, & natalem eorum, mortémque Vsuardus libro quem ad Regem piissimum Carolum Augustum sapientissimum principem mittit, est breuissimè complexus.

NOMINA PONTIFICVM QVORVM VITA EXPONITVR LIBRO II.

Anastasius I.
Innocentius I.
Zozimus.
Bonifacius I.
Cælestinus I.
Sixtus III.
Leo I.
Hilarius.
Simplicius.
Fœlix III.
Gelasius I.
Anastasius II.
Symmachus.
Hormisda.
Ioannes I.
Bonifacius II.
Ioannes II.
Agapitus I.
Siluerus.
Vigilius.
Pelagius I.
Ioannes III.
Benedictus I.
Pelagius II.
Gregorius I.
Sabinianus.
Bonifacius III.
Bonifacius IIII.
Deusdedit.
Bonifacius V.
Honorius I.
Seuerinus.
Ioannes IIII.
Theodorus I.
Martinus I.
Eugenius I.
Vitalianus.
Adeodatus.
Donus I.
Agatho.



LIBER SECVNDVS.

ANASTASIVS.



IC liber quadraginta Episcopos cótinebit; quorum primus erit Anastasius. Sanè lumen & splendor Africæ suæ Augustinus epistola quam suo & Alipij ac Fortunati Episcoporú nominibus scribit dilectissimo fratri Generoso, vbi Romanos Episcopos à Petro eo ordine numerauit, quo Optatus recensuerat vsque
" ad Siriciú, Siricio, inquit, Anastasius successit. Anastasium verò quanti Paulinus fecerit, docebit epistola ad Delphi-
" num in Gallia Episcopum his quidem verbis: Sciat vene-
" ratio tua sanctum fratrem tuum Papam vrbis Anastasiú
" amantissimum esse humilitatis nostræ. Nam vbi primùm
" potestatem charitatis suæ nobis offerendæ habere cœpit:
" non solùm suscipere eam nobis, sed ingerere piissima
" affectione properauit. Nam breui post ordinationem
" suam epistolas de nomine nostro plenas & religionis &
" pietatis & pacis ad Episcopos Campaniæ misit: quibus &
" suum declararet affectú, & aliis benignitatis suæ præberet
" exemplum. Deinde nos ipsos Romæ quum solenni con-
" suetudine ad beatorum Apostolorú natalem venissemus,

» tam blandè quàm honorificè excepit. Postea quoque in-
» terposito tempore etiam ad natale suum, quod cum sacer-
» dotibus suis tantùm deferre solet, inuitare dignatus est:
» nec offensus est excusatione nostra, sed officium sermonis
» nostri quod inuicem reddideramus, acceptás, animo nos
» paterno & absentes recepit. Denique si Dominus cõmea-
» tum donauerit, vt ad eum vsitato solẽniter nobis tempo-
» re recurramus; spero me ad sanctitatem tuam ei literas exa-
» cturum, quibus etiam tibi nos incipiat commendare. Ac
sanè epistolæ istius verba indicant Anastasium magni húc
Paulinum fecisse, nec sine causa. Extat enim de eo elegans
Ambrosij locus in epistolis laudes eius verissimas cõple-
» tens his verbis: Ambrosius Sabino Episcopo. Paulinum
» splendore generis in partibus Aquitaniæ nulli secundum,
» venditis facultatibus tam suis quàm etiam coniugalibus,
» in hos se induisse cultus ad fidem comperi, vt ea in paupe-
» res cõferat quæ redegit in pecuniam, & ipse pauper ex di-
» uite factus tanquã deoneratus graui sarcina, domui, patrię,
» cognationi quoque valedicebat, quo impensius Deo ser-
» uiat. Elegisse autem secretum affirmatur Nolanæ vrbis, v-
» bi tumultũ fugitans, æuum exigat. Matrona quoque (The-
» rasia) virtuti & studio eius proximè accedit, neque à pro-
» posito viri discrepat. Denique trãscriptis in aliorũ iura suis
» prædiis, virum sequitur, & exiguo illic coniugis conten-
» ta cespite solabitur se religionis & charitatis diuitiis. So-
» boles eis nulla, & ideò meritorũ posteritas desiderata. Hęc
» vbi audierint proceres viri, quæ loquentur? ex illa familia,
» illa prosapia, illa indole, tanta præditum eloquentia mi-
» grasse à Senatu, interceptã familiæ nobilis successionem,
» ferri hoc non posse. Et cùm ipsi capita & supercilia sua ra-

dant, ſi quando Iſidis ſuſcipiunt ſacra, ſi fortè Chriſtianus vir attentior ſacroſanctæ religioni veſtem mutauerit, indignum facinus appellant. Sed & Hieronymi epiſtolę & Auguſtini aliorúmque nobis fidem faciunt, Paulinum virum ſanctiſſimum fuiſſe. Non immeritò itaque Anaſtaſius illum vnicè dilexit. Sed de Anaſtaſij breui pōtificatu, déque rebus ab eo geſtis quoſdam inſignes Hieronymi locos nō debeo prætenire; vnum ex Epiſtola ad Geruntiā: Succedit in pontificatum vir inſignis Anaſtaſius, quem diu Roma habere non meruit, ne orbis caput ſub tali Epiſcopo trūcaretur. Immò idcirco raptus atque trāſlatus eſt, ne ſemel latam ſententiam precibus ſuis flectere conaretur. De obſidione vrbis, déque eius expugnatione & calamitate loquitur, quam eadem epiſtola ipſe deſcribit. Alterum locum ex epiſtola ad Demetriadem virginem, qui ſic habet: Dum eſſes paruula, & ſanctæ & beatæ memoriæ Anaſtaſius epiſcopus Romanā regeret eccleſiā, de Orietis partibus hęreticorū ſæua tempeſtas ſimplicitatē fidei, quæ Apoſtoli voce laudata eſt, polluere & labefactare conata eſt. Sed vir ditiſſimæ paupertatis, & Apoſtolicæ ſolicitudinis ſtatim noxium perculit caput, & ſibilantia Hydræ ora compeſcuit. Et fuiſſe Romæ Anaſtaſij tempore chartarium eccleſiaſticum fatebuntur ij qui legerint apud Hieronymum in detectione nugarum Rufini: Si à me fictam epiſtolam ſuſpicaris, cur eam in Romanæ eccleſiæ chartario non requiris? vt cùm eam deprehenderis ab Epiſcopo non datam, manifeſtiſſimi criminis reum teneas? Sub hoc Pōtifice, quem prudentiſſimū Hieronymus appellat, Rufinus ſcribit apologiam, qua ſancto illi viro ſatisfacere nititur. nam his omnino verbis contra Rufinum Hierony-

" mus vtitur. Et Rufinus epiſtola ad Anaſtaſiũ vrbis Romæ
" epiſcopum: Tua quidẽ ſanctitas velut ab ipſis incunabulis
" per eccleſiaſticæ traditionis regulas inſtituta eſt, inquit. Igitur ab vtroque tantæ vrbis ſacerdos laudibus effertur. Equidem inter hos tales tantóſque viros quales Hieronymus & Rufinus fuere, miror potuiſſe exoriri tã graues inimicitias, tam acerba odia, denique tantam contumeliam verborum, niſi ſimilitudo ſtudiorũ id fecit, quæ plerumque ſolet etiam inter amicos inuidiam ſerere. De Hieronimo poſteà dicemus. At Rufinum preſbyterum verè ſanctum & piè doctum, & ob id ſibi chariſſimum Paulinus epiſtola ad Sulpitium Seuerum dicit fuiſſe. Verùm quia in epiſtola ad Oceanum hæc Hieronymi verba in beatiſſimi Martini vita legimus commemoraſſe Sulpitium: ſi quis fortè erit cui eiuſdem ſacra hiſtoria probabitur, vt probari eam neceſſe eſt doctis omnibus & eruditis viris, legat Paulini epiſtolas aliquot ad eum ex præſtanti iuriſcõſulto & Burdigalæ patrono cauſarum, benignũ ac mitẽ Theologum; tum intelliget quanti hũc virum fieri oporteat, quo nullus mea quidem ſententia Chriſtianus hiſtoricus debet ſuperior videri, ſeu ob ſubiectã materiam, ſeu ob ſcribendi grauitatem, nemóque Chriſtianorum propius illo acceſſit ad Saluſtianam breuitatẽ & elegantiam. Et quamuis hic Crucis Chriſti ab Helena Conſtantini matre adinuentæ meminit, tamen alium fuiſſe puto Seuerum illum qui Bucolicum carmen in honorem Crucis penè diuinum exarauit, quod Burdigalę in patria eius de quo antè diximus, nuper à doctiſſimo ſene Helia repertum eſt hac verborum forma.

CARMEN SEVERI SANCTI, ID EST, ENDELEICHI, RHEtoris de mortibus boum.

Ægon, Buculus, Tityrus.



Ae. *VIDNAM, soliuagus, Bucule, tristia*
Demissis grauiter luminibus, gemis?
Cur manant lacrimis largifluis genæ?
Fac, vt norit amans tui.
Bu. *AEgon, quæso, sinas alta silentia*
AEgris me penitus condere sensibus.
Nam vulnus referat, qui mala publicat:
Claudit, qui tacitum premit.
Ae. *Contrà est, quàm loqueris: recta nec autumas.*
Nam diuisa, minus sarcina fit grauis:
Et quicquid tegitur, sæuius incoquit.
Prodest sermo doloribus.
Bu. *Scis, AEgon, gregibus quàm fuerim potens:*
Vt totis pecudes fluminibus vagæ
Complerent etiam concaua vallium,
Campos, & iuga montium.
Nunc lapsæ penitus spes opis est meæ:
Et longus peperit quæ labor omnibus
Vitæ temporibus, perdita biduo.
Cursus tam citus est malis.
Ae. *Hæc iam dira lues serpere dicitur.*
Pridem Pannonios, Illyricos quoque,
Et Belgas grauiter strauit: & impio

Cursu nos quoque nunc petit.
Sed tu qui solitus nosse salubribus
Succis, perniciem pellere noxiam:
Cur non, anticipans quæ metuenda sunt,
Admosti medicas manus?
Tanti nulla metus peruia signa sunt,
Sed quod corripit, id morbus & opprimit:
Nec languere sinit, nec patitur moras.
Sic mors ante luem venit.
Plaustris subdideram fortia corpora
Lectorum, studio quo potui, boum;
Queis mentis gemina consona tinnulo
Concentu crepitacula,
Ætas consimilis, sætáque concolor:
Mansuetudo eadem, robur idem fuit,
Et fatum. medio nam ruit aggere
Par victum parili nece.
Mollito penitus farra dabam solo:
Largis putris erat gleba liquoribus:
Sulcos perfacilis stiua tetenderat:
Nusquam vomer inhæserat:
Læuus bos subito labitur impetu;
Æstas quem domitum viderat altera.
Tristem continuò disiugo coniugem,
Nil iam plus metuens mali.
Dicto sed citius consequitur necem
Semper qui fuerat sanus & integer,
Tunc longis quatiens ilia pulsibus,
Victum deposuit caput.
Angor, discrucior, mæreo, lugeo.


Damnis

Damnis quippe tuis non secus, ac meis
Pectus conficitur. sed tamen arbitror
Saluos esse greges tibi.
Illuc tendo miser, quo grauor acrius.
Nam solamen erat vel minimum mali,
Si fetura daret posterior mihi,
Quod præsens rapuit lues.
Sed quis vera putet? progeniem quoque
Extinctam pariter, vidi ego cernuam
Iunicem grauidam. vidi animas duas
Vno in corpore perditas.
Hic fontis renuens, graminis immemor,
Errat succiduo bucula poplite,
Nec longum refugit: sed grauiter ruit
Leti compede claudicans.
At parte ex alia, qui vitulus modò
Lasciuas saliens texuerat vias,
Vt matrem subiit: mox sibi morbido
Pestem traxit ab vbere.
Mater tristifico vulnere saucia,
Vt vidit vituli condita lumina:
Mugitus iterans, ac miserè gemens,
Lapsa est, & voluit mori.
Tunc tanquam metuens, ne sitis aridas
Fauces opprimeret: sic quoque dum iacet,
Admouit moriens vbera mortuo.
Post mortem pietas viget.
Hinc taurus solidi vir gregis, & pater,
Ceruicis validæ, frontis & arduæ,
Lætus dum sibimet plus nimio placet,

Prato concidit herbido.
Quàm multis foliis silua cadentibus
Nudatur gelidis tacta aquilonibus:
Quàm densis fluitant velleribus niues,
Tam crebræ pecudum neces.
Nunc totum tegitur funeribus solum.
Inflantur tumidis corpora ventribus,
Albent liuidulis lumina nubibus.
Tenso crura rigent pede.
Iam circum volitant agmina tristium.
Dirarúmque auium.iámque canum greges
Insistunt laceris visceribus frui.
Heu! cur non etiam meis.
AEG. *Quidnam,quæso quid est,quod vario modo*
Fatum triste necis transilit alteros,
Affligítque alios?en tibi Tityrus
Saluo lætus agit grege.
BV. *Ipsum contueor. Dic age Tityre,*
Quis te subripuit cladibus his Deus?
Ut pestis pecudum,quæ populata sit
Vicinos,tibi nulla sit.
TIT. *Signum,quod perhibent esse Crucis Dei:*
Magnis qui colitur solus in vrbibus
Christus,perpetui gloria numinis,
Cuius filius vnicus;
Hoc signum mediis frontibus additum,
Cunctarum pecudum certa salus fuit.
Sic vero Deus hoc nomine præpotens
Saluator vocitatus est.
Fugit continuò sæua lues greges.

Morbis nil licuit. Si tamen hunc Deum
Exorare velis, credere sufficit.
Votum sola fides iuuat.
Non vllis madida est ara cruoribus,
Nec morbus pecudum cæde repellitur.
Sed simplex animi purificatio,
Optatis fruitur bonis.
Hæc si certa probas, Tityre, nil moror,
Quin veris famuler religionibus.
Errorem veterem diffugiam libens.
Nam fallax, & inanis est.
TI. *Atqui iam properat mens mea visere*
Summi templa Dei. quin age, Bucule,
Non longam pariter congredimur viam:
Christi & numen agnoscimus.
AE. *Et me consiliis iungite prosperis.*
Nam cur addubitem, quin homini quoque
Signum prosit idem perpete sæculo,
Quo vis morbida vincitur? ——

D.



INNOCENTIVS.



D explicandum hunc Romanum Pontificem, primum iuuabit elegans Hieronymi locus, epiſtola ad Demetriadem.
» Et quia vereor, inquit, immò ru-
» more cognoui, in quibuſdam adhuc vi-
» uere venenata plãtaria, illud te pio cha-
» ritatis affectu præmonendam puto, vti
» ſancti Innocentij, qui Apoſtolicæ cathedræ, & ſupradicti
» Anaſtaſij ſucceſſor, & filius eſt, teneas fidem; nec peregri-
» nam, quamuis tibi prudens callidáque videaris, doctrinam
» recipias.

Filium cùm dicit, nõ ita accipiendum eſt, ô Caluiniani ſegreges, quaſi prognatum ex illo, ſed optimis ad vitam bene informandam præceptis inſtitutum. Quo ſenſu Auguſtinus poſtea Eradium presbyterum, quem ſibi deſignat ac pronũciat ſucceſſorem, filium appellat. Notus quoque fuit Auguſtino Innocentius. nam epiſtola nonageſima quinta cùm ad eum ſcriberet ex ſententia collegarum de Pelagiana hæreſi iam damnata in conciliis duobus, Carthaginenſi & Mileuitano, petit nihilominus vt in
» vrbẽ Romam Pelagius citatus trahatur: A tua, inquit, ve-
» neratione acciẽdus eſt Romam, & diligenter interrogan-
» dus.

Apud eundem Auguſtinum in epiſtolis extant tres ad Innocentium, quem beatiſſimum & meritò venerabilem, & in Chriſto honorandum Papam vocãt, eúmque præcipuo Domini munere in ſede Apoſtolica collocatum teſtantur ſcriptæ à plurimis Africæ Epiſcopis, & viciſſim epi-


ſtolæ quatuor Innocētij ad eoſdem, quas breuitatis cauſa omittimus. Incidit verò Innocentius in optima tempora Imperatorum Gratiani & Theodoſij. Gratianum Ambroſius epiſtola ad eum ſcripta vocat Chriſtianiſſimum principum, eíque panegyricum dicit mortuo. Hic Luciano Vicario Macedoniæ ſcripſit, vt legem illam publi-
» cè recitari iuberet quadraginta diebus, qui auſpicio cære-
» moniarum Paſchale tempus anticipant, omnis cognitio
» inhibeatur criminalium quæſtionum. Theodoſij verò funus ornauit Ambroſius ſuaui planè & admiranda oratione. Ornauit & Paulinus libello, quē ipſe ſcripſit pro Theodoſio, mentionem faciens. Ornauit & Hieronymus epi-
„ ſtola ad Paulinum: Fœlix, inquit, Theodoſius, qui à tali
„ Chriſti; oratore defenditur. Illuſtraſti purpuras eius, & vti-
„ litatem legum futuris ſeculis conſecraſti. Et eadem epiſto-
„ la: Librum tuum quem pro Theodoſio principe pruden-
„ ter ornatéque compoſitum tranſmiſiſti, libenter legi, &
„ præcipuè in eo mihi ſubdiuiſio placuit, cúmque in primis partibus vincat alios, in penultimis te ipſum ſuperat. At Ambroſium deceſſiſſe etiam temporibus illis Rufinus virum omni admiratione dignum, non ſolùm Mediolanenſis Eccleſiæ, verùm etiam omnium Eccleſiarum columnam quandam & turrim inexpugnabilem eſſe dicens, atque affirmans ſancti Ambroſij adhuc præclaram vitæ memoriam in animis omnium vigere. Certè librorum quos Epiſcopus elaborauit, primos duos fuiſſe ad Simplicianum Eccleſiæ Mediolanenſis Antiſtitem, qui beatiſſimo ſucceſſit Ambroſio lib. 2. retractationum fatetur Auguſtinus. Et quis ignorat eſſe Simplicianum illum, de quo

Auguſtinus loquitur,ad quem extant tam multæ Ambro-
" ſij ipſius ſuauiſſimæ loquẽtis epiſtolæ? Sed ante Rufinum
" & Auguſtinum,Baſilius Magnus epiſtola ad Ambroſium:
" Virum, inquit,ex vrbe Regia, cui illius gentis principatus
" commiſſus erat,ſapientia ſublimem,generis claritate, vitæ
" ſplendore, ſcientiarum facultate & rebus ſecularibus illu-
" ſtrem,ad gregem Chriſti traxit.Atque ipſum Ambroſium
" rogat,vt infirmitatem populi corrigat,ſi qua Arrianæ ve-
" ſaniæ labe tinctus eſt. Et Ambroſius officiorum libro pri-
" mo:Ego,inquit,raptus de tribunalibus atque adminiſtra-
" tionis infulis ad ſacerdotiũ,docere vos cœpi,quod ipſe nõ
" didici. quibus verbis Baſilij teſtimonium confirmat. At
multis pòſt temporibus Nicolaus primus vrbis Romanæ
Epiſcopus in epiſtolis beatiſſimum Ambroſium, clariſſi-
mam & ſplendidiſſimam lucernam Eccleſiæ appellat. Phi-
laſtrium Brixiẽſem Epiſcopum Ambroſij temporibus vi-
xiſſe epiſtola ad Quod vult Deum Auguſtinus teſtatur,ſé-
que eum Mediolani cum ſancto Ambroſio vidiſſe,is con-
tra centum octo & viginti hæreſes quæ ab aduentu Chri-
ſti Eccleſiam naſcentem exercuiſſent,librum vtilem ne di-
cam neceſſarium ſcripſit. Innocentium ſub Theodoſio
fuiſſe ſuprà diximus, ſed tempora Honorij etiam attigit,
& illa infœlicia, quibus Roma Gothorum irruptione ſub
Rege Alarico atque impetu magnæ cladis euerſa eſt, vt
verbis Auguſtini vtar lib. 2. retractationũ. Sanè Zozimus
infeſtiſſimus genti Chriſtianæ de Innocentio vrbis Epiſ-
" copo lib. hiſtoriæ quinto hæc tradit. Tum verò perſuaſi
" Romanis Alaricum eſſe, qui bello vexaret vrbem; ac de-
" ſperatis omnibus, quæ vires humanas ſpectarent, ad ani-
" mos reuocabant eam opem, quam vrbs in diſſidijs olim

» fuiſſet experta, quídque patriis ritibus violatis eam amiſiſſent. Dum hæc ipſi ſecum expendunt, Pompeianus Pręfectus vrbi forte in quoſdam incidit, qui Romam è Tuſcia venerant, & oppidum quoddam aiebant, cui nomen Neuia, periculis vrgentibus ſe ſe liberaſſe, pérque preces ad numen factas, & cultum patrio more præſtitum, exortis ingentibus tonitruis atque fulgoribus, hoſtes ſibi iam imminentes abegiſſe. Cum his colloquutus, quæcunque de diſciplina ſacrorum eſſet exquirenda, percunctatus eſt. Et quoniam ad animum accedebat ei, quæ tunc inualuerat opinio: quo tutius id perageret, quod in votis habebat, omnia cum vrbis Epiſcopo communicat. Is erat Innocentius: qui quidem opinioni ſuæ ſalutem vrbis anteponens, clam permittebat eis, vt facerent, quæcunque ſcirent. Cùm illi non aliter hæc vrbi conductura dicerẽt, niſi publicè conſueta ſacrificia fierent; Senatu in Capitolium aſcendente, atque tum ibi, tum in foris vrbanis ſacra peragente: nemo particeps eſſe inſtituti patrio more ritus auſus fuit, ſed hominibus illis è Tuſcia valere iuſſis, ad demulcendum omni ſtudio barbarum ſeſe conuertebant.

Ex quibus verbis Innocentium fuiſſe vrbis Epiſcopum, & Pompeiano Præfecto vrbi cognitum apertè cognoſcimus. Denique vt hic finem faciam, Leo Epiſcopus vrbis Romæ, vir magnæ auctoritatis & ſcientiæ, epiſtola ad vniuerſos Epiſcopos per Campaniam, Picenum, Tuſciam & cæteras prouincias conſtitutos, data ſexto idus Octobris, Maximo ſecundùm & Paterno viris clariſſimis Conſulibus. Ne quid verò ſit, inquit, quod prætermiſſum à nobis fortè credatur, omnia decretalia conſtituta tam beatæ recordationis Innocentij, quàm omnium deceſſorum no-

ſtrorum, quæ de Eccleſiaſticis ordinibus & canonum promulgata ſunt diſciplinis, ita veſtram dilectionem cuſtodire debere mandamus, vt ſi quis illa contempſerit, veniam ſibi deinceps nouerit denegari. Nicolaus etiam primus magno vir ingenio ex Innocentio Papa deſcribit hūc
» locum: Fecerat, inquit, beatiſſimus Petrus præſentia cor-
» porali & Eccleſiam Antiochenam iam ſuam, quæ (ſicut
» beatus Papa dicit Innocentius) vrbis Romæ ſedi non ce-
» deret, niſi quòd illa in tranſitu meruit, iſta ſuſceptum quip-
» pe beatum Petrum apud ſe conſummatúmque gaudet.
De Alarico ſuprà diximus, à quo vrbs Roma obſeſſa ca-
» ptáque eſt: Verùm, inquit Oroſius, beatus Innocentius
» Romanæ Eccleſię Epiſcopus occulta prouidentia Dei a-
» pud Rauennam tunc poſitus peccatoris populi non vidit
» excidium. Denique eo mortuo quæ literæ à Pelagio Ro-
» mam miſſæ ſint, indicat Auguſtinus libro ſecundo de pec-
» cato originali contra Pelagium & Cæleſtium: Quomodo,
» inquit, Pelagius obrepere tentauerit ad fallendum etiam
» Apoſtolicæ ſedis Epiſcopale iudicium, in hac ipſa quæ-
» ſtione de baptiſmate paruulorum, diligenter attendite. In
» literis enim quas Romam miſit ad beatæ memoriæ Pa-
» pam Innocentium, quoniam eum in corpore non inue-
» nerunt, & ſancto Papæ Zozimo datæ ſunt, atque ad nos
» inde directæ, dicit ſe ab hominibus infamari, quòd neget
» paruulis baptiſimi ſacramentum, & abſque redemptione
» Chriſti aliquibus cælorum regna promittat. Sed non ſic
» illis hæc obiiciuntur vt poſuit.




ZOZIMVS.



Ozimi nomen veteribus cognitum oſtendit conſtitutio Diocletiani & Maximiani Cæſarum ad Zozimum data, multo ante quàm hic ad Põtificiam in vrbe dignitatem vocaretur: eáque conſtitutio continetur lib. 8. Cod. Iuſtiniani. Fuit verò Zozimus in purgandis hęreſibus Pelagianorum admirabilis prudentiæ. Auguſtinus libro retractationum: Poſteaquam, inquit, Pelagiana hæreſis cum ſuis erroribus ab Epiſcopis Eccleſiæ Romanæ, prius Innocentio, deinde Zozimo, cooperantibus Conſulum Romanorum literis conuicta atque damnata eſt, ſcripſi duos libros aduerſus eos, vnum de gratia Chriſti, alterum de peccato originali. Quem Diui Auguſtini locum Gennadius magis perſpicuum facit. Is enim ait Innocentium vrbis Romæ Epiſcopum ſcripſiſſe decretum Orientalium & Occidentalium Eccleſiarum aduerſus Pelagianos datum, quod poſtea ſucceſſor eius Zozimus latius promulgauit. Igitur pro Republica Chriſtiana hic Epiſcopus egregiè laborauit, vt non immeritò laudari Innocentium & Zozimum à Cæleſtino quoque videamus epiſtola ad dilectiſſimos fratres Venerium, Marcum, Leõtium & cæteros Galliæ Epiſcopos. Proſper quoque Aquitanus, proximus illius temporis, ſcripſit Concilio Carthagine habito ducentorum decem & ſeptem Epiſcoporum ad Pontificem Zozimum ſynodalia perlata: his probatis per totum orbem hæreſis Pelagiana damnata eſt. Nec ne-

cesse est quicquam amplius de eo dicere, nisi addiderimus sub Honorio mortuum esse Zozimum. Huius Episcopi iussu Augustinus ab Hippone Regio in Mauritaniam est profectus. Ipse enim in epistolis sic ait: Eo nos iniuncta nobis à Zozimo apostolicæ sedis Episcopo ecclesiastica necessitas deduxerat. At Zozimo superstes Augustinus fuit. Nam libro sexto cõtra Iulianũ: Beatæ memoriæ Zozimum apostolicę sedis Episcopum, vt in tua prauitate persistas, præuaricationis accusas: qui non recessit à suo prædecessore Innocentio, quẽ tu nominare timuisti, sed maluisti Zozimum, qui egit primitus lenius cum Cælestio: quoniam se in his sensibus vestris, si quid displiceret, paratũ esse dixerat corrigi, & Innocentij literis consensurum esse promiserat. Memento sanè quemadmodum de constituendo Episcopo dissentionem populi Romani insultabundus obiectas. Quod abs te quæro, vtrùm homines sua fecerint volũtate? Quod si negas, quomodo liberum defendis arbitrium? Si autem fateris, quomodo eam vocas vltionem Dei, atque à vestro dogmate exorbitas, dum putari diuinitus vindicatum affectas? an tandem aliquando concedis, quod obstinatissima contẽtione negaueras, occulto Dei iudicio fieri, vt in ipsis hominum voluntatibus inueniatur aliquid, quod & peccatũ sit & pœna peccati? Hoc enim nisi in ista tua sentẽtia sapuisses, nullo modo factum hominum vltionem Dei esse dixisses. Sed quando ante annos plurimos tale ibi quiddam de beato Damaso & Vrsicino contigit, nondum Pelagianos ecclesia Romana damnauerat.



BONIFACIVS.



ON prætereatur præclarum Bonifacij » factum, quod ipsius Augustini verbis » eloqui malo quàm meis. Nam in secũ- » do libro retractationum, Sequũtur, in- » quit, libri quatuor, quos contra duas e- » pistolas Pelagianorum ad Episcopum Romanæ ecclesiæ Bonifacium scripsi, » quia cùm in manus eius venissent, ipse mihi eas miserat, in- » ueni in illis calumniosè interpositum nomen meum. Bo- » nifacij igitur erga Augustinum amicitia eo facto ostendi- » tur, quòd tantum virum nollet malignè ab hostibus eccle » siæ lædi. Sed hoc planius intelligetur ex præfatione libri » primi contra epistolas Pelagianorum ad Bonifacium scri- » pti. Noueram te quidem, inquit, fama celeberrima prædi- » cante, & frequentissimis atque veracissimis nunciis, quan- » ta esses Dei gratia plenus, acceperam, beatissime atque ve- » nerande Papa Bonifaci: Sed posteaquam te etiam præsen- » tia corporali frater meus vidit Alipius, acceptúsq; à te be- » nignissimè ac sincerissimè, mutua miscuit dictante dile- » ctione colloquia, tecúmque conuiuens, & paruulo licet » tempore, magno tamen tibi iunctus affectu, se simul & » me refudit animo tuo, téque mihi reportauit in suo, tan- » to maior in me tuæ sanctitatis est facta notitia, quanto certior amicitia. Neque enim dedignaris qui nõ alta sapis, quamuis altius præsideas, esse amicus humilium, & amorem rependere impensum. Quid est enim aliud amicitia,

quæ non aliunde quàm ex amore nomen accepit, & nuſquam niſi in Chriſto fidelis eſt, in quo ſolo eſſe etiam ſempiterna ac fœlix poteſt? vnde accepta per eum fratrē, per quem te familiarius didici, maiore fiducia auſus ſum aliquid ad tuam beatitudinē ſcribere de his rebus quæ hoc tempore epiſcopalem curam, ſi qua in nobis eſt, ad vigilantiam pro grege dominico ſtimulo recentiore ſolicitāt. Noui quippe hæretici, inimici gratiæ Dei, quæ datur puſillis & magnis per Ieſum Chriſtum dominum noſtrum, & ſi iam cauendi euidentius apertiore improbatione mōſtrantur: non tamen quieſcunt ſcriptis ſuis minus cautorum vel minus eruditorum corda tentare. Quibus vtique eſſet reſpondendum, ne ſe vel ſuos in illo nefando errore firmarent, etiamſi metueremus ne quemquam Catholicorum veriſimili ſermone deciperent. Cùm verò non deſinant fremere ad dominici gregis caulas, atque ad diripiendas tanto precio redemptas oues, aditus vndecunque rimari, communíſque ſit omnibus nobis qui fungimur Epiſcopatus officio, quamuis ipſe in eo præemineas celſiore faſtigio ſpeculæ paſtoralis: facio quod poſſum pro mei particula muneris, quantum mihi dominus adiuuantibus orationibus tuis donare dignatur, vt peſtilentibus & inſidiantibus eorum ſcriptis medentia & munietia ſcripta prætendam, quibus rabies qua furiunt, aut etiam ipſa ſanetur, aut à lædendis aliis repellatur. Hæc autem quæ duabus epiſtolis eorum reſpondeo: vni ſcilicet quam dicitur Romam miſiſſe Iulianus, credo vt per illā quos poſſet, ſuos aut inueniret, aut faceret: alteri autem quam decem & octo velut Epiſcopi participes eius erroris, non ad quoſlibet, ſed ad loci illius Epiſcopum ſua calliditate ten-

" tandum, & ad suas partes, si posset fieri, traducendum, au-
" si sunt Thessolanicã scribere. Hæc ergo quæ istis, vt dixi,
" duabus epistolis illorum, ista disputatione respondeo, ad
" tuam potissimum dirigere sanctitatem, non tam discen-
" da quàm examinanda, & vbi forsan aliquid displicuerit,
" emendanda constitui. Indicauit enim mihi frater meus,
" quòd eas illi dare ipse dignatus es, quæ in tuas manus, nisi
" vigilantissima diligentia fratrum nostrorum, filiorum
" tuorum, venire non possent. Ego autem gratias sinceris-
" simæ in nos beneuolentiæ tuæ, quòd eas me latere nolui-
" sti literas inimicorum gratiæ Dei, in quibus reperisti no-
" men meum calumniosè atque euidenter expressum. Sed
" spero de domino Deo nostro, quòd nõ sine mercede quę
" in cælis est, illi me lacerant dente maledico, quibus me
" pro paruulis, ne fallaci laudatori Pelagio perditi relinquã-
" tur, sed veraci saluatori Christo liberandi offerantur, op-
" pono. De Augustino autem in Cælestino dicturi sumus.
Hic vero dicemus de Hieronymo, nã ita exigit temporũ
ratio vt primos prius exequamur. De quo idem Augusti-
" nus libro primo contra Iulianum Pelagianum: Nec san-
" ctum, inquit, Hieronymum, quia presbyter fuit, contem-
" nendũ arbitreris, qui Græco & Latino insuper & Hebræo
" eruditus eloquio, ex occidentali ad Orientalem transiens
" ecclesiam, in locis sanctis, atque in literis sacris, vsque ad
" decrepitam vixit ætatem, cuius nobis eloquium ab Oriẽ-
" te vsque ad Occidentem ad instar lampadis resplenduit.
" Hic omnes vel penè omnes qui ante illum ex vtraque par-
" te orbis de doctrina ecclesiastica scripserant, legit, nec a-
" liam de hac retenuit prompsitque sententiam. Hierony-
mus autem quantum abfuerit à temporibus Christi Iesu

" ipſe docet libro ſecundo cõtra Iouinianum: Quadringẽti
" fermè anni ſunt, inquit, quòd Chriſti prædicatio fulget
" in mundo, ex quo innumerabiles hæreſes tunicam illam
" conſciderunt. At parentes eius qui fuerint, in eius libris nõ inuenio. Materteram quidem Caſtrinam habuit, ad eámque extat epiſtola eius. Præceptorem nactus Donatũ, qui in Virgilium ſcripſit, Nazianzenum & Dydimum, magna illius temporis lumina, etſi alter eorum cæcus erat, magiſtros tamẽ ſuos appellat: ſed ob eam cauſam ridetur à Rufino, quòd totos triginta dies nõ fuerit Alexãdriæ vbi illi docebant. Habuit in Hebraicis literis Barhanina Iudæum mercede conductum. itáque non immeritò Ioſephus Albo Iudęus ſapientem interpretem legis Hieronymum appellat. Hieronymi quidem ætate, diutiſſimè enim vixit, fuligine & aranearum telis Romæ templa cooperta erant, vt ipſe agnoſcit epiſtola ad Athletam. At verò Baſilicas Chriſtianorum tres tantùm commemorat, Clemens obiit, inquit, tertio Traiani anno, & nominis eius memoriam vſque hodie Romæ extructa eccleſia cuſtodit. Duæ ſequẽtes ſunt baſilicę beati Petri, & Laterani, illius meminit ad Euſtochium de virginitate ſeruanda his quidem verbis: Vidi nuper nobiliſſimam mulierem Romanorum in baſilica beati Petri ſemiuiris antecedentibus propria manu quo religioſior putaretur, ſingulos nummos diſpertire pauperibus. Interea anus quędam annis pannísque obſita percurrit vt in alteram manum acciperet, ad quam cùm ordine perueniſſet, pugnus porrigitur pro denario, & tanti criminis reus ſanguis effunditur. Huius verò baſilicæ meminit in epitaphio Fabiolæ ad Oceanum, ſic enim ait. Cùm ante diem Paſchæ in baſilica quondam

Laterani qui Cæsariano trũcatus est gladio, staret Fabiola in ordine pœnitentium, Episcopo, presbyteris & omni populo collachrimãtibus, sparso crine, ora lurida & squallidas manus, sordida colla summitteret. De ministris verò & rebus ad sacra pertinentibus, personísque dicam breuiter quid sentiat, epistola quidem ad Liciniũ Bæticum: De sabbato, inquit, quod quæris vtrum ieiunandum sit, & de
» Eucharistia an accipienda quotidie, quod Romana eccle-
» sia, & Hispaniæ obseruare perhibentur, cætera omitto. Epistola autem ad Rusticum Narbonensem Episcopum docet primùm in clericis Fossariorum ordinem esse, qui sepelire mortuos admonentur. Secũdum Ostiariorum, qui claues tenent, tertium Lectorum ordinem esse, quartum Subdiaconorum, quintum in Diaconibus ordinem, sextum Seniorum, qui sacerdotibus datur, qui presbyteri dicuntur, qui præsunt ecclesiæ & Christi sacramenta conficiunt: septimum Episcopalem ordinem esse, qui primus & perfectus in cunctis est. Denique epistola ad beatissimum
» Papam Damasum, Ego, inquit, post lõgam ægrotationem
» vix in quadragesimæ diebus hoc fabricare potui, vbi dies quadraginta qui paschale tempus antecedunt, certè designat. Verùm quia basilicæ Lateranæ meminimus, & Hieronymus dixit illum Cæsariano truncatũ esse gladio, ne quis eum Christianum fuisse putet, omittam veteres scriptores, & in his Tacitum in Nerone, ac tantùm citabo locũ illum Iuuenalis poëtæ ex satyra decima:


Temporibus diris igitur iussúque Neronis,
Longinum, & magnos Senecæ prædiuitis hortos
Clausit, & egregias Lateranas obsidet ædes
Tota cohors..

Addam Arriani Nicomediensis philosophi librum primum, cuius testimonium proferre mihi post Arnobium
" licet. Apud Arrianũ igitur hęc omnino verba reperio: An
" verò abnuis ita porrigere ceruicẽ, vt ipsam Lateranus por-
" rexit Romæ, quum supplicio capitali à Nerone afficeretur?
" protẽso enim collo, cùm ictum accepisset imbecilliorem,
" quàm vt eo caput amputaretur, cùm parum se contraxis-
" set, iterũ porrexit ceruicem. Quin etiam priusquam extre-
" mo afficeretur supplicio, à Liberio Neronis Epaphrodito
" de coniuratione interrogatus, respondit: Si quid est
" quod volo, ipse dicam domino tuo. Hactenus Nicomediensis. At ex Optato diximus conuenisse Miltiadem vrbis Episcopum & cæteros collegas in domum Faustæ in Laterano. Fausta hæc Maximiani Herculij filia nupserat Cõstantino magno Cæsari. Vt autem ad Hieronymum ipse redeam, primùm moneo ipsum doctissimum hominem, appellari ab Augustino epistola ad Esychium, quod non leue virtutis testimonium est. Petitionem verò Augusti-
" ni à Hieronymo omittere non debeo. Petimus ergo, in-
" quit, & nobiscum petit omnis Africanarum ecclesiarũ
" studiosa societas vt interpretandis eorum libris qui Græ-
" cè scripturas nostras cùm optimè tractauerunt, curam at-
" que operam impendere non graueris. potes enim efficere
" vt nos quoque habeamus tales illos viros, & vnum potis-
" simũ quem tu libentius in tuis literis sonas. De vertendis
" autem in Latinam linguam sanctis literis canonicis labo-
" rare te nolo, nisi eo modo quo Iob interpretatus es, vt si-
" gnis adhibitis qui inter hanc tuam & septuaginta, quorũ
" est grauissima auctoritas, interpretationẽ distet appareat.
" Satis autem nequeo admirari, si aliquid adhuc in Hebræis
exempla-

exemplaribus inuenitur, quòd tot interpretes illius linguæ peritissimos fugerit. quin etiam idem Augustinus refert cùm quidã Episcopus legere instituisset interpretationem Hieronymi, monuisse quiddam lõgè aliter positum apud Ionam Prophetam, quàm erat omnium sensibus ibi, memoriæque inueteratum, & tot ætatum successionibus decãtatum: factúmque esse propterea tumultũ in plebe maximè Græcis arguentibus & inflamãtibus calumniam falsitatis, vt cogeretur Episcopus, ea quippe ciuitas erat, Iudæorum testimonium flagitare, vtrum autem illi imperitia aut malitia hoc esse in Hebræis codicibus responderunt, quòd & Græci & Latini habebant atque dicebant?



CÆLESTINVS.



ÆLESTINVM sanctissimum doctorem, & Romanæ sedis præsulem egregium, à Nicolao vibis Episcopo appellari in epistola ad Michaëlem Imperatorem Græcorum manifestum est. Sed quia Caluiniani vbique dubitant, excutiamus quæ de Cælestino vetustiores dixere. Primùm actione Palladij diaconi Germanum Altissiodorensem Episcopum vice sua mittit, vt deturbatis hæreticis Britannos ad catholicam fidem dirigat. Id ex Prosperi chronico referimus. deinde ex Vincentij Lirinensis qui tũc viuebat libello aduersus hæreses, scimus Concilium apud Ephesum celebratum esse viris clarissi-

mis Basso, Antiochóque Consulibus: vbi iure meritóque Nestorius Catholicæ veritati contrarius, beatus verò Cyrillus sacrosanctæ veritati consentaneus iudicatus est. Hoc Lirinensis habitum refert sub Cælestino, quem Papam vocat. Quinetiam epistolæ meminit, quam Gallorum sacerdotibus idem Cælestinus misit, arguens eorum conniuentiam, quòd antiquam fidem silentio destituentes, profanas nouitates exurgere paterentur. Meritóque, inquit, causa nos respicit, si silentio foueamus errorem. Ante eam synodum habitam à Christianissimis Imperatoribus Flauio Theodosio & Flauio Valentiniano, in qua sanctissimus Episcopus Alexandriæ Cyrillus locum obtinuit sanctissimi Archiepiscopi Romanorum Ecclesiæ Cælestini, decesserat Augustinus apud Hipponem Regium in Africa: Augustinus inquam per omnia excellētissimus. id enim elogium ei tribuit Prosper. Cælestinus verò epistola ad Galliæ Episcopos quàm magnificè ipsum honorat, effértque laudibus? Augustinū, inquit, sanctæ recordationis virum, pro vita sua atque meritis in nostra communione semper habuimus; nec vnquam hunc sinistræ suspicionis saltem rumor aspersit. quem tantæ scientiæ olim fuisse meminimus, vt inter magistros optimos etiam à meis semper prædecessoribus haberetur. Omitto Volusiani testimonium, qui virum probitatis, iustitiæque documentum eum appellat. Omitto Marcellini Comitis viri clarissimi, qui Augustinum Hipponensis Ecclesiæ elegantissimum Christi sacerdotem doctorémque præcipuū fuisse dicit. Extant autem Paulini & Therasiæ literæ ad Romanianum, quibus aiunt non tantùm gratulandum, quòd Episcopatum Augustinus acceperit, sed quod hâc

Dei curam meruerint Africanæ Ecclesiæ, vt verba cæle-stia Augustini ore perciperent, qui ad maiorem dominici muneris gratiam nouo more profectus, ita consecratus est, vt non succederet in cathedra Episcopo, sed accederet, Nam incolumi Valerio Hipponensi Episcopo coëpiscopus Augustinus est designatus: vt autem à Valerio Episcopatum acceperat, ita Eradium presbyterum sibi successorem delegit. Gloriosissimo Theodosio duodecimùm & Valentiniano Augusto iterum, Consulibus, vi. Kalend. Octobr. cùm Augustinus vnà cum Religiano & Martiniano coëpiscopis suis consedisset in Ecclesia pacis Hipponensium regionum: præsentibus Saturnino, Leporio, Barnaba, Fortunatiano, Rustico, Lazaro, & Eradio, presbyteris, Augustinus Episcopus dixit: quod hesterno die promisi charitati vestræ, propter quod vos volui frequentius conuenisse, mora postposita hoc agendum est. Si enim aliud velim loqui, in illud suspēsi minus audiretis. Omnes in hac vita mortales sumus, & dies huius vitæ vltimus omni homini est semper incertus: verumtamen in infantia speratur pueritia, & in pueritia speratur adolescentia, & in adolescentia speratur iuuentus, & in iuuentute speratur grauitas, & in grauitate speratur senectus: vtrùm contingat incertum est, est tamen quod speretur. Senectus autem aliam ætatem quam speret non habet: incertum est ipsa senectus quandiu sit homini: illud tamen certum est, nullam remanere ætatem quæ possit succedere senectuti, quia noluit Deus. Ad istam ciuitatem cum vigore ætatis adueni: sed tamen iuuenis fui, & senui. Scio post obitus Episcopòrum, per ambitiosos aut contentiosos solere Ecclesias perturbari, & quod sæpe expertus sum, & dolui: de-


" beo quantum ad me attinet, ne contingat, huic prospi-
" cere ciuitati, sicuti nouit charitas vestra in Mileuitana Ec-
" clesia modò fui: Petierunt olim me fratres (maximè serui
" Dei qui ibi sunt) vt venirem: quia post obitum beatæ me-
" moriæ fratris & Episcopi mei Seueri, nonnulla ibi pertur-
" batio timebatur, veni. Et quo modo voluit dominus, ad-
" iuuit nos pro sua misericordia, vt cum pace Episcopum
" acciperent, quem viuus designauerat Episcopus eorum.
" Hoc enim eis cùm innotuisset, voluntatem præcedentis
" & decedentis Episcopi sui libenter amplexi sunt. Minus
" tamen aliquid factum erat. Vnde nonnulli contristaban-
" tur; quia frater Seuerus putauerat sufficere, vt successorem
" suum apud clericos designaret, apud populum inde non
" locutus est. Erat inde aliquorum nonnulla tristitia. Quid
" plura? Deo placuit: tristitia fugata est; gaudium successit.
" Ordinatus est Episcopus, quem pręcedens Episcopus de-
" signauit. Ego ne aliqui de me querantur, voluntatē meam
" quam credo Dei esse, in omnium vestrum notitiam pro-
" fero: Presbyterum Eradium mihi successorem volo. A po-
" pulo acclamatum est, Deo gratias: Deo laudes. Dictum est
" vicies, ter Exaudi Christe. Augustino vita, dictū est sede-
" cies: Te patre, te Episcopo, dictum est octies. Cúmque
" reticerent, Augustinus Episcopus dixit: non opus est me
" de laudibus eius aliquid dicere. Faueo sapientiæ; & parco
" verecundiæ. sufficit, quia nostis eum etiam. hoc me velle
" dico, quod vos velle scio. Etsi ante nescirem, hodie pro-
" barem. hoc ergo volo. hoc à domino Deo nunc etiam in
" ætate frigida votis feruentibus posco: hoc vt mecum ore-
" tis exhortor, admoneo, rogo, vt omni in pace Christi col-
" latis & conflatis mentibus confirmet Deus quod opera-

» tus est in nobis. Qui misit mihi eum, seruet eum, seruet
» incolumem, seruet sine crimine, vt qui facit gaudium vi-
» uentis, locum suppleat morientis. A notariis Ecclesię sicut
» cernitis excipiuntur quę dicimus: Excipiuntur quę dicitis;
» & meus sermo & vestrę acclamationes in terram non ca-
» dunt. Apertius vt dicam, Ecclesiastica nunc gesta confici-
» mus. Sic enim hoc esse, quantum ad homines attinet, con-
» firmatum volo. A populo est acclamatum, Deo gratias:
» Christo laudes, dictum tricies sexies, Audi Christe. Augu-
» stino vita, dictum est quaterdecies: Te patre, te Episcopo,
» dictū est octies. Dignus & iustus est, dictum est vicies. Be-
» ne meritus, bene dignus, dictum est quinquies. Cúmque
» reticerent, Augustinus Episcopus dixit. Ego vt dicebam
» voluntatem meam & voluntatem vestram gestis Ecclesia-
» sticis, quantum ad homines attinet, confirmatam volo:
» Quantum verò ad latentem omnipotentis voluntatem,
» omnes vt simul oremus, vt confirmet Deus quod opera-
» tus est in nobis. A populo acclamatū est, Iudicio tuo gra-
» tias agimus. Dictum est sedecies, fiat fiat: dictum est duo-
» decies, Te patre, Eradium Episcopum, dictū sexies. Cúm-
» que reticerent, Augustinus Episcopus dixit: scio quæ sci-
» tis & vos, sed nolo defieri quod de me factum est; quid
» autem factum sit, multi scitis. Illi soli nesciunt, qui tūc aut
» nondum nati erant, aut nondum habebant ætatem scien-
» di. adhuc in corpore posito beatæ memoriæ patre & co-
» episcopo meo sene Valerio, episcopus ordinatus sum: &
» sedi cum illo. quod concilio Niceno prohibitum fuisse
» nesciebam, nec ipse sciebat. Quod ergo reprehensum est
» in me, nolo reprehēdi in filio meo. A populo acclamatum
» est, Deo gratias. Laudes Christo, dictum est quaterdecies.

» Cúmque reticerent, Augustinus episcopus dixit. Erit presbyter vt est: quando Deus voluerit futurus Episcopus. sed planè modò facturus sum adiuuante misericordia Christi, quod adhuc vsque non feci. Nostis ante aliquot annos quid facere voluerim, & non permisistis: & placuit mihi & vobis propter curam scripturarum, quam mihi fratres & patres mei coëpiscopi duobus cōciliis Numidiæ & Carthaginis impponere dignati sunt, vt per quinque dies nemo mihi molestus esset. Gesta confecta sunt: placuit: acclamastis. Recitatur placitum vestrum: & acclamatio vna est: paruo tempore seruatum est circa me: & postea violenter irruptum est: & non permittor ad quod volo vacare ante meridiem: post meridiem occupationibus hominum teneor. Obsecro vos & obstringo per Christum, vt huic iuueni, huic presbytero Eradio, quem hodie in nomine Christi designo Episcopum successorem mihi, patiamini me refundere onera occupationum mearum. A populo acclamatum est, Iudicio tuo gratias agimus: dictum es viciessepties. Cúmque reticerent, Augustinus Episcopus dixit, Ego charitati & beneuolentiæ vestræ apud dominum Deum nostrum gratias ago: immò de illa Deo gratias. Ergo fratres quicquid est quod ad me perferebatur, ad illum perferatur, vbi necessariam habuerit consilium meum non negabo: auxilium absit vt subtraham. Tamen quicquid illud est quod ad me perferebatur, ad illum perferatur. ipse me autem consulat, si fortè non inuenit quid facere debeat: aut poscat adiutorem quem nouit patrem, vt & vobis nihil desit: & ego tandem aliquando si quātulūcūque spatium mihi huius vitę donauerit Deus, ipsam quantulamcunque vitam non dem segnitiei, nec

» donem inertiæ, sed in sanctis scripturis, quantum ipse permittit & largitur, exerceam. hoc & ipsi proderit, & per ipsum etiam vobis. Nemo ergo inuideat otio meo. quia meum otium magnum habet negotium. video me de hac re propter quam vos inuitaui, omnia vobiscum egisse quæ debui. Hoc ad vltimū rogo, vt gestis istis dignemini subscribere, qui potestis. Hic mihi respōsione vestra opus est. teneam responsionem vestram. De hac assensione aliquid acclamate. A populo acclamatū est, fiat, fiat. Dictum viciesquinquies, dignus est, iustus est. Dictum viciesocties, fiat, fiat. Dictum quaterdecies, olim dignus, olim meritus. Dictum viciesquinquies, iudicio tuo gratias agimus. Dictum tredecies, exaudi Christe. Eradium conserua dictum viciesnouies. Cúmque reticerent, Augustinus Episcopus dixit: bene habet, vt ea quæ Dei sunt circa sacrificium eius agere valeamus: in qua hora supplicationis vestræ vt omnes vestras causas & negotia intermittatis: & pro ista Ecclesia, & pro me, & pro presbytero Eradio, domino precē fundatis. Igitur ex actis Hipponēsis Ecclesiæ cōstat, collegis vocatis, Clero, & populo Hipponēsi consentientibus, id actum esse. quem morem vtinam posteri retinuissent. At municipem Hipponēsem ne putemus Augustinum, cùm ipse in libris Confessionum fateatur se fuisse ex oppido Tagastensi. De quo viro ne quid amplius dicam, Gennadius honorificè loquitur, cùm ait: Augusti-» nus Afer Hipponensis oppidi Episcopus, vir eruditione » diuina, & humana orbi clarus, fide integer, & vita purus, » scripsit quanta nec inueniri possunt. Quis ergo glorietur » omnia se illius habere, aut quis tanto studio legat quantò » ille scripsit? Ipse quidem Augustinus vltimis verbis Retta-

ctationum testatur se opera nonaginta tria in libris ducentis triginta duobus dictasse, cùm retractationum libros scriberet.



SIXTVS III.



VISQVIS Vincentium Lirinẽsem
prudentissimum atque optimũ scriptorem legerit, is intelliget profectò
Nestorij oppugnationem ad Sixtum
" quoque pertinuisse. sic enim ait: Sixtus
" sanctus Papa, qui nunc Romanam ec-
" clesiam venerandus illustrat, in episto-
" la quam de causa Nestorij Antiocheno misit Episcopo:
" Ergo, inquit, quia sicut ait Apostolus, fides vna est, quæ e-
" uidenter obtinuit, dicenda credamus. Tandem illa tenen-
" da & credenda prosequitur, & ait: Nihil vltrà, liceat noui-
" tati, quia nihil addi conuenit vetustati. Perspicua maiorũ
" fides & credulitas nulla cœni permixtione turbetur. Sed
hunc Vincẽtij locum, qui Lirinum insulam, quæ est contra Antipolim Prouinciæ in Gallia oppidum, incolebat,
hunc inquam Vincẽtij locum Gennadius illustrabit. Six-
" tus vrbis Romæ episcopus, decretum synodi aduersum su-
" pradictum Nestorium habitum volumine describens, ad
" Orientis & Occidentis ecclesias dedit, confirmans duabus
" in Christo manentibus perfectè naturis, vnam filij Dei
" credendam esse personam. Huic enim sententiæ suprascri-
" tus Nestorius ostensus est esse contrarius. Similiter etiam

Sixtus

Sixtus ſucceſſor Cæleſtini,pro eadem re, & ad ipſum Neſtorium & ad Orientis Epiſcopos aduerſus errorem eius ſuccidendum ſententias direxit. Fuit autem in tranquillo veluti portu Romana eccleſia Sixti huius tempore. Ipſe enim in libro de diuitiis fatetur omnibus penè hominibus exiſtentibus Chriſtianis & ipſis regibus & poteſtatibus Chriſti iugo colla ſubdentibus tempora ſua pacifica eſſe atque tranquilla, & ab omni perſecutionum infeſtatione ſecura. Eius ſunt præclaræ illæ ſententiæ, PAVCI DI-
" VITES PAVPERVM SVNT CAVSA MVLTORVM. NVLLVS QVOD
" SIBI NOXIVM SENTIT, CVPIT EOS POSSIDERE QVOS DILIGIT.
" INIVSTE DONATVR, QVOD PAVPERIBVS FORTE PAREN-
" TIBVS OMISSIS EXTRANEO CONFERTVR HEREDI. MVLTO
" VTILIOR EST DESPERATIO QVÆ SPEM PRÆSTAT, QVAM
" SPES QVÆ DESPERATIONEM MINISTRAT. NEMO MAGNA
" CONSEQVVTVRVS MIRETVR EXIGVA. Quarum ſententiarũ vltimam hanc ipſe potiſſimum videtur cuſtodiſſe. non enim aliter ad Epiſcopatum vrbis peruenire potuiſſet. Sed aiunt Sixtum cùm dignitatem illam adeptus eſſet, accuſatum à Baſſo coram Imperatore Valentiniano. Cuius rei Nicolaus primus circonſtantias perſonæ & temporis ne-
" ſciens, Cùm quidam, inquit, tempore quodam cõtra Six-
" tum Papam tentaſſent quædam non boni rumoris obii-
" cere, & in concilio cui Valentinianus Auguſtus intererat,
" dictum fuiſſet, non licere aduerſus pontificem dare ſentẽ-
" tiam: Surrexit idem protinus Imperator, & in arbitrio prę-
" fati pontificis tribuit iudicare iudicium ſuum. Hæc Nicolaus epiſtola ad Michaëlem Cæſarem Græcum de Sixto refert. Nec ſilebitur alius eiuſdẽ Nicolai locus, qui ad Sixtum pertinet: Sixtus apoſtolicæ ſedis antiſtes Euphimium

" Episcopum damnasse describitur, nihil aliud in depositio-
" ne illius obiiciens, nisi quòd Polychronium Hierosoly-
" mitanum Episcopum põtificem suum accusauerit. Et qui-
" dem Polychronius à legatis sedis apostolicæ eo quòd se-
" dem Hierosolymitanam primam esse mendaciter affirma-
" bat, & per simonacam hæresim ordinationes fecisse pro-
" batus est, ecclesiæ priuatus est gubernaculis, & vrbe reie-
" ctus. Sed & Euphimius nihilominus quia hunc præsump-
" tuosè (licet veraciter) accusauerat, damnationi à Synodo
" subiectus est. Et quoniam linguam suam contra sibi præ-
" latum erexerat, anathema suscepit: adeo vt Leo Ecclesiæ
" Romanę diaconus ei diceret: Ex te enim damnaberis, quo-
" niam pontificem qui te cõsecrauit, coëpiscopum cõdem-
" nabas, & accusabas. Qui cadens in terram ante omne con-
" cilium Episcoporum ibi confitebatur se peccasse, Abun-
" dio Episcopo misso ab vrbe Roma dicente: Nõ licet quē-
" quam accusare Pontificem suum, quoniam iudex non iu-
" dicabitur. Quo audito Valentinianus Augustus (sicut a-
" pud nos scriptum habetur) cuius vos in hoc imitatores es-
" se debetis, gauisus est in damnatione Episcopi Euphimij,
" qui extitit accusator Polychronij pontificis sui. Extant adhuc Romæ in templo Virginis quod in Exquiliis Liberius exædificauit, inscriptiones huiusmodi: SIXTVS. EPISCOPVS. PLEBI. DEI. VIRGO. MARIA. TIBI. SIXTVS. NOVAT.



LEO.



ALENTINIANO quintùm & Anatolio Consulibus, defuncto Sixto Episcopo, quadraginta amplius diebus Romana Ecclesia sine Antistite fuit, mirabili pace atque patientia aduētum diaconi Leonis expectans, quem inter Ætium & Albinum amicitiæ reintegrandæ causa Galliæ detinebant: quasi ideò longus esset aduentus, vt electi meritum & eligentium iudicium probaretur, Igitur Leo diaconus legatione publica accitus, & gaudenti patriæ præsentatus, Romanæ Ecclesiæ Episcopus ordinatur. Hæc quidem Prosper in Chronico, testis sui temporis, vir sincerus de Leone prædicat. Ex quibus, & patriam eius, & præclaram legationem pro Republ. & populi Romani de absente iudicium facile est intelligere. Id Dei erga se beneficium agnoscit Leo: Recurrente, inquit, per suum ordinem die, quo me dominus Episcopalis officij voluit habere principatum, vera mihi in gloriam Dei causa est lætandi, qui mihi vt multum à me diligeretur, multa dimisit: & vt mirabilem faceret gratiam suam, in eum munera sua contulit, in quo meritorum suffragia nō inuenit. Quæ eius verba viri sapientis modestiam ostendunt. Sapientum enim virorum proprium est, quo fuerint maiores, eo se minores atque inferiores putare. Leo itáque solet ita præfari aliquot epistolis ad Theodosium Iuniorem Arcadij filium: Leo vrbis Romæ Episcopus, &

„ Leo Papa Ecclesiæ Catholicæ vrbis Romæ. Quin Galli Episcopi literis ad eum datis, beatissimũ patrem, & Apostolica sede dignissimum Papam appellant. Sed Theodosium hũc epistola ad Pulcheriam Augustam vocat augustissimum, & christianissimum Imperatorem. Hic est Theodosius, ad quem extant Græcæ orationes Themistij elegantissimi viri, quas oporteret in manibus Regum semper esse, vt ab ijs discãt, & quomodo regna regere & quàm bene deceat. Duarum verò basilicarum in vrbe Leo me-
» minit, Clementis & Petri. nam ad Flauianum scribens: Ad
» omnem verò causam, inquit, piè ac fideliter exequendam
» fratres nostros, Iulianum Episcopum & Renatum presby-
» terum tituli sancti Clementis, sed & filium meum Hila-
» rium diaconum misimus. In quibus verbis, presbyterum tituli sancti Clementis notaui inusitatam vetustioribus loquendi rationem. Altera basilica est sancti Petri, de qua in hunc modum Leo ipse in sermonibus quos habuit de
» natali domini: De talibus (astrologorum) institutis illa ge-
» neratur impietas, vt sol inchoatione diuinæ lucis exurgẽs,
» à quibusdam insipientioribus de locis imminentibus ado-
» retur: quòd nonnulli etiam Christiani adeò se religiose fa-
» cere putant, vt priusquàm ad beati Petri Apostoli Basili-
» cam, quæ vni Deo viuo & vero est dicata, perueniant, su-
» peratis gradibus, quibus ad suggestum aræ superioris ascẽ-
» ditur, conuerso corpore ad nascentem se solem reflectant
» & curuatis ceruicibus in honorem se splendidi orbis incli-
» nent. Quod fieri partim ignorantiæ vitio, partim paga-
» nitatis spiritu, multùm tabescimus & dolemus. Hæc de duabus Basilicis Leo dicit. De chartario autẽ suo, vt Hieronymi voce vtamur, epistola ad Maximum Episcopum

» Antiochenum loquitur: Cuius, inquit, epiſtolæ ad nos ex-
» emplar direxiſti ſanctæ memoriæ Cyrilli, eam in noſtro
» ſcrinio requiſitam nos autenticam noueris reperiſſe. De
» Manichæis apud eum locus eſt digniſſimus publica luce.
» Manichæus ergo magiſter falſitatis diabolicæ, & conditor
» ſuperſtitionis obſcœnæ, eo tempore damnãdus innotuit,
» quo poſt reſurrectionem Domini ducenteſimus & ſexa-
» geſimus annus impletus eſt, Probo imperãte, Paulinóque
» Conſule, cùm octaua iam in Chriſtianos ebulliret perſe-
» cutio, & innumera martyrum millia ipſius ſuis victoriis
» probauiſſent, impletum eſſe quod dominus promiſerat,
» dicens: Cùm autem tradent vos, nolite cogitare, quomo-
» do aut quid loquamini. dabitur enim in illa hora quid lo-
quamini. Cuius Manichæi affectatores Leonis tẽporibus
deprehenſi Romæ & relegati fuere, quemadmodum ſcri-
» bit Epiſcopis Italiæ: Plurimos, inquit, impietatis Mani-
» chææ ſequaces & doctores in vrbe inueſtigatio noſtra re-
» perit, vigilantia diuulgauit, auctoritas & cenſura coërcuit:
» quos potuimus emendare, correximus, & vt damnarent
» Manichæum cum prædicationibus & diſciplinis ſuis, pu-
» blica in Eccleſia profeſſione, & manus ſuæ ſubſcriptione
» compulimus: & ita de voragine impietatis ſuæ confeſſos,
» pœnitentiam concedendo, leuauimus. Aliquanti verò qui
» ita ſe demerſerunt, vt nullum his exilientibus poſſet reme-
» dium ſubuenire, ſubditi legibus, ſecundùm Chriſtiano-
» rum principum conſtituta, ne ſanctum gregem ſua con-
» tagione polluerent, per publicos iudices perpetuo ſunt
» exilio relegati. Et omnia quæ tam in ſcripturis, quàm in
» occultis traditionibus ſuis habent profana vel turpia, vt
» noſcet populus, quid refugeret aut vitaret, oculis Chri-

» ſtianæ plebis certa manifeſtatione probauimus: adeò vt
» ipſe, qui eorum dicebatur Epiſcopus, à nobis tentus, pro-
» deret flagitioſa in ſuis myſticis quæ teneret, ſicut geſtorũ
» vos ſeries poteſt edocere. Ex hac rei geſtę narratione per-
ſpicuum eſt Romanos Epiſcopos relegare tunc non po-
tuiſſe, nec in exilium reos mittere, vti hodie faciunt: ſed
eos tantùm cenſura coërcere & pœna eccleſiaſtica multa-
re. Et Leo quidem primus eſt auctor apud quem legerim
Miſſæ verbum, quæ nihil eſt aliud quàm formula ſacrifi-
» cij offerẽdi ad populum miſſa. Sic enim ait: Neceſſe eſt au-
» tem vt quædam pars populi ſua deuotione priuetur, ſi v-
» nius tantùm Miſſæ more ſeruato ſacrificium offerre non
» poſſint, niſi qui prima diei parte conuenerint. Eutiches au-
tem Conſtantinopoli monachus & imperitus ſenex, quã-
do ita à Leone appellatur, ſynodi Calchedonenſis conuo-
candæ cauſam dedit. Extant Leonis ad eam literæ: extant
acta: vnde ſi quid præterea requiris, haurire poſſis veluti è
» fonte. At epiſtola ad Iulianum Coëſeum Epiſcopum, Ge-
» ſtorum, inquit, ſynodalium, quæ omnibus diebus concilij
» in Calchedonenſi ciuitate confecta ſunt, parum clara pro-
» pter linguæ diuerſitatẽ apud nos habetur inſtructio, & i-
» deò fraternitati tuæ ſpecialiter iniũgo, vt in vnum codicẽ
» vniuerſa facias congregari in Latinum ſermonem abſolu-
» tiſſima interpretatione tranſlata, vt in nulla parte actionũ
» dubitare poſſimus, neque vllo modo poſſit eſſe ambiguũ
» quod ad plenam intelligentiam te fuerit ſtudente perfe-
» ctum. Cauſas verò cur ipſe intereſſe Epheſino Concilio
non potuerit, explicat epiſtola ad Theodoſium Auguſtũ
» Pulcherię maritum: Vnde, inquit, quamuis ad diem conci-
» lij Epiſcopalis quem pietas veſtra conſtituit, occurrere

» me ratio nulla permittat, cùm nec aliqua ex hoc exem-
» pla præcesserint,& temporalis necessitas me non patiatur
» deserere ciuitatem. Cætera omitto.Sed planius easdē cau-
» sas explicat de Pulcheria: Illud, inquit, quòd pietas Theo-
» dosij,me credidit debere interesse concilio,etiamsi secun-
» dum aliquod præcedens exigeretur exemplum, nunc ta-
» men nequaquam possit impleri:quia rerum præsentium
» nimis incerta condicio à tantæ vrbis populis me abesse
» non fineret: & in desperationem quandam animi
» tumultuantium mitterentur, si per occasionem causæ
» ecclesiasticæ viderer patriam & apostolicam sedē velle de-
» serere. De eisdem causis loquitur epistola ad synodū Calchedonensem, significans se inuitatum literis Imperato-
» riis vt venerabili synodo suam præsentiam preberet,quod
» quidem,inquit,nec necessitas temporis nec vlla consuetu-
» do poterat permittere. Sanè Siluester Niceno concilio, quod Niceæ in Bythinia celebrabatur, propter ingrauescentem ætatem interesse non potuit. Cuiùs rei testem habeo Theodoretum Episcopum Cyri. Sed Miltiades interfuit synodo habitæ Romæ, Constantini magni temporibus; vt Marcellinum & superiores pontifices omittam. Extant verò Leonis ad Marcianum Augustum plures epistolæ, vna ad Leonem Cæsarem, qua se persoluisse significat officia quæ ad gratulationem Imperij eius pertinebant. Iam supersunt & duo nobiles loci de Leone apud Nicolaum primum epistola ad Michaëlem Græcū Cæsarem. Primus est,quo eum sanctissimū doctorem & apostolicæ Romanæque ecclesiæ pontificem egregium appellat. Se-
» cūdus est,quo eius virtutem prædicat: Quomodo,inquit,
» non egeat quælibet synodus Romanæ sedis,quando in E-


phesino latrocinio cunctis præsulibus & ipsis quoque Patriarchis prolabentibus, nisi magnus Leo, imitator scilicet Leonis illius de quo scriptum est, vicit Leo de tribu Iuda, diuinitus excitatus os aperiens, totum orbem & Augustos ipsos concuteret, & ad pietatem commoueret, Religio Catholica penitus corruisset. Et ante Nicolai ætatem extabant Gregorij primi loci aliquod celebres de Leone.
" Primus est epistola ad Petrum & Prudentium Episcopos
" Histriæ his verbis: Illa quæ sanctissimæ quatuor synodi sa-
" puerunt atque diffinierunt, sicuti prædecessor noster san-
" ctissimus Leo Papa, ita ea & nos sapimus, sequimur ac te-
" nemus: nec ab earũ fide aliquo modo dissẽtimus. Secũdus est in epistola ad clerum & plebem Rauennatem: Maximianus Episcopus veneratur sanctã Nicenam synodũ,
" in qua Arrius: Cõstantinopolitanã, in qua Calchedonius:
" Ephesinam primã, in qua Nestorius: & sanctam Calche-
" donensem synodum, in qua idem Nestorius, Dioscorus at-
" que Eutyches damnatus est. Si quis autem cõtra harũ qua-
" tuor synodorum fidẽ & contra sanctæ memoriæ Leonis
" Papæ tomum atque definitionem aliquid vnquam loqui
" præsumit, anathema sit. Tertius est in epistola ad Con-
" stantiam Augustam, quem curiosi lectores quærent. Sed
" apud Theodorum historicum Græci generis, qui orditur
" ab obitu Theodosij minoris, multa de Leone reperio. Primum, ait, Martianum & Pulcheriam Leoni scripsisse, atque illi cunctam auctoritatem tribuisse. Deinde Leonem Nicenæ synodo, quæ futura sperabatur, præclaram epistolam scripsisse, quæ etiam in actis synodi Calchedonensis habetur, & ab illius synodi historico inserta est. Postea narrat cũ Niceę episcopi essent adunati, Martianum in Thracia mo-

„ ram trahentem synodi excusandi sui causa scripsisse, illámque Calchedonen translatam, vt exemplo magni Constátini interesse concilio posset. Itaque synodum habitam in templo Euphemiæ martyris, in qua multa & necessaria definita sunt, quorum cognitio atque vtilitas ex ipsa actorum lectione perspicitur, sicut & viginti canonum expositio. Quibus perfectis rebus Episcopi omni genere honoris ab Imperatore honorati sũt, domúmque reuersi. Deniqueait Leonem statuisse vt Dominicis diebus ocium seruaretur ab omnibus, nec quicquã operis in illis fieret, sed venerabiles essẽt. Hęc Theodorus de Leone, qui quòd attinet ad Dominicos dies videtur renouasse legẽ Cõstantini magni repetitam à Iustiniano C. de feriis. Postremò Ioannes Moscus, qui statim post Gregorium floruit, in libello à se ædito de Leone sic ait: Narrauit nobis Abbas Menas, Salamæ cœnobij pater, audisse se Abbatem Eulogium Alexandrinum patriarcham dicentem: Cùm profectus essem Constantinolim, fruitus sum contubernio Domini Gregorij Romani Archidiaconi, summi & singularis viri, narrauítque mihi de sanctissimo ac beatissimo Leone Romano pontifice, dicens haberi scriptum in ecclesia Romana, quòd cùm scripsisset epistolam ad sanctũ Flauianum Cõstantinopolitanum Episcopum contra impios Eutychen, ac Nestorium, posuerit eam super tumulũ principis apostolorum Petri; & orationibus, ac vigiliis, & ieiuniis vacans, orauerit ipsum summum apostolum dicens: Si quid vt homo, vel minus cautè posui, vel etiam omisi, tu, cui à domino Deo saluatore nostro Iesu Christo, & sedes hæc & ecclesia commissa est, emẽda. Post quadraginta verò dies apparuit ei Apostolus oranti, & dixit ei:

" legi & emēdaui. Suménsque epistolam de sepulchro bea-
" ti Petri, aperuit eam, & inuenit eam apostolica manu emē-
" datam. Cuius rei fidem penes Moscum esse cupio, neque e-
" nim alium testem habeo. Leonis autem vitam excellentis-
simi Pontificis Romani absoluero, si modò iam multis de
illo narratis rebus adiecero illū apud Theodosiū & Valēti-
nianū iuniores questū esse de Hilarij Episcopi Arelatensis
temeritate, qui inconsulto Antistite Romano audebat il-
licitas ordinationes Episcoporum facere. Quam ob cau-
sam illi, Ætio viro illustri Comiti & magistro militię scrip-
" serunt in hunc qui sequitur modum. Certum est & nobis
" & imperio nostro vnicum esse præsidium in supernæ di-
" uinitatis fauore, ad quem promerendum præcipuè Chri-
" stiana fides & veneranda nobis religio suffragatur. Cùm
" igitur sedis Apostolicæ primatum sancti Petri meritum,
" qui Princeps est episcopalis coronæ, & Romanæ digni-
" tas ciuitatis, sacræ etiam synodi firmarit auctoritas, ne quid
" præter auctoritatem sedis istius inlicitum præsumptio ad-
" temptare nitatur. tunc enim demum Ecclesiarum pax vbi-
" que seruabitur, si rectorē suum agnoscat vniuersitas. Hæc
" cùm hactenus inuiolabiliter fuerint custodita, Hilarius A-
" relatensis, sicut venerabilis viri Leonis Romani Papæ fide-
" li relatione comperimus, cōtumaci ausu inlicita quædam
" præsumenda temptauit, & ideò transalpinas Ecclesias a-
" bominabilis tumultus inuasit, quod recens maximè testa-
" tur exemplum. Hilarius enim, qui Episcopus Arelatensis
" vocatur, Ecclesiæ Romanæ vrbis inconsulto Pontifice in-
" debitas sibi ordinationes Episcoporum sola temeritate v-
" surpans inuasit. Nam alios incompetenter remouet, inde-
" center alios inuitis & repugnantibus ciuibus ordinauit.

" Qui quidem quoniam non facile ab his qui non elegerãt, " recipiebantur, manum ſibi contrahebat armatam, & clau- " ſtra murorũ in hoſtilem morem vel obſidione cingebat, " vel aggreſſione reſerabat, & ad ſedem quietis, pacem præ- " dicaturus per bella ducebat. His talibus & contra imperij " maieſtatem & contra reuerentiam Apoſtolicæ ſedis ad- " miſſis, per ordinem religioſi viri vrbis Papæ cognitione " diſcuſſis certa in eum, ex his quos malè ordinauerat lata " ſententia eſt. Et erat quidem ipſa ſententia per Gallias e- " tiam ſine imperiali ſanctione valitura. Quid enim tanti " pontificis auctoritati in Eccleſias non liceret? Sed noſtram " quoque præceptionem hæc ratio prouocauit, nec vlterius " vel Hilario, quem adhuc Epiſcopum nuncupari ſola man- " ſueti præſulis permittit humanitas, nec cuiquam alteri, Ec- " cleſiaſticis rebus arma miſcere, aut præceptis Romani An- " tiſtitis liceat obuiare. Auſibus enim talibus fides & reue- " rẽtia noſtri violatur imperij. nec hoc ſolum quod eſt ma- " ximi criminis, ſubmouemus: Verùm ne leuis ſaltim inter " Eccleſias turba naſcatur, vel in aliquo minui religionis diſ- " ciplina videatur, hoc perenni ſanctione decernimus, ne " quid tam Epiſcopis Gallicanis, quàm aliarum prouincia- " rum contra conſuetudinem veterem liceat ſine viri vene- " rabilis Papæ vrbis æternæ auctoritate temptare. Sed illis " omnibúſque pro lege ſit, quidquid ſanxit, vel ſanxerit A- " poſtolicę ſedis auctoritas, ita vt quiſquis Epiſcoporum ad " iudicium Romani Antiſtitis euocatus venire neglexerit, " per moderatorem eiuſdem prouinciæ adeſſe cogatur, per " omnia ſeruatis quæ diui parentes noſtri Romanæ Eccle- " ſiæ detulerunt. Æti P.K.A. Vnde inluſtris & præclará ma- " gnificentia tua præſentis edictalis legis auctoritate faciet

quæ ſunt ſuperiùs ſtatuta ſeruari, decem librarũ auri multa protinus exigẽda ab vnoquoque Iudice, qui paſſus fuerit præcepta noſtra violari. Et manu diuina, Diuinitas te ſeruet per multos annos Parens Kariſſime. Dat. VIII. Id. Iun. Romæ Valentiniano A. VI. CONS.



HILARIVS.



SANCTVM Hilarium vrbis Romanæ Epiſcopum fuiſſe quoties apud Gennadium lego, facere non poſſum quin ſuſpicer de hoc Hilario poſtea ſucceſſore ſuo loquutum Leonem epiſtola ad Iulianum Epiſcopũ: *Per fratres no-*
» ſtros, inquit, Iulianum Epiſcopum &
» Renatũ presbyterũ, ſed & filium meum Hilarium diaconum, quos ex latere meo vice mea miſi ad fratrem noſtrũ
» Flauianum, ſufficientia pro qualitate cauſæ ſcripta direxi. quem fideliſſimum rerum narratorem alia ad Theodoſiũ epiſtola appellat, & de quo epiſtola ad Clerum, Honoratos, & plebem Conſtantinopoli conſiſtentem data Idibus Octobris, Aſterio & Protogene viris clariſſimis Conſuli-
» bus. In notitiam noſtram, ait, quæ Epheſi contra opinionem omniũ ſunt acta perlatis, magno animum noſtrum
» fatemur mærore confuſum: nec tantùm licuiſſe iniquitati,
» facilè potuiſſemus credere, niſi filius noſter Hilarius Diaconus, qui à nobis vice noſtra vt intereſſet ſynodo miſſus
» fuerat, fugiens reuertiſſet, declinans ne iniuſtè particeps

„ esset sententiæ. Quippe cùm vox illic à nostris contradi-
„ ctionis emissa sit, quam Alexandrinus antistes audire con-
„ tempsit in consortium suæ voluntatis, inuitos protrahens
„ sacerdotes, vt per vim coacti subscriberent, qui nullam
„ damnationis causam idoneam reperissent. Sed hos ausus
„ pio & christianissimo Principi confidimus minimè placi-
„ turos. Et paulò infrà: Quisquis enim incolumi atque su-
„ perstite Flauiano Episcopo vestro sacerdotium eius fuerit
„ ausus inuadere, nunquam in communione nostra habebi-
„ tur, nec inter Episcopos poterit numerari. Hactenus Leo de diacono Hilario. At sculptores Romani aut errore proprio, aut communi, quòd vulgò fortè Hilarus diceretur, apud Lateranũ sic incidêre, HILARVS EPISCOPVS PLEBI DEI. IN HONOREM BEATI IOANNIS BASPT. HILARVS EPISCOPVS DEI FAMVLVS OFFERT: Item illa, LIBERATORI SVO IOANNI EVANGELISTÆ HILARVS EPISCOPVS FAMVLVS CHRISTI. Quo in marmore tanti viri memoria adhuc conseruatur. Sed sculptorum errorem euellet ex mortalium animis Nicolaus primus epistola ad Michaëlem Imperatorem, vbi Hadriani literas citat, in quibus Hilarius, Fœlix, Simplicius, Hormisda sancti pontifices vocantur. Euellet & Marcellinus Comes Nicolao antiquior, qui cùm Leonẽ inter Romanos Pontifices recensuisset, Hilarium ei successisse dicit. Itaque Pontificẽ Romanũ magno illi Pictauiẽsium Episcopo Hilario, qui Arrianam perfidiam cõtudit, cognominem videmus. Ab hoc Hilario Romæ in Basilica beatę Mariæ synodus habita est Episcoporum aliquot illustrium, in quibus Maximus Taurinensis Episcopus vir disertissimus ponitur, & synodo illi præsidens Hilarius Episcopum catholicæ vrbis Romę se dicit. Acta extant vnde curiosi hau-

rient quod volent. Hic eſt ille Maximus, cuius opus homiliarum extat, ex quibus placuit ſequentem locum exſcribere, vt quanta adhuc eſſet populi Taurinenſis ignorantia, Chriſtianus lector perſpiciat: Quis non moleſtè ferat ſic vos eſſe veſtræ ſalutis immemores, vt etiam cælo teſte peccetis? Nam cùm ante dies pleroſque de veſtræ auaritiæ cupiditate pulſauerim, ipſa die circa veſperum tãta vociferatio populi extitit, vt irreligioſitas eius penetraret ad cælum. Quòd cùm requirerẽ quid ſibi clamor hic velit, dixerunt mihi quòd laboranti lunæ veſtra vociferatio ſubueniret, & defectum eius ſuis clamoribus adiuuaret. Riſi equidem & miratus ſum vanitatẽ, quòd quaſi deuoti Chriſtiani Deo ferebatis auxilium. Clamabatis enim, ne tacentibus vobis perderet elementum: tanquam infirmus enim & imbecillis, niſi veſtris adiuuaretur vocibus, non poſſet luminaria defendere, quæ creauit.



SIMPLICIVS.




BASILIVS Cilix orditur hiſtoriam Eccleſiaſticã ab obitu Simplicij Epiſcopi Romani, qui ad Acacium Conſtantinopolitanum ſcripſit, vt à Petri cognomento Moggi Alexandrinam infeſtantis Eccleſiam communione recederet. Hæc didici ex catalogo librorum Photij, quem Tharaſius fecit. Hi autem erant numero ducenti ſeptuaginta nouem. Sed illa Baſilij hiſtoria non extat. Ve-

rùm hoc reperimus in Catalogo manu descripto, qui apud nos est. Exemplum verò literarum Simplicij Tiburtini huiusmodi est. Dilectissimo fratri Acacio Simplicius.
„ Cogitationum ferias non habemus. Nec enim quiescere
„ nos causa permittit. quam si relinquamus, apud Christum
„ dominum nostrum, cuius interest, inexcusabiles sumus.
„ Et mirũ est dilectionem tuam tot emensis temporibus, &
„ tot opportunitatibus inde venientibus nihil nos de Alexãdrina Ecclesia, quæ tam grauiter quatitur, instruere voluisse, commonere nec increpatio nostra destiterit, vt participata sollicitudine literas meas apud christianissimum
„ & clementissimum Principem præsentibus tuæ dilectionis prosequereris alloquiis: sed instituti veteris memor in
„ orthodoxorũ defensionem nobiscum sicut semper incubueris: Ne quisquã nostrũ Christiana plebe pereũte reatũ
„ deditionis incurrat, & mercenarius potius videatur esse
„ quàm pastor. Vnde hortamur dilectionem tuam, vt opportunè atque importunè piis auribus insinuare non desinas: quatenus remotis scandalis qui in Alexandrinam Ecclesiam recidiuis ausibus irruerunt, pax optata reddatur, &
„ celeriter vigilantiæ tuæ prouectus posthabitis difficultatibus indicetur. Datum octauo Idus Nouemb. Seuerino
„ Consule, directæ per Restitutum. Porrò Simplicium Euagrius historicus Episcopum antiquæ vrbis Romæ appellat: quia Constantinopolim Nouam Romam iam inde à Constantini tempore Græci vocabant. Sed Ioannes Alexandriæ Antistes hoc Episcopo sede eiectus, & Romam profugus, ad Simplicium venit, qui humaniter exulem suscipiens, literas pro illo ad Zenonem Cæsarem dedit. Is rescripsit crimen periurij Ioanni obiectum, eámque fuisse

causam eum deturbandi de sede sua. Denique Nicephorus Simplicio attribuit literas ad Antiochenos scriptas aduersus Martinum Nestorianum, vt de pietate & cura gregis sibi commissi nullo modo dubitare nos oporteat. De Zenone suprà aliquid diximus. ante illum Leo Cæsar Anthemiũ Augustum Procopij Constantinopolitani filium Imperij collegam acciuerat, filiámque suam nuptum ei dederat. ad quem bis consulem Sidonius Romæ panegyricum habuit, qui extat. Hic mihi occasio erit de Sidonio dicendi, nobilissimo doctissimóque Aruernorum gentis, & Episcopo Aruerni municipij, quem hodie Claromontem vocamus, & lipsana eius in tẽplo Genesij nuper mihi quoque ostensa sunt, cùm in illo oppido non ciues sed Sidonium ipsum requirerem. Hic verò in libris epistolarum à se æditis meminit Patientis Episcopi Lugdunensis, ab eóque exædificati templi quod venustissimè describit, quam esse ædẽ diui Stephani crediderim. Meminit Claudiani Viennẽsis Episcopi, & volumen eius super statu animæ, rerum verborúmque scientia ditissimum prædicat. Scribit Lupo illi Trecassinorũ Episcopo, quem patrẽ patrum & Episcopũ Episcoporũ nuncupat. Scribit Remigio Remorum magno Galliæ ornamento, eiúsque conciones magnopere laudat. Scribit Fausto Regiẽsi, eiúsque facundiam miratur. & hos omnes episcopos Papas vocat, Papæ nomine tunc ad omnes episcopos pertinente, quod postea è communi factum est proprium & singulare. Solos enim vrbis episcopos cõsueuimus Papas appellare. Itaque hæc Africana vox (vt opinor) ad cæteras quoque nationes & populos transiit. Africanam appello, quia Tertullianus primus scriptor est, apud quem Papæ vocem legerim: ipse

verò

verò Afer fuit. At Sidonius docet Patientem & Euphronium Episcopos Cabellinum ad Ararim venisse, quòd Paulo Episcopo illius oppidi mortuo, Episcopus ibi deligendus esset, delectúmque à Clero & populo Ioannem Archidiaconum optimis moribus & rerum scientia spectatum virum, ídque epistola vltima libri quarti tradit.
» Concionem verò ipse suam ponit libro septimo episto-
» larum, qua docet Metropolitani Biturigum eligendi sibi
» prouincialis mandatum arbitrium: Benedictus, ait, Sim-
» plicius hactenus vestri, iámque ab hinc nostri, modò per
» vos Deus annuat, habendus ordinis comes. & sub finem
» concionis: Et quia sententiam, inquit, paruitatis meæ in
» hac electioné valituram esse iurastis (si quidem non est va-
» lidius dicere sacramenta, quàm scribere) In nomine Patris
» & Filij & Spiritus sancti, Simplicius est, quem prouinciæ
» nostræ, (Biturigum) Metropolitanum, ciuitati vestræ
» summum sacerdotem fieri debere pronuntio. vos autem
» de viro de quo loquimur, si nouam sententiam meam se-
» quimini, secundum vestram veterem consonate. Ergo à
» Simplicio Papa orsi desinamus in Simplicium Biturigum
» Metropolitanum. Moneamus tamen Simplicij nomen
» vetustius fuisse. id enim ostenditur ex constitutione Va-
» lentiniani, Valentis & Gratiani. Data III. Kal. Mart. Romæ
» Gratiano Aug. III. & Equitio Coss. ad Simplicium, quæ
» libro 9. Cod. continetur.



FOELIX III.




OElicem eum qui exuli Liberio suffectus est, Optatus & Augustinus scientes omittunt: & Marcellinus Comes ipsum etiam Liberium præterit, cùm tamen illi & veteres historici omnes Theologíque inter Episcopos vrbis recenseant: ego tamen non prætereito illo Fœlice infœlici veniam ad Fœlicem Simplicij successorem. Hunc mortuo Simplicio incitare in Acacium Ioannes Alexandrinus cœpit, suadétque vt epistolam abdicationis mittat: quę res à Zacharia gręco scriptore literis mandata est. Itáque Fœlix per Vitalem, & Misenum Episcopos, Acacio, & Zenoni Cæsari scribit: Acacio quidem » in hunc modum: Fœlix Episcopus sanctæ Ecclesiæ Catho- » licæ vrbis Romæ Acacio. Multarum transgressionum re- » periris obnoxius, & in venerabilis Niceni Concilij contu- » melia sæpe versatus alienarum tibi prouinciarum iura te- » merariè vindicasti: hęreticos peruasores atque ab hęreticis » ordinatos, & quos ipse dánaueras, atque ab apostolica in- » stitisti sede damnari; non modò tu eos recipiendos puta- » sti, verumetiam ecclesiis aliis, quod nec catholicè fieri po- » terat, pręsedere fecisti, aut etiam honoribus quos non me- » rebantur auxisti. Testatur hoc Ioañes, quem à catholicis » Acomiæ non receptũ, pulsúmque de Antiochia Tyro re- » iecisti, & merito de Diaconio deiectos, atque Christiani » nominis appellatione priuatos, à te etiam in presbyterij

prouéctos officio, & quasi hæc tibi minora viderentur, in ipsam doctrinæ Apostolicæ veritatem ausus tuæ superbię tetédisti: vt Petrus, quem damnatum sanctę memoriæ decessori meo ipse detuleras, sicut testátur adnexa, beati Euágelistæ Marci sedem cohiberet, & rursus inuaderet, & fugatis orthodoxis, Episcopo & clericis, sui procul dubio similes ordinaret, pulsóque eo qui illis fuerat regulariter cõstitutus captiuam teneret ecclesiam: cuius tibi adeo grata persona est, & ministri eius accepti, vt Episcopos & clericos plurimos orthodoxos nũc Constantinopolim veniẽtes detegaris affligere, & Apocrisarios ipsius confouere, atque anathematizantem eundem Petrum Calchedonẽsis decreta concilij, & violantem sanctæ memoriæ Timothei sepulchrum, sicut ad nos certiores nunc quoque nuncij detulerunt, per Vitalem & Misenum credideris excusandum. Nec eum laudare desiueris, & multis efferre præconiis, ita vt damnationem ipsius quam antè retuleras, veram non fuisse iactaris: tantùm autem perseueras in hominis defensione peruersi, vt quódam spiritu, nunc verò honore & communione priuatos, Vitalem atque Misenum, quos ad eius expulsionem specialiter miseramus, sublatis chartis custodiæ passus fueris mancipari, & ad processionem quæ tibi cum hæreticis habetur, exinde productos sicut eorum professione patefactum est, ad hæreticorum tuámque communionem contempta quæ vel gentium iure seruari debuit legatione protraxeris, præmiísque corrumpere, & in illusioné beati Petri Apostoli, à cuius sede profecti, fuerant non solùm inefficaces redire feceris, sed etiam impugnatores omnium quæ fuerant mãdata monstraris, in quorum deceptionem tuam nequitiam prodi-

» disti, & ad libellum fratris & coëpiscopi mei Ioannis qui
» te grauissimis obiectionibus impetiuit, in Apostolica sede
» secundum canones respondere diffidens obiecta firmasti.
» Fœlicem quoque defensorem fidelissimum nobis necessi-
» tate faciente seruis obsecutum indignum tuis oculis cen-
» suisti. Eos quoque litteris tuis communicare testatus es,
» quos constat hæreticos. Quid enim sunt aliud, qui post o-
» bitum sanctę memoriæ Timothei ad ecclesiam sub Petro
» redeunt, vel qui se ex catholicis eidem tradiderunt, nisi
» quòd Petrus ab vniuersali ecclesia à te fuerat iudicatus? Ha-
» be ergo cum his quos libenter amplecteris portionem, &
» sentẽtia præsenti, quam per Toleratum tibi direximus ec-
» clesiæ defensorem, sacerdotali honore & communione
» catholicum, necnon etiam à fidelium numero segregatos
» sublatum tibi nomen & munus ministerij sacerdotalis a-
» gnosce sancti spiritus iudicio & Apostolica per nos aucto-
» ritate damnatos nunquámque anathematis vinculis exuẽ-
» dos. Cœlius Fœlix Episcopus sãctæ ecclesiæ Catholicæ vr-
» bis Romæ, subscripsi. Datũ v. Kal. Aug. Venantio viro cla-
» rissimo Cõss. simul LXXVII. Episc. absque Papa subscripse-
rũt. Cæterũ quàm malè obierint legationẽ illam Vitalis & Misenus, refert Nicolaus epistola ad Michaëlẽ: Cõtigit illis (Radoaldo & Zacharię) queádmodũ Vitali & Miseno Episcopis, qui sicut Cõstantinopolim missi eorũ pro quibus destinati sunt aduersæ parti cõmunicãdo non exequutores, sed expugnatores inuẽti sunt. De quibus beatus Fœlix Apostolicæ sedis Antistes & Alexandrini Petri seu Cõstãtinopolitani Acacij præsulum damnator Imperatori Zenoni scribens, inter cætera Vitalem ait atque Misenum cur vel impulsi ad ista consenserint honore simul & com-

munione Apoſtolica cenſura priuauit: quoniam factum eſt ſicut ipſe Cyrillo Abbati Achimetéſi ſcripſit, vt eorum » præuaricatione deciperetur populus Chriſtianus: qui rur- » ſus de eis mentionem faciens ad iamfatum principem de » eorum tranſgreſſione dicit: Plebi ſuaſum eſt Chriſtianæ » nos talibus prębuiſſe conſenſum, quos mox regreſſos præ- » uaricatio impunè non habuit. nam eos apud beatum Pe- » trum Apoſtolum ſancta mecum ſynodus reſidens, dum » conuitia tua mentirentur, ordine & communione nuda- » uit, ne eorum incorrepta perfidia ſecuritatem prębeæret ini- micis. Et paulo infrà: Verùm quia res & perſonæ vtrarũ- que partium iſtius temporis cum illo penè in cunctis con- ueniũt, memorabilis viri iam nominati Fœlicis ſedis Apo- » ſtolicę pręſulis apud vos, & iam apertiſſimis verbis alloqui » procurauimus: qui ad ſupraſcriptum Auguſtum ſcribens » inter alia: Cùm, inquit, inter barbaras etiã nationes atque » ipſius deitatis ignaras pro exequendis negotiis vel huma- » nis iure gentium ſemper legationis cuiuſlibet habeatur ſa- » croſancta libertas, notum eſt omnibus, quanto magis ab » Imperatore Romano & Chriſtiano principe in rebus præ- » ſertim diuinis oportuerit intemeratam ſeruari? Et infrà: Si » Vitalis & Miſenus, de quibus ſupradiximus, à beato Fœlice Papa honore & communione pariter priuati ſunt. cætera » omitto. Sed quid profuerit Fœlici Acacij exauctoratio, » explicat his verbis: Fœlix quoque Papa Conſtantinopoli- » tanum Acacium non ſolùm depoſuit, verùm & inſolubi- » libus anathematis vinculis innodauit. Sed adeò eſt con- » temptus, vt idem Acacius, mundi dilectorũ tuitione pro- » tectus, etiam nonnullis Romanis Pontificibus deceden- tibus, & officio ſacerdotali iuxta præcedentem conſuetu-

„ dinem fungeretur, & exceptis paucis, omnium Orienta-
„ lium communione frueretur. Quid præterea mirum, si se-
„ des Apostolica diebus tuis paruipenditur, nec ab imperio
„ tuo, tibíque subiectis auditur? cùm videamus sanctum Fœ-
„ licem adeo ab Imperatoribus prædecessoribus tuis con-
„ temptum, vt ab eo anathematisatum Acacium ita sua pro-
„ tectione munirent, & vt sede Constantinopolitana dum
„ vixit abuteretur, & in perfidia sua mala moreretur. Fœli-
cem verò fuisse Zenonis temporibus suprà diximus. Hoc
Cæsare grauis in Africa persecutio Christianorum fuit ab
immiti Hunerico rege Vandalorum, qui monentem ne in
Catholicos sæuiret, néve sectam Arrianorum sequeretur,
audire noluit, quãtum apud Victorem reperio crudelitatis
Vãdalicæ sincerum scriptorem. At volo ex historia Theo-
„ dori locum hunc annotare ad perpetuam Fœlicis com-
„ mendationem: Cùm omnes, ait, alij Patriarchæ cõciliatio-
„ nem Zenonis probarent, solus Fœlix Romanus illi non
„ communicauit. Quinetiam hunc Romanæ Ecclesiæ mo-
„ rẽ fuisse narrat, vt iura non essent immota, sed si quippiam
„ contingeret, statim vendebatur, & pretium in tres partes
„ diuidebatur, ita vt Ecclesiæ vna, Episcopo altera, Clero
„ tertia daretur.



GELASIVS.



Eccvi poteſt eſſe inauditum Magni Aurelij Caſſiodori nomen? Is Gelaſium Papam vrbis Romæ doctiſſimum virum fuiſſe prædicat in libris diuinarum inſtitutionum. Nicolaus quoque epiſtola ad Photium doctrinam & merita Gelaſij celebrat, eúmque ſanctum Genadius vocat: id verbum potius dignitati tribuẽs quàm perſonę, ac ſuum opus in eo claudit. Iam Theodoricus Valamer oppreſſo Odoacre Italiam peruaſerat. ad Anaſtaſium Cæſarem legatos mittit, ac per eos pacem & concordiam rogat. Literæ apud Caſſiodorum extant ipſius ſtylo compoſitæ: atque vtinam Candidi hiſtoriarum libri tres qui in bibliotheca Photij citantur, hodie extarent. Exordiebatur enim à Leonis inauguratione, ac deſinebat in id tempus quo Anaſtaſius imperator eſt dictus. Scimus ex hiſtoria Theodori Anaſtaſium mandaſſe Heliæ Hieroſolymorũ, vt ſynodum Epiſcoporum prouincię ſuæ colligeret, & quartam ſynodum cõdemnaret. Helias verò ſynodum nõ collegit, ſed ipſe ſolus Neſtorium, Eutichen, Diodorum, Theodorum & ſynodum Calchedonenſem anathemate damnauit. Interea Cæſar à Macedonio, vt idem faceret petebat: ille verò ſine vniuerſali ſynodo, cui magnæ Romæ Epiſcopus præſideret, nihil ſe facturum dixit. At tempus eſt Caſſiodori ipſius citandi, cuius in libris diuinarum inſtitutionũ hæc ſunt verba. Octauus, inquit,

» codex canonicas epistolas continet Apostolorum. Sed in
» epistolis tredecim sancti Pauli annotationes conscriptas
» in ipso initio meæ lectionis inueni, quæ in cunctorum
» manibus ita celebres habebantur, vt eas à sancto Gelasio
» Papa vrbis Romæ doctissimi viri studio dicerent fuisse cõ-
» scriptas. Quod solent facere qui res vitiosas cupiunt glo-
» riosi nominis auctoritate defendere; sed nobis ex præce-
» dentibus lectionibus diligenti retractatione patuerunt
» subtilissimas quidem esse ac breuissimas dictiones, sed Pe-
» lagiani erroris venena illic esse seminata. Multum ergo
Cassiodoro debemus, qui tantum virum asseruit à Pela-
giana hæresi. Sed Nicolaus primus quàm fuerit alienus à
secta Pelagianorum, quámque hæreticorum hostis, aper-
tè indicat: cúmque facundissimum nominat, & fortissi-
mum hæreticorum expugnatorem, destructorémque hæ-
reseôn. Quàm multa autem scripserit, vix aliunde quàm
» ex ipso Nicolao scire possumus. Gelasius, inquit, supradi-
» cti doctoris Leonis videlicet meritis non impar, sanctissi-
» mus Romanæ Ecclesiæ præsul, non solùm Episcopos de
» laicis fieri prohibuit, sed etiam presbyteros, ne talia prę-
» merent, vetauit in decretalibus suis cap. III. ita inquiens:
» Si verò de laicis quispiam ecclesiasticis est aggregãdus of-
» ficiis, tanto solicitius in singulis quæ superius comprehen-
» sa sunt, huiusmodi decet examinare personam, quantum
» inter mundanam, religiosámque vitam constat esse discri-
» minis. quia vtique cõuenientia ecclesiæ ministeria reparã-
» da sunt, non inconuenientibus meritis ingerenda: tantó-
» que magis, quòd sacris aptum possit esse seruitiis, in eorum
» quærendum est institutis, quantum de tempore, quo fue-
» rant hæc assequenda, decerpitur: vt morum habere docea-
tur

" tur hoc probitas, quod prolixior consuetudo non contu-
" lit:ne per occasionem supplendæ penuriæ clericalis, vitia
" potius diuinis cultibus intulisse, non legitimæ familiæ
" confutemur procurasse compendia, quorum promotio-
" ni super anni metas, sex mẽses nihilominus subrogamus.
" Et in eadem epistola: Veniat & facundissimus noster Papa
" Gelasius hæreticorum expugnator fortissimus, & quod
" de Constantinopolitanis more solito tum ægrotantibus
" dixit, etiam nunc nobis edisserat. Quæro (inquit) tamen
" ab his iudicium, quod prætendunt, vbi nam possit agitari,
" an apud ipsos, vt iidem sint inimici, testes, & iudices? Sed
" & tali iudicio nec humana debent cõmitti iudicia, quan-
" to minus diuina, id est ecclesiastica? Qui sapiens est intel-
" ligat. Eiusdem quoq; Nicolai verba sunt: Gelasius Papa
" multarum destructor hæreseôn in decretali epistola ad v-
" niuersos dicit Episcopos per Dardaniam constitutos: Si
" certè de dignitate agitur ciuitatum, secundæ sedis & ter-
" tiæ maior est dignitas sacerdotũ, quàm eius Ciuitatis quæ
" non solùm inter sedes minimè numeratur, sed nec inter
" Metropolitanorum iura censetur. Et item idem in tomo
" ad Orientales Episcopos, præcipuè (inquiens) cùm de se-
" cũdæ sedis ageretur Antiste: nec ab inferiore qualibet, sed
" à primæ sedis iure possit absolui: inferior quippe potiorẽ
" absoluere non potest: sola ergo potior inferiorem conue-
" nienter absoluit. Denique eiusdem Nicolai hic locus est:
" Sanctus Papa Gelasius de damnatione Acacij vestræ quõ-
" dam Episcopi vrbis ad Dardanos scribit dicens: Hic, si exa-
" minatio quæritur, iam iudicio non erat opus, postquam
" literis suis ipse confessus est. Hos autem locos Gelasij nisi
" verè essent ab eo literis mandati, non puto Nicolaum au-

ſurum fuiſſe eorum mentionem facere in epiſtolis quas ad Michaëlem Cæſarem ſcripſit inimiciſſimum ſedis Romanæ. Sed ante eum Ioannes ſecundus ſcribens illuſtribus ac magnificis viris Auieno Senatori, Opilioni & Amphelio, de duabus naturis, citat ex libro Gelaſij aduerſus Ne-
" ſtorium & Eutychen hæc verba: Sed nec duas perſonas in
" Chriſto intelligimus per id quod dicimus duas naturas,
" vt adunationis diuiſioné facere videamur, & ſit quod ab-
" ſit, quaternitas non trinitas, ſicut Neſtorius ſentit inſanus:
" nec confundimus eaſdem vnitas naturas, cùm vnam per-
" ſonam Chriſti confitemur, vt Eutyches impius credit. To-
" mum verò Papæ Leonis, omnéſque epiſtolas, necnon & quatuor ſynodos, Nicenam, Conſtantinopolitanam, & Epheſinam primam & Calchedonenſem ſicuti Romana hactenus ſuſcepit & veneratur eccleſia, ſequimur, amplectimur, atque ſeruamus. Hoc eſt enim noſtræ fidei firmamentum, hæc fidei noſtræ petra firmiſſima. Hæc autẽ, illuſtres & magnifici filij, agens gratias ſollicitudini veſtræ pauca intimare curauimus: plenius tamen directis exemplaribus poteritis agnoſcere. Achionitos verò, qui ſe monachos dicunt, quia Neſtoriani euidenter apparuerũt, Romana etiam eos damnat eccleſia. Gelaſij quidem moneo extare librum de duabus naturis in Chriſto aduerſus Eutychen & Neſtorium hæreticos auctoritate eccleſiæ dãnatos, epiſtolámque ad Anaſtaſium Cæſarem & Commonitorium, quòd Fauſto legationis officio fungenti ſcitè perſcriptum eſt hac verborum forma. Famuli veſtræ pietatis filij mei Fauſtus magiſter & Irenæus videlicet atque eorum comites publica legatione fungentes, ad vrbem reuerſi, clementiam veſtram quæ-

„ fiſſe dixerunt cur ad vos meæ ſalutationis ſcripta non miſerim, nō meo fateor instituto, ſed cùm directi dudum de partibus Orientis vel videndi me licentiam ſibi veſtris prçceptionibus abnegatam tota vrbe diſperſerint, à literis credidi temperandum, ne oneroſus potius quàm officioſus exiſterem. Videtis igitur nō mea diſſimulatione proueniſſe, ſed competentis fuiſſe cautelæ, ne reſpuentibus animis moleſtias irrogarem, ſed vbi ſerenitatis tuæ beneuolentiam comperi præfatis indicantibus humilitatis meæ clementer expetiiſſe ſermonem, iam reuera perpendi, reputandum mihi non immeritò ſi tacerem. quia, glorioſe fili, & ſicut Romanus natus Romanum principem amo, colo, ſuſpicio, & ſicut Chriſtianus. Cùm eum qui zelum Dei habet ſecundum ſcientiam veritatis habere deſidero, & qualiſcumque apoſtolicæ ſedis vicarius, quod vbicumque plenæ fidei catholicæ deeſſe cōperero, pro meo modulo ſuggeſtionibus opportunis ſupplere contendo. Diſpenſatione etenim mihi diuini ſermonis iniuncta væ mihi eſt, ſi non euāgelizauero. Quod cùm vas electionis beatus apoſtolus Paulus formidet & clamet, multo mihi magis exiguo metuēdum eſt, ſi diuinitus inſpirato & paterna deuotione tranſmiſſo ſubſtraxero miniſteriū prædicādi, pietatem tuam precor ne arrogantiam iudicet diuinæ rationis officiū. Abſit quæſo à Romano principe, vt intrà ac in ſuis ſenſibus veritatem arbitretur iniuriā. Duo ſunt quippe Imperator Auguſte, quibus principaliter mundus hic regitur, auctoritas ſacrata pontificum, & regalis poteſtas: in quibus tanto grauius pondus eſt ſacerdotum, quanto etiam pro ipſis regibus hominum in diuino reddituri ſunt examine rationem. Noſti etenim fili clementiſſime,

» quoniam licet præsideas humano generi dignitate rerum » tamen præsulibus diuinarum deuotus colla summittis, at- » que ab eis causas tuæ salutis expectas, hincque sumendis » cœlestibus sacramentis, eísque vt competit disponendis » subdi te debere cognoscis religionis ordine, potius quàm » præesse. Itaque inter hæc illorum te pendere iudicio, non » illos ad tuam velle redigi voluntatem. Si enim quãtum ad » ordinem publicæ pertinet disciplinæ, cognoscentes im- » perium tibi superna dispositione collatũ legibus tuis, ip- » si quoque parent religionis antistites, ne vel in rebus mũ- » danis exclusæ videãtur obuiare sententiæ, quo oro te de- » cet affectu eis conuenit obedire, qui prærogandis venera- » bilibus sunt attributi mysteriis? Proinde sicut nõ leue dis- » crimen incumbit põtificibus siluisse pro diuinitatis cultu » quod congruit, ita, quod absit, non mediocre periculum » est, si quicũque debent, parere dispiciunt: & si cunctis ge- » neraliter sacerdotibus certè diuina tractantibus fidelium » conuenit corda summitti: Quãto potius sedis illius præsu- » li consensus est adhibendus, quem cunctis sacerdotibus » & diuinitas summa voluit præminere, & subsequẽs eccle- » siæ generalis iugiter pietas celebrauit, vbi pietas tua eui- » denter aduertit? Nunquam quolibet penitus humano cõ- » silio eleuare se quenquam posse illius priuilegio vel con- » fessione, quem Christi vox prætulit vniuersis, quem eccle- » sia veneranda cõfessa semper est, & habet deuota primatẽ. IMPETI NON POSSVNT HVMANIS PRÆSVMPTIONIBVS, QVÆ DIVINO SVNT IVDICIO CONSTITVTA. Vinci autẽ quorũli- bet potestate nõ possunt. Atque vtinam sic contrà niten- tibus perniciosa non sit audacia. Quemadmodum quod ab ipso sacræ religionis auctore præfixum non est, po-

» test vlla virtute conuelli. Firmamentũ enim Dei stat. Num
» quidnam cum aliquibus infesta religione, quantumque
» potuit nouitate superari, & non magis hoc inuicta permã-
» sit, quo æstimata est posse succumbere. Desinant ergo
» quæso te temporibus tuis quidam per occasionẽ pertuba-
» tionis ecclesiasticæ præcipitanter ambire, quæ non licent,
» ne & illa quæ malè appetunt nullatenus apprehendant,
» & modum suum apud deum hominésque non teneant.
» Quapropter sub conspectu Dei purè & sincerè pietatẽ tuã
» deprecor, obtestor, & hortor, vt petitionem meam nõ in-
» dignanter accipias. Rógo inquam quod absit in diuino iu-
» dicio sentias accusantem: Nec me latet, Imperator Augu-
» ste, quod pietatis tuæ studium fuerit in priuata vita. Op-
» tasti semper fieri particeps promissionis æternæ. Qua-
» propter noli precor irasci mihi, si te tãtùm diligo, vt regnũ
» quod temporaliter adsecutus es, velim te habere perpetuũ:
» & qui imperas seculo, possis regnare cũ Christo. Tuis cer-
» tè legibus Imperator pateris nil perire Romano nomini.
» nil admittis ingeri detrimenti. Itáne verum est prin-
» ceps egregie, qui non solùm præsentia Christi beneficia,
» sed desideras & futura, vt religioni, vt veritati, aut sincerita-
» ti catholicæ communionis & fidei temporibus tuis non
» patiaris quemquam inferre dispendium. Qua fiducia ro-
» go te illic eius præmia petiturus es, cui⁹ hic damna nõ pro-
» hibes? Nõ sũt grauia quæso te, quę pro tuę salutis æternita-
» te dicũtur. Scriptũ legisti, meliora sũt vulnera amici quàm
» oscula inimici. Quæso pietatem tuam vt quo affectu di-
» cuntur à me, eo tuis sensibus intimentur. Nemo pietatem
» tuam fallat. Verum est quod figuraliter per prophetam
» scriptura testatur. Viue columba mea ,, vnica colũba per-

secta mea, vnica christiana fides, quæ est catholica: catholica autē illa veraciter, illa est, quæ ab omniū perfidorum atque ab eorum successoribus cōsortibus, sincera, pura, immaculata, communione diuisa est. Alioquin non erit diuinitus mandata discretio, sed miseranda confusio. Nec vlla causa iam superest, si hoc in quolibet cōtagio voluerimus admittere, nec cunctis hęresibus aditum ianuamque pandamus. Qui enim in vno offenderit, omnium reus est. & qui minima spernit, paulatim decidet. Hoc est quòd sedes apostolica magno præcauet: vt quia mundo radix est Apostoli gloriosa confessio, nulla rima prauitatis, nulla prorsus contagione macularit. nam nisi vt Deus auertat, quod fieri non posse confidimus, tale aliquid proueniret, vel cui iam resistere auderemus errori, vel vnde correctionem errantibus posceremus. Proinde pietas tua vnius ciuitatis populum negat posse componi. Quod nos de totius orbis terrarū sumus vniuersitate facturi, si, quod absit, nostra fuerit præuaricatione deceptus: si totus corruptus est mūdus profana patrum suorum traditione despecta, quo modo nō corrigatur vnius ciuitatis populus si prædicatio fida succedat? Ergo gloriose Imperator, nolo ego ecclesiarum pacem, quam etiamsi cum mei sanguinis impendio prouenire posset, amplector. Sed precor te cuiusmodi debeat esse pax ipsa, non vtcumque sed veraciter christiana, mēte deliberemus. Quomodo enim potest esse pax vera, cui charitas intemerata defuerit? charitas autē, qualiter debeat esse, nobis euidenter per apostolum prædicatur, qui ait, & charitas de corde puro & conscientia bona & fide non ficta. Quomodo te quæso erit de corde puro, si contagio inficiatur æterno? quomodo cōscientia bona, si pra-

„ uis fuerit malis commixta? Quemadmodum fide non fi-
„ cta, si maneat societas cū perfidis? Quæ cùm à nobis sæpe
„ iam dicta sint, necesse est tamen incessabiliter iterari: &
„ tandiu non taceri, quandiu nomen pacis obtenditur, vt
„ nouum non sit vt inuidiosè iactetur facere pacem, sed ta-
„ lem velle doceamus, qualis & sola pax esse, & præterquam
„ pax nulla esse mōstraretur. Eutychianū certè dogma cōtra
„ quod apostolicæ sedis cautela peruigilat, si creditur salus
„ catholicæ fidei veritate posse cōstare, promatur, asseratur,
„ & quātislibet viribus astruatur: vt non solùm per seipsum
„ quàm inimicū sit fidei christianæ posset ostēdi, sed quātæ
„ & quàm letales hæreses in sua cōtineat colluuione mon-
„ strari. Si autem, vt magis confidimus, à catholicis iudica-
„ tis mentibus excludendùm, quæso te cur non & conta-
„ gia simul eorum qui hac probantur esse polluti, decerni-
„ tis refutanda, cùm dicat apostolus, qui non solùm facien-
„ da faciunt, reos videri, sed etiam qui consentiunt facien-
„ tibus? Proinde sicut non potest, peruersitatis communi-
„ catore suscepto non pariter peruersitas approbari, sic non
„ potest refutari peruersitas complice sectatore peruersitatis
„ amisso. Legibus certè vestris criminum conscij suscepto-
„ résque latrocinantium pari iudiciorū pœna cōstringūtur,
„ nec expers facinoris æstimatur, qui licet ipse non fecerit,
„ facientes tamē familiaritate fœdúsque receperit. Proinde
„ cū Calchedonēse cōcilium pro fidei catholicæ atque apo-
stolicæ veritate cōmunionéque celebratum damnauerit,
Euticheum detestantis furoris auctorem nō satis habuit,
nisi vt pariter, eiúsque quoque consortem Dioscorum,
cæterósque percellerat. Hoc igitur modo, sicut in vna qua-
que hæresi vel factum semper, vel fieri non habetur ambi-

» guum, successores eorum Timotheus, Petrus atque alter
» Antiochenus Petrus, singulariter nominatim vnusquisq;
» pro parte sua viritim propter singulos quosq;. Rursus acto
» concilio, sed & synodi semel actas regulas consequenter
» elisi. Quemadmodum ergo non euidenter apparuit, etiam
» cunctos simili tenore constringi, quorum communica-
» tores & complices extiterunt, ad quem eius omnino à ca-
» tholicæ atque apostolicæ merito communione discerni.
» hinc Acacium quoque iure dicimus à nostro consortio
» summouendum, qui maluit in sortem transire perfidiæ,
» quàm in catholicæ & apostolicæ cõmunionis sinceritate
» constare. Cùm ferè triennium ne is veniret, apostolicæ se-
» dis epistolis doceatur competenter instructus. Postquam
» verò communionis est factus alienæ, non potuit nisi à ca-
» tholicæ & apostolicæ mox societate præcidi, ne per eum si
» vel paululum cessaremus, nos quoque videremur subiisse
» contagia perfidorum. Sed re vera vel tali perculsus pœ-
» na resipuit, correctionem promisit, emendauit errorem,
» aut ille tractatus lenius voluerat coërceri, qui etiam ver-
bera dura non sensit: quo in sua perfidia & damnatione morientem, tam eius in ecclesiasticam recitationem non potest nomen adscribi, quàm eternæ contagium non debet communicationis amitti. Quapropter aut doceatur ab hæretica participatione sincerus, quorum se ille communioni permiscuit, aut cum iisdem non potest non repelli. Sic autem susurrant orientis Episcopi, quòd ad eos sedes apostolica non ista conscripserit, quasi vel ipsi de recipiendo legitimè Petro sedem apostolicam suis literis fecerint certiorem, vel huius receptionis inconditæ non

iam

„ iam pariter complices extitissent. Quem si virum possunt
„ docere ab hęretica prauitate fuisse purgatum. Ita se hæreti-
„ corum nullatenus potuerũt excusari consortes, qui si for-
„ tasse adstruxerunt, quod apostolicã sedem de susceptione
„ Petri per Acacium, cuncti consona voluntate retulerint,
„ per eundem sibimet omnes pari vice sentiant fuisse rescri-
„ ptum. Apostolicæ verò sedis auctoritas, quòd cunctis se-
„ culis christianæ ecclesiæ prælata sit vniuersæ, & canonum
„ serie paternorum, & multiplici traditione firmatur. sed vel
„ hunc vel vtrum sibi quisquam cõtra Nicenæ synodi con-
stituta quippiam valeat vsurpare, collegio potest vnius communionis ostendi, non mentibus externæ societatis aperiri apud illos, si quis confidit, egrediatur in medio, & apostolicam sedem de vtroque reuincat & instruat. Tollatur ergo nomen è medio, quod ecclesiarum discretionem procul à catholica communione operatur, vt sincera pax fidei communionísque reparetur, & vnitas & pax: quis nostrûm contra venerandam vel insurrexerit vel nitatur insurgere vetustatem, competenter & legitimè perquiratur. Et illic apparebit quis modesto proposito custodiat formam traditionémque maiorum, quis supra hæc inreuerenter insiliens, quis rapinæ æqualem, posse fieri arbitretur. Quòd si mihi populi Cõstãtinopolitani persona præponitur, per quam dicatur nomen scãdali, id est, Acacij non posse remoueri. Taceo quia & hæretico quondam Macedonio pulso, & Nestorio nuper electo, plebs Cõstãtinopolitana catholica permanere potius delegerit, quàm malorum præsulum damnatorum à defectione retineri. Taceo quos ab iisdem ipsis damnatis præsulibus quibus baptizati fuerãt in fide catholica manẽtibus, nulla

» sint exagitatione turbati. Taceo quòd pro rebus ludicris
» populares tumultus nunc etiam vestræ pietatis auctoritas
» refrenarit. atque ideò multo magis pro salute animarum
» suarum necessariò vobis Constantinopolitanæ ciuitatis
» obtemperat multitudo, si eam ad Catholicam & Apo-
» stolicam communionem vos principes reducatis. Etenim
» Imperator Auguste si contra leges publicas aliquis (quod
» absit) quippiam fortasse tentarit, nulla id pati ratione po-
» tuisses, ac diuinitatis puram sincerámque deuotionem vt
» tibi plebs subdi redigatur, conscientiæ tuæ non putas in-
» teresse? Postremò si vnius populi ciuitatis animus non pu-
» tatur offēdi, ne diuina, vt res postulat, corrigantur, quāto
» magis ne diuina offendantur, catholici nominis vniuersi
» piam fidem nec lædere debemus omnino nec possumus?
» & tamen idem nostras se poscunt voluntate sanari. Com-
» petentibus ergo sinant curari se posse remediis: alioquin,
» quod absit, in eorum transeūdo perniciem cum illis perire
» possumus; ipsos verò saluare non possumus. Iam hic quid
» sit magis sequendum, sub diuino iudicio vestræ conscien-
» tiæ derelinquo. etenim sicut nos optamus, simul omnes
» certam redeamus ad vitam: an sicut illi poscunt manife-
» stam tendamus ad mortem, sed adhuc apostolicam sedem
» sibi medicinalia suggerentem, superbam vocare arrogan-
» témque contendunt? Habet hoc qualitas sæpe languen-
» tium, vt accusent medicos congruis obseruationibus ad sa-
» lubria reuocantes: quàm vt ipsis vos noxios appetērēt de-
» ponere vel reprobare consentiant, si nos superbi sumus,
» qui animarum remedia cōuenientia ministramus? qui vo-
» candi sunt, qui resultāt, si nos superbi sumus? qui obedien-
» dum paternis dicimus constitutis, qui refragantur quo ap-

» pellandi sunt nomine? si nos elati sumus qui diuinum cul-
» tum puro atque illibato cupimus tenore seruari, qui cõtra
» diuinitatem quoque sentiunt, dicant qualiter nuncu-
» pentur. Sic & nos cæteri qui in errore sunt æstimant, quod
» eorum non consentiamus insaniæ. COMMONITO-
» RIVM autem quod Fausto scriptum à Gelasio dixi-
» mus, sic habet. Ego quoque mente percepi Græcos in
» sua obstinatione mãsuros, nec cui velut inspiratum videri
» potest quod est in ante præcognitũ. Quapropter non tam
» propter religionis causas student dispositionibus publicis
» obuiare, sed potius per occasionem legationis regiæ ca-
» tholicam fidem moliũtur euertere. Et tali commercio ní-
» tuntur sperata præstare. Quid sibi vult autem quod dixe-
» rit Imperator à nobis se in religione damnatum? Cùm su-
» per hac parte & decessor meus non solùm minimè nomen
» eius attigerit, sed insuper quando principia adeptus regiæ
» potestatis exeruit, in eius se rescripsit imperij promotione
» gaudere, & ego nulla ipsius vnquam scripta percipiens
» honorificis (vt nostis) cũ literis salutare curauerim, deces-
» sores mei, sacerdotes qui præuaricatoribus se communi-
» casse propria voce confessi sunt, à communione aposto-
» lica submouerũt. Si istis placet se miscere damnatis, nobis
» non potest imputari: si ab eis velit abscedere, tanto magis
» à nobis non potest esse damnatus, sed potius ad gratiam
» sinceræ communionis admissus. Ad senatũ verò pertinet
» Romanum, vt memor fidei quam à parentibus suscepisse
» se meminit, contagia vitet cõmunionis externæ, ne à con-
» munione sedis apostolicæ (quod absit) reddatur externus.
» Veniam sibi dari debere proponit? Legatur ex quo est re-

ligio Christiana, vel certè detur exemplum in ecclesia Dei à quibuslibet Pontificibus, ab ipsis Apostolis, ab ipso denique Saluatore veniam nisi corrigētibus fuisse cōcessam, auditum autem sub isto cœlo nec legitur omnino, nec dicitur, quod eorum voce depromitur, date nobis veniam vt tamen nos in errore duremus, id quoque parum est. Ostendant qui nobis canones nituntur opponere, quibus hoc canonibus, quibus regulis, qua lectione, quóve documento, siue à maioribus nostris, siue ab ipsis Apostolis, quos pauciores meritò fuisse non dubium est, seu ab ipso domino Saluatore, qui iudicaturus, creditur viuos & mor-
» tuos, siue factum est vnquam vel faciendum esse manda-
» tur mortuos suscitasse: & qui hoc certè faciendi solus ha-
» buit potestatem, beato Petro principaliter mandat apo-
» stolo, quæ ligaueris super terram, ligata erunt & in cœlo.
» Super terram, inquit, nam in hac legatione defunctum
» nusquam dixit absolui. Quod ergo nunquam factum est, vel mēte concipere formidamus, sciētes in diuino iudicio nō posse excusari, se autē quod nunc prætēdūt à Romana Ecclesia diuisuros, quod iam fecisse monstrantur, Eufimius verò miror si ignorantiam suam, ipse non perspicit, qui dicit Acacium ab vno non potuisse damnari: ita neminem perspiciat secūdum formam synodi Calchedonensis Acacium fuisse damnatū, nec nouit aut se nosse dissimulat. In qua vtique per numerosam sententiam sacerdotum erroris huius auctores cōstat fuisse damnatos, sicut in vnaquaque hæresi à principio Christianæ religionis, & factū fuisse, & fieri manifesta rerum ratione monstratur, decessorémque meum executorem fuisse veteris cōstituti, non nouæ constitutionis auctorem. quod non solùm præsuli


apoſtolico facere licet, ſed cuicumque Pontifici, quos licet, quemlibet locum ſecundum regulam hæreſeos ipſius ante damnatæ à catholica communione diſcernant. Acacius quippe non fuit noui vel proprij inuentor erroris, vt in eum noua ſcita præcederent, ſed alieno facinori ſua communione ſe miſcuit. Itaque neceſſe eſt, vt in illam recideret iuſta lance ſententiam, quam cum ſuis ſucceſſoribus per conuenientiam ſynodalem ſuſceperat auctor erroris. Nobis opponunt canones, dum neſciunt quid loquantur: contra quos hoc ipſo venire ſe produnt, quòd primæ ſedi ſancta rectáque ſuadenti parere fugiunt. Ipſi ſunt canones qui appellationes totius eccleſiæ ad huius ſedis examẽ voluere deferri: ab ipſa verò nuſquam prorſus appellari debere ſanxerunt. Ac per hoc illam de tota eccleſia iudicare, ipſam ad nullius commeare iudicium, nec de eius vnquam præceperunt iudicio iudicari ſententiam, quę illius conſtituerunt oportere diſſolui, cuius potius ſequenda decreta mãdarũt. In hac ipſa cauſa Timotheus Alexandrinus & Petrus Antiochenus, Petrus, Paulus, Ioãnes & cæteri nõ ſolũ vnus, ſed plures vtique nomen ſacerdotij præferentes, ſola ſedis apoſtolicæ ſunt auctoritate deiecti. Cuius rei teſtis etiam ipſe docetur Acacius, qui præceptionis huius extitit executor: quod vtique, ſicut apoſtolicam ſedem iuxta formam ſynodicam feciſſe manifeſtum eſt, ſic neminem reſultare potuiſſe certiſſimũ. Hoc igitur modo recidens in conſortium damnatorum, eſt damnatus Acacius, quo eorum damnationem antequam præuaricator extitiſſet, fuerat executus, nobis auſi ſunt canonum facere mentionem. Contra quos ſemper ambitionibus inlicitis tenendi eſſe monſtrantur, qua ipſi ſynodo vel ſecundum

» cuius synodi formam Alexandrinum Ioannem de eccle-
» sia cui ordinatus fuerat expulerunt. Qui nullis causis eui-
» dentibus nec ante conuinci, nec postea prouocās etiam in
» iudicio competenti potuit accusari. Quod si dicunt impe-
» rator hoc fecit. hoc ipsū canonibus, aut quibus regulis est
» præceptum? cur huic tam prauo facto consensit Acatius,
» cùm authoritas diuina dicat, nō solùm qui faciunt praua
» reos esse, sed & qui consentiunt facientibus. quibus cano-
» nibus, quibus regulis Calendion exclusus est? vel primi vr-
» bium diuersarum catholici sacerdotes, qua traditione ma-
» iorum apostolicam sedem in iudicium vocant? An secun-
» dæ sedis Antistes, & tertiæ, cæterique bene sibi conscij sa-
» cerdotes depelli debuerunt, & qui extitit religionis inimi-
» cus depelli nō debuit? Viderint ergo si alios habent cano-
» nes quibus suas ineptias exsequantur. cæterùm isti qui sa-
» cri, qui ecclesiastici, qui legitimi celebrantur, nō solùm se-
» dem apostolicam ad iudicium vocare nō possunt: & Cō-
» stantinopolitanæ Episcopus ciuitatis, quæ vtique per ca-
» nones inter sedes nullum nomen accepit, in communio-
» nē recidens perfidorū non debuit submoueri? An qui ho-
» mini mentitus dicitur Imperatori, & Imperatorem læsisse
» perhibentur, repelli debuerunt: & in dominum, qui sum-
» mus & verus est Imperator Acatium, delinquētem, since-
» rámque cōmunionem diuini sacramenti studentem mis-
» cere cum perfidis secundum synodum quæ in hac esse
» dicitur damnata perfidia, non oportebat excludi? sed ve-
» lint nolint ipsius iudicio antiqua canonum constitutione
» firmentur. Sed religiosi viri atque perfecti secundum ca-
» nones concessam sedi apostolicæ potestatem nimirum
» conantur eripere, & sibimet eam contra canones vsurpare

» cōtendunt. O canonum magistros, atque custodes? nobis
» nullū fas est inire certamē cum hominibus communionis
» alienæ diuina scriptura prædicante, hominem hæreticum
» post primā & secundam correctionem deuita, sciēs quòd
» huiusmodi delinquit proprio iudicio condemnatus. Ecce
» cognoscant, quia non solùm ab alio, sed à se quoque ipsé
» damnatur hæreticus. Illud autem nimis est impudēs, quòd
» Acatium veniam postulasse confingūt, & nos extitisse dif-
» ficiles. Testis est frater vester filius meus vir inluster An-
» dromachus, qui & à nobis abundanter instructus est vt co-
» hortaretur Acatium deposita obstinatione resipiscere, &
» ad sedis apostolicæ remeare consortium; quíque sub iure-
» iurando magis cum eodem monitionibus egisse testatur,
» nec ad ea quæ recta sunt potuisse deflecti, sicut rerū pro-
» batur effectu. Certè proferatur iudiciū, quando miserit,
» quando veniam postularit, correctionémque suam nobis
» promiserit exhibendam. Nisi forte hunc animum gessit,
» quē successores eius habere perspicimus: vt tam eos, si ve-
» niam postularet, sic sibi vellet impendi, vt nihilominus in
» errore persisteret, vbi vtique non tam à nobis recipi vide-
» retur, nos potius in suam traduceret prauitatē. quem rea-
» tum se confessuros adserunt ante certamen, si reatus vti-
» que corrigendus est: si corrigendum nō putant, fallaciter
» se reatum perhibent profiteri. Nisi quod est infœlicius,
» cùm & fatentur reatum, & non æstimant corrigendum. Il-
» lud quoque ridere me libuit, quòd ait si necesse fuerit ve-
» niam postulare: existimans nimirum tunc se peccati veniā
» necessariò postulare, si ei concedamus peccare non desi-
» stat. Imò etiam (quod absit) cum eodē consentiamus nos
» quoque peccare: nescio inter quæ mūdi prodigia hæc vox

poſſit admitti. Remitti culpa de præterito, poteſt correctione ſine dubio ſubſequête. Nâ ſi deinceps fingitur mêſura, peruerſitas non eſt benignitas remittentis, ſed cõſentientis annũciatio. Non mirum ſi iſti ſedi beati Petri blaſphemare præſumũt, qui talia portenta vel corde gerunt, vel ore diffundunt, & nos inſuper ſuperbos eſſe pronuntiât, cùm eis prima ſedes quidquid eſt pietatis non deſiſtat offerre. Illi etiam ipſo proteruo ipſum ſubiungere ſe poſſe confidant, ſed captos mente facere iſta non mirum eſt. Sic phrenetici ſolêt medicâtes quoſque vel hoſtes putare vel cædere. Quæſo tamen ab his iudicium quod prætendunt, vbinam poſſit agitari? An apud ipſos, vt idem ſint inimici, teſtes & iudices? Sed tali iudicio nec humana debent committi negotia: nedum diuinæ legis integritas, ſi quantum ad religionem pertinet, non niſi apoſtolicæ ſedis iuxta canones debetur totius ſumma iudicij. Si quantum ad ſæculi poteſtatem, ille à Pontificibus & præcipuè à beati Petri vicario debet cognoſcere, quæ diuina ſunt, nõ ipſe eadem iudicare: nec ſibi hoc quiſquis quàm potentiſſimus ſæculi, qui tamê Chriſtianus, vindicare præſumit, niſi religionem forſitan perſequentes. Quid tamen dicerent, ſi non chartis ſuis ab hominibus vincerêtur? Ineptias itaque ſuas ſibi ſeruêt, niſi reſipiſcât potius cogitâtes Chriſti vocem non eſſe ſuperfluam, quæ confeſſione beati Petri apoſtoli inferni portas nunquam præualituras adſeruit. Quapropter non veremur ne apoſtolica ſententia reſoluatur, quam & vox Chriſti, & maiorum traditio, & canonũ fulcit auctoritas, vt totam potius eccleſiam ſemper ipſa diiudicet. Sed cogitent magis, ſi quis in eis religionis eſt ſenſus, ne prauitatem ſuam nullatenus deponêtes,

» tes, apud Deum hominésque sedis apostolicæ pro parua
» constitutione damnentur: Sic autem dicitur fuisse defini-
» tum, vt deinceps de negotio nihil dicatur, quasi vel nunc
» eos quemadmodum nouistis, meo duxerim nomine spe-
» cialiter adloquẽdos. Neque planè cum istis non corrigen-
» tibus ineunda congressio, quemadmodum cum aliarum
» quoque hęreseôn sectatoribus dimicatio renuẽda. Vos au-
» tem saluos & sospites, quantocius huc reuerti continuis
» diuinitatem votis expetimus.




ANASTASIVS II.



MPERANTE orbi Flauio Valerio A-
nastasio, cognominem vrbi Epis-
copum dari, deligíque oportunè acci-
dit, vt vel solo nomine Cæsaris gra-
tiam mereretur: quemadmodum fa-
cere conatur initio decretorum. ita e-
nim orditur: Gloriosissimo & clemẽ-
» tissimo filio Anastasio Augusto Anastasius Episcopus. Ex-
» ordium Pontificatus mei primitus oblata populis pace
» pronuncio, & confidenter pro fide catholica humilis pie-
» tati tuæ precator occurro. in quo primum mihi diuinum
» fauorem propinquasse confido, quòd nunc consonantia
» in me augustissimi nominis tui non dubium præstat auxi-
» lium, vt sicut præcelsum vocabulum pietatis tuæ per vni-
uersas gentes toto orbe præfulget, ita per ministerium hu-
militatis meæ, sicut semper est sedes beati Petri, in vniuer-

ſali eccleſia aſſignatum ſibi à domino Deo teneat principatum. Verùm non multa facere potuit biẽnio quo Epiſcopus, id eſt Papa fuit. annos enim duos tantùm munus illud geſſit, vt ex Marcellino viro clariſſimo didici: idémque teſtatur Nicephorus non ille Caliſtus, ſed Conſtantinopoleos Epiſcopus. Quamobrem de eo nihil amplius dicam, ſiquidem in ijs qui nihil geſſerunt, breuem eſſe, quia materia careas, indecorum non erit. Dantes Hetruſcus excellenti ingenio poëta hunc beatum Põtificẽ apud inferos collocat, & rationem afferens, quia, inquit, Photinũ à recta via abduxit. Credo Gratiani locum illum legerat, quo ait Anaſtaſium ſecundum patria Romanum, fuiſſe temporibus Theodorici Regis, ſub quo multos clericos ſe à communione Anaſtaſij ſponte abegiſſe, quòd communicaſſet ſine conſilio Epiſcoporum, vel preſbyterorum & clericorum cunctæ eccleſiæ Catholicæ, Diacono Theſſalonicenſi nomine Photino, qui communicauerat Acacio. & quia voluit occultè reuocare Acacium, & non potuit, nutu diuino percuſſus eſt. Hic tamen locus eiuſmodi eſt, vt poëtæ perſuadere nõ debuerit, Anaſtaſio mortuo pœnas ob Photinum eſſe inflictas, & adhuc infligi. Diuina enim clementia humanis ſceleribus præponderare exiſtimanda eſt. Itaque de Fulgentio qui illis temporibus in Africa tamquam nobiliſſimum ſidus effulſit, dicam ea quæ dicẽda arbitror, Si modò quędam pręmiſero de Seſto Senatore Romano, quæ mihi & tibi ſuppeditabit liber ſecũdus Theodori Lectoris. » Feſtus quidam Senator Romanus cùm ad Imperatorem » Anaſtaſium propter quaſdam ciuiles neceſſitates » miſſus ad Imperatricem veniſſet, adhortatus eſt, vt memo- » ria Coryphæorum Apoſtolorum Petri & Pauli multa

» cum reuerentia & veneratione celebraretur. Quamuis itáque & antea celebrata esset, tamen ex petitione Festi, multo amplius & splendidius panegyris illa celebrari cœpit. Per hunc Festum Macedonius Anastasio Romano Episcopo rationem reddere voluit, verùm ne hoc faceret ab Imperatore est prohibitus. Festus verò, sicuti fertur, Imperatori clanculum pollicitus est persuasurum se Romano Episcopo, vt concordiæ Zenonis subscriberet. Cùm autem Romam venisset, Anastasium Episcopum mortuum reperit. Nunc ad Fulgentium venio. is temporibus Transmundi Regis Vandalorum fuit, ad quem Theodoricus Valamer mittit eas litteras quæ apud Cassiodorum reperiuntur. Augustini meminit, sanctum & beatum eum vocans in libris ad Monimum. Prosperi quoque & Optati Mileuitani mentionem facit. Ad Transmúdum verò scribit de mysteriis Christi duas naturas in vna persona retinentis, eúmque minus barbarum quàm decessores Gensericus & Hunericus indicat fuisse.



SYMMACHVS.



HEODORVS Lector vbi quod suprà demonstratum est de Festo Senatore Romano, adiicit quę sequútur: » Festus, inquit, studium impendit, vt quod querebatur quibusdā prætextibus subscriberetur. Multis enim pecunia corruptis id perfecit, vt præter cōsuetudinem Episcopus quidam eligeretur, Romanus natione, no-


mine Laurentius. ordinantur itáque duo, à pluribus quidem ex Diaconis ordinatur Symmachus,ab aliis verò Laurentius, quorum gratia, Romæ cædes, rapinæ & alia innumera mala perpetrãtur. Huius electionis meminit Gregorius primus libro dialogi quarto: Cùm adhuc, inquit, essem iuuéculus,atque in laïco habitu constitutus, narrari à maioribus atque scientibus audiui,quòd Paschasius huius apostolicæ sedis Diaconus, cuius apud nos rectissimi & luculenti de sancto Spiritu libri extant,miræ sanctitatis vir fuerit,eleemosynarum maximè operibus vacãs,cultor pauperum & contemptor sui. sed hic in ea contentione quæ inardescente zelo fidelium inter Symmachum atque Laurentium facta est, ad Põtificatus ordinem Laurentium elegit,& omnium pòst vnanimitate superatus, in sua tamen sententia vsque ad diem sui exitus perstitit: illum amãdo atque præferendo,quem Episcoporum iudicio præesse sibi ecclesia refutaret. Hic itáque cùm temporibus Symmachi apostolicæ sedis præsul esset defunctus, eius dalmaticam feretro superpositam dæmoniacus tetigit, statímque sanatus est. Cùm ad hunc modum talis rerum confusio trieniũ durasset, Theodoricus Romæ tum tẽporis potẽs,licet Arrianus esset,collecta Episcoporũ synodo, Symmacho Romanum Episcopatum confirmauit, Laurentium verò ciuitatis nomine Nuceriæ Episcopum constituit. Verùm hic Laurentius non quiescebat, sed adhuc Episcopatum Romanum appetebat: vnde illum Symmachus deponi & in exilium mitti curauit, quo facto quieuit seditio. Itáque Symmachus non immeritò in Romana synodo à se habita deinceps subscribit in hunc modum: Cœlius Symmachus Episcopus ecclesiæ Romanę, & Sym-

» machus Episcopus catholicæ ecclesiæ vrbis Romæ. Sed rem totam Nicolaus primus, qui magis scire poterat, exponit diligenter epistola ad Michaëlem Cæsarem. Cùm
» Theodoricus hæreseos Arrianæ fæce pollutus, Papam
» Symmachum vsque ad damnationem, multis hunc accu-
» santibus, impetere voluisset, & quotquot potuit ex Ligu-
» ria, Æmilia, Valeria, & ex diuersis regionibus, atque ex Si-
» cilia insula, huius rei gratia Episcopos Romá colligi præ-
» cepisset: & his ad se venientibus dixisset, plura ad se de Pa-
» pæ Symmachi actibus horrenda fuisse perlata, & in syno-
» do oportere, si vera esset inimicorum eius obiectio, indi-
» catione constare, memorati Pontifices, quibus allegandi,
» imminebat occasio, suggesserunt: Ipsum, qui dicebatur
» impetitus, debuisse synodum conuocare: scientes quia
» ei sedi primùm Petri Apostoli meritum, vel principatus,
» deinde sequuta iussionem domini conciliorum veneran-
» dorum auctoritas, ei singularé in ecclesiis tradidit potesta-
» tem, nec antè dictæ sedis Antistem minorum subiacuisse
» iudicio. Et rursus causas (inquiunt) Dei ipsius esse iudicio
» committendas, qui valet corpus occidere & animam mit-
» tere in gehennam, qui dicit: Mihi vindictam, & ego retri-
» buam: apud quem conscientia nuda est, cui nó abscondú-
» tur occulta. Et iterum idem ipsi dicunt: Quod dicebatur
» maiori iudici seruabamus, instruentes eos, quia per nos il-
» lis Christus innotuit, non esse ouium, lupi insidias præui-
» dere, sed pastoris. Ad postremum verò isti ipsi venerabiles
» præsules cùm vidissent quòd non sine sui discrimine po-
» tuissent cótra caput obices manus suas erigere, quicquid
» de præfati Symmachi sanctissimi Papæ actibus delatum
» fuerat, totum Dei iudicio reseruarunt: ita vt singuli quique

" in subscriptione sua hoc patenter indicent, cùm dicunt:
" Laurentius Episcopus ecclesiæ Mediolanẽsis huic statuto
" nostro, in quo totam causam Dei iudicio commisimus,
" subscripsi: Similiter Petro Episcopo ecclesiæ Rauennatis,
" & cæteris Episcopis subscribentibus. His postremis verbis Petri Rauennatis metionem fieri vides, id est eius Petri quem Chrysologũ vocãt, quòd ex eius ore aurea flueret oratio. Homeliarum insigne opus edidit, in quibus magnæ facundiæ vires perspicias, & virum illum dicas iuris ciuilis peritissimum fuisse. quales enim sunt istæ sententiæ?
" Excusatione caret, qui facinus ipso iudice teste cõmittit.
" Verecundi debitoris est mox promissa dissoluere: nec cre-
" ditoris animum aut deludere moris, aut longa expectatio-
" ne suspendere. Humanæ leges intra triginta annos omnes
" interimunt quæstiones, & Christus circa quingentos an-
" nos natiuitatis suæ causas præstat. Ortus sui lites patitur:
" status sui sustinet quæstiones. Quibus verbis Chrysologus ipse docet circa annum quingentesimum à natali Christi se vixisse. Laurentium suprà diximus Mediolanẽsem Episcopum fuisse. hic est Laurẽtius, in cuius natali Ennodius orationem habuit, idémque Symmacho notissimus familiarem ad eum epistolam mittit, sororis suæ filiũ Romam studiorum causa profectum plurimùm commẽ-
" dans. cuius epistolæ initium est, Symmacho Papæ Enno-
" dius. Cùm sedem Apostolicam coronæ vestræ cura mo-
" deretur, quam locutionem vti vetustioribus inusitatã obseruare lubet. Huius Pontificis temporibus gestatoriam sellam Episcoporum in vsu fuisse & ipse Ennodius docet,
" cùm ait: Ecce nunc ad gestatoriam sellam Apostolicæ cõ-
" fessionis volo mittant lumina candidati: & vberibus gau-

» diis exactis fletibus collata Dei beneficio dona geminan-
» tur. Quid superest quod de Symmacho Episcopo vrbis dicere iam velimus? supersunt acta synodorum quas Romæ habuit Theodorico rege, & quibus se Episcopum ecclesiæ catholicæ vrbis Romæ præfari solet, quæ fidem faciunt multis eum virtutibus illustrem & clarum extitisse. At volo quàm pręclarè de pręcessoribus, déque successoribus Symmachi Ennodius senserit, ex vno illius sermone qui à Gratiano citatur, falsóq; tribuitur Symmacho, paucis
» exponere. Nõ nos beatũ Petrũ, sicut dicitis, à domino cũ
» sedis priuilegio vel successores eius petẽdi licẽtiam iudica-
» mus suscepisse. Ille quippe perennem dotem maritorũ cũ
» hæreditate innocentiæ transmittit ad posteros. quod ta-
» men illi cõcessum est per actiuam lucem, ad illos pertinet
» quos par cõuersationis splẽdor illuminat. Quis enim san-
» ctum dubitet esse, quẽ apex talis dignitatis attollit? in quo
» si desint bona acquisita per maritum, sufficiant quę à loci
» prędecessore pręstãtur. Aut enim claros ad hæc fastigia eri-
» git, aut qui eriguntur illustrat. Certè nullus in orbe terrę
» magistrat⁹ reperiri potest, in quo plures idoneos viros mi-
» rari queas. Nã cùm adhuc Romani põtifices ampli⁹ ducẽ-
» ti & triginta fuerint, quis in illo numero, tot martyres, tot
» egregios doctores, tot excellẽtes Iuriscõsultos, tot huma-
» nis negotiis instructissimos, tot diuinos prope & laudan-
» dos maximè scriptis rerũ diuinarũ humanarúmq; nõ ma-
» gnopere admiretur? at non iidem omnes fuere, credo. sed
» hoc considero eos de quibus loquimur, angelos nõ fuisse,
» sed homines. Cæterũ Christianũ lectorem moneo extare Symmachi Episcopi Romani apologeticum aduersus Anastasium Imperatorẽ, dignum auribus Christianis. Extat e-

» tiam eccleſiæ per Illyricum diffuſæ ad Symmachum epi-
» ſtola, qua illum ſanctiſſimum beatiſſimúmque patrem ap-
» pellari video.




HORMISDA.



RVSINO locus eſt in Campania Italiæ prouincia, Iuuenali poëtæ notiſſimus: ſatyra enim tertia Fruſinonis meminit. Igitur apud Fruſinonem Hormiſda natus, idémque nomen ferens quod Theodoſio & Valētiniano Cæſaribus, Præfectus prætorio Hormiſda tulerat, Epiſcopi nomen ac dignitatem in vrbe eſt conſequutus virtute magis quàm vllo vel generis vel opum ornamento. In Romana ſynodo 3. habita Cœlij Symmachi deceſſoris ſui temporibus, Hormiſdam Diaconum fuiſſe video: & hic mos erat vt ferè ex optimis Diaconis bonos Epiſcopos Clerus populúſque Romanus deligeret. In quo munere obeundo quid præclari fecerit, Nicephorus Conſtantinopolitanus Epiſcopus teſtabitur, qui Iuſtini temporibus Calchedoniā ſynodum in ſacros codices ab Hormiſda relatam refert; quo magis miror quod apud Nicolaum legi de magno Chriſti confeſſore Ennodio Ticinēſi Epiſcopo, quem ait ab Hormiſda Apoſtolicæ memorię Conſtantinopolim miſſum innumeras miſerias à Græcorum veſania pro Chriſti fide, & ſtatu eccleſiæ non ſemel pertuliſſe. Sed rem totam Paulus Diaconus libro ſeptimo Roma-

Romanæ historiæ copiosius explicat. Ipse verò Ennodius nusquam in epistolis & operibus suis passum se apud Græcos quicquam refert. Cæterùm epistolam Hormisdæ ad Possessorem extare moneo, Maxentiíque ad eum responsionem, sine quibus intelligi illius ætatis acta non possunt: quamquam Maxentius putauit epistolam illam ab Hormisda scriptam non esse.



IOANNES.



VLLVS grauium scriptorum Fœlicis quarti mentionem facit: à Marcellino certè & Nicephoro Episcopo omittitur. nam illi post Hormisdam statim numerant Ioannem; déque Fœlice, qui fuerit successor Ioannis primi, nullam omnino apud historicos mentionem „ fieri video. Igitur de Ioanne dicẽdũ. Euagrius quidem Ca„ telinum alio nomine vocatum tradit. Binomius itaque „ fuit. Is Philaxeno & Probo Consulibus, non multo post „ Symmachi & Boëtij consulatum, incitante Theodorico „ Rege Gothorum, qui pro Arriana secta laborabat, primus „ Romanorum Pontificum Constantinopolim est profe„ ctus, miróque honore susceptus à Iustino Cæsare, Pascha„ lem diem plena voce Romanis precibus celebrauit, sem„ pérque in dextro ecclesiæ solio consedit. Hæc Marcellino auctore eloquimur. Reuersus autem quod pręmium accepit, & quem legationis fructum apud immitem & crude-

" lissimum tyrannum? O tunc imbelles atque impotentes " & seruili iugo oppressos vrbis Episcopos! quòd cum Iu- " stinus Catholicæ pietatis defensor honorificè suscepisset, " in carcerem coniectus hortantibus Arrianis ínque, eo san- " ctissimæ religionis decus Ioannes est mortuus: ac dum ex- " pectatur reditus eius, Rex Symmachum & Boëtium excō- " sules puniri gladio iubet. Hæc à Paulo narrantur libro 7. Romanæ historiæ. Sed videre causas ob quas sunt in carcerem cōiecti, nisi explicante Boëtio libro primo de consolatione philosophiæ, frustra volumus. Verùm tu immitis Theodorice, qui tuis literis ad Boëtium virum illustrem patricium scribens tantopere eum laudas, tantarúmque eius virtutum præco es, cur illum postea innocentem, & innoxiū perire iussisti? Gregorius primus dialogi libro ter- " tio scribit Gothorum tempore Ioannem beatissimū Ro- " manæ ecclesiæ Pontificem ad Iustinum seniorem princi- " pem profectum: de quo, inquit, etiam illud mirabile à no- " stris senioribus narrari solet, quod in Constantinopolita " vrbe ad portam quæ vocatur aurea, veniens populorum " turbis sibi occurrentibus in conspectu omnium roganti " cæco lumen reddidit, & manu supposita oculorum tene- " bras fugauit. Idémque libro quarto dialogi eiusdē, Theo- " doricus Rex, inquit, Ioannē Papam affligendo in custo- " dia occidit. Symmachum quoque patriciū ferro trucida- " uit. Symmachi autem filiam fuisse Gallam nobilissimam " puellam, quæ intra adolescentiæ tempora marito tradita, " in vnius anni spacio eius morte fuerit viduata, ídque libro " quarto Dialogi ab eodem Gregorio traditum est.



BONIFACIVS II.



NON sine contentione Bonifacius ad Episcopatum peruenit. etenim Dioscorus quidā corruptis pecunia plurimis è Clero & populo Romano vt in demortui locum diligeretur, obtinuit. At Deus iniquas eius artes & impia consilia nouerat, non tulit Romanam sedem diu pollui. pestem enim hanc aliquot diebus post ortam seditionē sustulit. Meminit Iustinianus huius Dioscori in edicto fidei cōfessionē continente: Quis ignorat (inquit) ea quæ nostris temporibus in ecclesia antiquioris Romæ contra Dioscorum acta sunt? qui cùm nihil in fidem peccasset, tamen propter solum ecclesiasticum ordinem post mortem ab eadem sancta ecclesia Romana anathematizatus est. Si igitur nihil in fidē peccantes Episcopi, propter solum ecclesiasticum ordinē & propter causam pecuniariam anathemati & post mortem subiiciuntur: quanto magis Theodorus, qui in ipsum Deum peccauit? At Dioscori factio causam dedit Senatoribus Romanis ab Alarico Rege, qui Theodorico successerat & vniuersam Italiam occuparat, petendi leges pro electione Episcopi Romani ne imposterum factiones huiusmodi Rempubl. Christianam perturbarent. Verùm Atalaricus scripsit Iustiniano vt pacem concederet illis conditionibus quas cum diuæ memoriæ auo suo Theodorico inclitos decessores eius habuisse constabat. Extant literæ apud Cassiodorum libro octauo. Sanctissimum verò Bo-

» nifacium Papam Athalaricus appellat epistola ad Ioannē
» successorem eius. Porrò hic Athalaricus epistola ad Cypria-
» num virum patricium, Pueri, inquit, stirpis Romanæ no-
» stra lingua (id est Gothica) loquuntur: eximiè indicantes
» exhibere se nobis futuram fidem, quorū iam vidētur affe-
» ctasse sermonē. Libro verò octauo illa epistola cōtinetur:
» simul alia Athalarici eiusdem scripta ad Clerum ecclesiæ
» Romanæ, his quidem verbis. Tāto diuinitati plurima de-
» bemus, quanto à cæteris mortalibus maiora suscepimus.
» Nam quid simile rependat Deo, qui potitur imperio? sed
» licet pro tanto munere nihil compensari possit idoneè, ip-
» si tamen gratia redditur, dum in seruientibus honoratur.
» Itaque flebili aditione causamini hoc fuisse longæ cōsue-
» tudinis institutum, vt siquis sacrosanctæ Romanæ eccle-
» siæ seruientem aliqua crederet actione pulsandum, ad su-
» pradictæ ciuitatis Antistitem negotiū suum dicturus oc-
» curreret. Ne clerus vester forensibus litibus profanatus,
» negotiis potius sæcularibus occupetur. Addentes, diaco-
» num quoque vestrum ad cōtumeliam religionis tāta exe-
» cutionis acerbitate compulsum, vt Saius eum propriæ cu-
» stodiæ crederet mancipandum. Presbyterum quinetiam
» Romànæ ecclesiæ pro leuibus causis, asserítis, criminaliter
» impetitum. Quod nobis pro ingenita reuerentia, quam
» nostro debemus auctori, displicuisse profitemur, vt qui
» pridem sacris meruerāt inseruire ministeriis conuētioni-
» bus irreuerēter nefariis expositi iniuriis subiacerent, sed a-
» liorum plectenda subreptio nobis obtulit plenissimæ lau-
» dis euentum. Vt causa contingeret præstandi, quæ nos
» cœlestibus commendaret auxiliis. Atque ideò considerā-
» tes Apostolicæ sedis honorem, & consulentes desideriis

» ſupplicantium, prçſenti auctoritate moderato ordine de-
» finimus, vt ſi quiſpiá ad Romanum Clerum aliquem per-
» tinentem, in qualibet cauſa probabili crediderit actione
» pulſandum, ad beatiſſimi Papæ iudicium prius conueniat
» audiendus. Vt, aut ipſe inter vtroſque more ſuæ ſanctita-
» tis agnoſcat, aut cauſam deleget æquitatis ſtudio terminã-
» dam. & ſi fortè, quod credi nefas eſt, competens deſideriũ
» fuerit petitoris eluſum, tũc ad ſæcularia fora iurgaturus oc-
» currat, quando ſuas petitiones probauerit à ſupradictæ ſe-
» dis præſule fuiſſe contemptas. Quod ſiquis extiterit tam
» improbus litigator, atque omniũ fuerit iudicio ſacrilega
» mente damnatus, qui reuerentiam tantæ ſedi exhibere cõ-
» temnat, & aliquid de noſtris affatibus crediderit prome-
» rendum, ante alicuius conuentionis effectum decem libra-
» rum auri diſpendio feriatur. quæ à palatinis ſacrarum lar-
» gitionum protinus exactæ, per manus ſæpe memorati An-
» tiſtis pauperibus erogentur, caréńſque impetratis negotij
» quoque ſui amiſſione multetur. Dignus eſt enim duplici
» pœna percelli, qui & diuinam reuerentiam, & noſtra iuſſa
» temerarit. Sed interim vos, quos iudicia noſtra venerãtur,
» eccleſiaſticis viuite inſtitutis. Magnũ ſcelus eſt, crimen ad-
» mittere, quos nec conuerſationem decet habere ſæcularẽ.
» profęſſio veſtra vita cœleſtis eſt. Nolite ad mortalium vota
» humilia, & errores deſcendere. Mundani coërceantur hu-
» mano iure, vos ſanctis moribus obedite.



IOANNES II.



ODEM Athalarico Italiam occupãte Ioannes ſecundus ad Epiſcopi munus obeundum delectus eſt, eúmque Bonifacio ſucceſſiſſe tradit Euagrius hiſtoriæ eccleſiaſticę libro quinto. Cùm autem eſſet Epiſcopus plurimorum ſuffragiis renũtiatus, ad eum Athalaricus ſcripſit epiſtolam, quæ libro 9. Variarum Caſſiodori continetur. Bonifaciíque beatiſſimi Papæ meminit, & defenſoris eccleſiæ Romanæ (ea enim dignitas erat) flebilem allegationem memorat, ſimúlque legem ſancit de vitanda corruptela in electione Epiſcoporum vrbis Rex idem Athalaricus ad Saluantium præfectum vrbi de eadem re etiam ſcribit libro 10. epiſto. Caſſiodori. Poſtremò de petitione beatiſſimi Papę & procerum Romanorum: quibus adiiciemus ex libro vndecimo Variarum Magni Aurelij Caſſiodori Senatoris epiſtolam ad Ioannem plenam ſanctimoniæ, plenam grauitatis, plenam denique ſententiarum; & Iuſtinianus Cæſar ad illum quoque ſcribit, quæ epiſtolæ hìc apponentur.

IOANNI PAPÆ ATHALARICVS REX.

SI antiquis principibus ſtudium fuit leges exquirere, vt ſubiecti populi delectabili tranquillitate fruerentur,

» multo præstantius est talia decernere, quæ possunt sacris
» regulis conuenire. Absint enim à nostro sæculo damnosa
» compendia. Illud tantum verè possumus lucrum dicere,
» quod constat diuina iudicia non punire. Nuper siquidem
» ad nos defensor Ecclesiæ Romanæ flebili allegatione per-
» uenit, cùm apostolicæ sedi peteretur antistes, quosdam
» nefaria machinatione necessitatem temporis occupatos,
» ita facultates pauperum extortis promissionibus ingra-
» uasse, vt quod dictu nefas est, etiam sacra vasa emptioni
» publicæ viderentur exposita. Hoc quantum fuit crudele
» committi, tanto gloriosum est adhibita pietate resecari.
» Atque ideò sanctitas vestra statuisse nos præsenti defini-
» tione cognoscat, quod etiam ad vniuersos Patriarchas at-
» que metropolitanas Ecclesias volumus pertinere, vt à tem-
» pore sanctissimi Papæ Bonifacij cùm de talibus prohiben-
» dis suffragiis P. C. senatusconsulta nobilitatis suæ memo-
» res condiderunt, quicumque in episcopatu obtinendo si-
» ue per se, siue per aliam quancunque personam, aliquid
» promisisse declaratur, vt execrabilis contractus cunctis vi-
» ribus efferetur. Si quis autem in hoc scelere deprehendi-
» tur fuisse versatus, nullam relinquimus vocem, verum-
» etiam si aut repetendum aut quod acceptum est non red-
» dendum esse crediderit, sacrilegij reus protinus habeatur,
» accepta restituens compulsione iudicis competentis. Iu-
» stissimæ siquidem leges, vt bonis aperiunt, ita claudunt
» malis moribus actionem. Prętereа quicquid in illo senatus
» decretum est cõsulto, præcipimus in eos modis omnibus
» custodiri, qui se quoquo modo, per interpositas quascun-
» que personas, scelestis contractibus miscuerunt. Et quia
» omnia docet sub ratione moderari, nec possunt dici iusta,

» quæ nimia sunt, cùm de Apostolici consecratione Ponti-
» ficis intentio fortasse peruenerit, & ad palatium nostrum
» producta fuerit altercatio populorum, Suggerentes nobis
» intra tria millia solidorum, cum collectione cartarum cen-
» semus accipere. A quibus tamen omnes idoneos rei ipsius
» consideratione remouemus. Quia de ecclesiastico mune-
» re pauperibus est potius consulendum. Alios verò Patriar-
» chas, quando in comitatu nostro de eorum ordinatione
» tractatur, in supradictis conditionibus atque personis in-
» tra duo millia solidorum iubemus expendere. In ciuitati-
» bus autem suis tenuissimæ plebi non amplius quàm quin-
» gentos solidos se distributuros esse cognoscant. Reliquos
» accipientes, & edicti præsentis & Senatus consulti nuper
» habiti, pœna constringat: sed & dantes canonum seueri-
» tas persequatur. Vos autem qui Patriarcharum honore re-
» liquis præsidetis Ecclesiis, quos constitutio nostra ab il-
» licita promissione liberauit, restat vt bona imitãtes exem-
» pla, sine aliquo ecclesiarum dispendio dignos maiestate
» Pontifices offeratis. Iniquum est enim, vt locum apud vos
» habeat ambitus, quem nos laïcis diuina consideratione
» præclusimus. Quapropter si quis Apostolicæ præsul eccle-
» siæ vel Patriarcharum Episcopus, siue per se, siue per pa-
» rentes nos seruientium, quascumque personas aliqua suf-
» fragij crediderit ambitione promouendas, & ipsum red-
» dere accepta definimus, & quod est canonibus statutum,
» eum modis omnibus esse passurum. Si quis verò quæ de-
» derit, aut promiserit, eodem superstite timuerit publicare,
» ab hæredibus, vel pro hæredibus, eius ecclesia repetat, cu-
» ius suffragio Antistes deprehenditur ordinatus. Nota infa-
» miæ nihilominus superstites inurente. Reliquos quoque
ordines

» ordines sub eadem fieri districtione præcepimus. Quòd si
» forsitan dolosæ machinationis inuento sacramentis per-
» sona intercedentibus fuerit obligata, vt saluo statu animæ
» commissam iniquitatem neque approbare possit., neque
» audeat accusare, damus licentiam quibuslibet honestis
» personis, in singulis quibusque ciuitatibus apud iudices
» competentes hoc crimen deferre. Et quicquid ex ea po-
» tuerit probatione recolligi, vt approbatione insequẽtes a-
» nimemus, tertiam partem iudicatæ rei ille percipiat, qui
» tale facinus voluerit applicare. Reliqua ipsis ecclesiis pro-
» ficiant, quæ videntur extorta, aut in fabricis earum, aut in
» ministeriis nihilominus profutura. Decet enim ad vsus bo-
» nos conuertere, quæ voluit peruersitas inimica fraudare.
» Quiescat igitur malignantium praua cupiditas. Quò ten-
» dunt, qui à fonte præclusi sunt? Recolatur & timeatur
» Simonis iusta damnatio, qui emẽdũ credidit totius largi-
» tatis auctorẽ. Orate igitur pro nobis, edicta nostra custo-
» dientes. quia diuinis noscitis cõuenire mysteriis. Sed quo
» facilius principis votum vniuersorum mentibus innotes-
» cat, hoc senatui, hoc populis, per Præfectum vrbis præci-
» pimus intimari: vt generalitas agnoscat, nos illos prose-
» qui, qui maiestati diuinæ potius viderentur aduersi. Vos
» quoque hoc vniuersis, quos Deo propitio regitis, Episco-
» pis intimate. neque sit alienus à culpa, qui potuit agnosce-
» re constituta.

IOANNES II.

SALVANTIO V. I. PRÆFECTO VRBIS ATHALARICVS REX.

GRata res eſt, cunctа profutura vulgare: vt generale fiat gaudium, quod potuit eſſe votiuum. Alioqui læſionis cauſa noſcitur, ſi beneficia potius occulantur. Dudum ſiquidem Senatus ampliſſimus, à ſplendore ſuo cupiens maculam fœdiſſimæ ſuſpitionis abradere, prouida deliberatione conſtituit, vt in beatiſſimi Papæ cõſecratione nullus ſe abominabili cupiditate pollueret, pœna etiam conſtituta, qui talia præſumere tentauiſſet. non iniuria, quia tunc electi verè meritum quæritur, cùm pecunia non amatur. Quod nos laudantes, & augentes inuentum, ad beatiſſimum Papam direximus conſtituta, quæ his ante lata præfulgent: vt ab honeſtate ſanctæ Eccleſiæ profanus ambitus auferatur. Hoc nos ad notitiam Senatus & Romani populi volumus ſine aliqua dilatione perducere. quatenus cunctorum figatur cordi, quod cupimus omnium ſtudio cuſtodiri. Verùm vt principale beneficium & præſentibus hæreat ſæculis, & futuris, tam Definita noſtra, quàm Senatus conſulta tabulis marmoreis præcipimus decenter incidi, & ante atrium beati Petri Apoſtoli in teſtimonium publicum collocari. Dignus enim locus eſt, qui & glorioſam mercedem noſtram, & Senatus ampliſſimi laudabilia decreta contineat. In quam rem illum direximus, quo redeunte noſcamus impleta quæ iuſſimus. Incertum enim videtur habere, quod præcipit, cui rerum effectus tardius innoteſcit.

SALVANTIO V. I. PRÆFECTO VRBIS ATHALARICVS REX.

SI principes antiqui mœnia Romana in populorum exquiſiuere lætitiam, ne ciues illi merito ſingulares aliquid commune cum cęteris poſſiderent, nefas eſt inter tot rerum iucunda, eos lōgam ſuſtinere triſtitiam. Quia exultatio ciuitatis, illius generalitatis votum eſt: dum neceſſe eſt lætari reliqua, ſi mundi caput gaudere proueniat. Apoſtolici ſiquidem Papæ Ioannis & procerum noſtrorum relatione cognouimus, illum & illum Romanos pro ſola ſuſpitione ſeditionis tam longæ cuſtodiæ pœna maceratos, vt cuncta ciuitas mœrorem de illorum continua calamitate contraxerit: vt eis nec dierum feſtiuitas, nec vlla, (quæ apud nos eſt gratiſſima) nominis ſui dignitas ſubueniret. Quod nobis pro ſui facti acerbitate diſplicuit: vt qui in iudicio conuicti minimè feruntur, debita malis tormenta, cruciatúſque pertulerint. Et ideò magnitudinem tuam iuſſis præſentibus admonemus, vt quocumque loci reperire, potueris eos abſoluere nō moreris. Quia etiam ſi aliquo reatu inuolutos eſſe claruerit, interceſſionibus ſupradictis eos iam à metu liberos eſſe cenſemus. Si verò innocentes ſe tormenta ſuſtinuiſſe confidunt, damus querelis eorum liberam vocem: vt iuſtis legibus vindicent, quod iniquis auſibus pertulerunt. Quia nolumus innocentes à iudicibus deprimi, quos ad eorum præſidia conſtat eleuari. Reuocentur nunc ad lætitiam priſtinam Romani: nec nobis credant placere poſſe, niſi qui eos eligunt modeſta æqualitate tractare. Intelligant parentes noſtros pro ſua quiete laborioſa ſubiiſſe pericula: nos autem mul-

» tis expensis agere, vt illi debeant garrula exultatione gau-
» dere. Nam & si quid iniquè vel acerbè hactenus pertule-
» runt, non credant à nostra mansuetudine negligendum.
» Qui nec nobis otia damus, vt illi secura pace, ac tranquilla
» lætitia perfruantur. Citò sentiant quia nos amare non pos-
» sumus, quos illi pro suis excessibus horruerunt. Nam quo-
» rum gratiam impetrare possunt, qui suis ciuibus displicere
» meruerunt? At dum tēpus habuissent amoris publici, ege-
» runt vnde iustè debeant execrari?

IOANNI PAPÆ SENATOR POPVL. Q. R.

» SVpplicandum vobis est, beatissime pater, vt lætitiam
» quam per vos (Deo largiēte) percepimus, custodiri no-
» bis vestris orationibus sentiamus. Quis enim dubitet, pro-
» speritatem nostram vestris meritis applicandam? Quando
» honorem adipiscimur, qui à domino diligi nō meremur.
» & permutatione efficaci bona recipimus, dum talia non a-
» gamus. Ecclesiasticis siquidem ieiuniis fames est exclusa
» popularis. Decoris lachrimis tristitia fœda discessit. Et per
» sanctos viros acceleratum est, ne traheretur diutius, quod
» grauabat. Et ideò salutans officiositate, qua dignū est, pre-
» cor vt viuacius oretis pro salute regnātium. Quatenus eo-
» rum vitam cœlestis Princeps faciat esse longæuam, Roma-
» næ Reipublicæ hostes imminuat, tempora tranquilla con-
» cedat deinde, quod ornat pacem, necessariam nobis copiā
» de abundantię suæ horreis largiatur. Mihíque filio vestro
» intelligētiæ sensus aperiat; vt quæ verè sunt vtilia sequar,
» quæ vitanda refugiam. Vigor ille rationabilis animæ no-

» bis consilium præstet. Facies veritatis albescat: ne mentem
» nostram inubilet caligo corporea. Sequamur quod in-
» tus est, ne foris à nobis simus. instruat quod de vera sapiē-
» tia sapit. Illuminet quod cœlesti claritate resplendet. Talē
» vtique iudicem excipiat publicus actus, qualem filium ca-
» tholica mittit ecclesia. In suis nos etiam muneribus virtus
» sancta custodiat. quia grauiores insidias antiqui aduersarij
» tunc subimus, quando eius dona suscipimus. Nolite in me
» tātum reiicere ciuitatis illius curam, quæ potius vestra lau-
» de secura est. Vos enim speculatores Christiano populo
» præsidetis. Vos patris nomine vniuersa diligitis. Securitas
» ergo plebis ad vestram respicit famā, cui diuinitus est cō-
» missa custodia. quapropter nos decet custodire aliqua, sed
» vos omnia. Pascitis siquidem spiritualiter commissum vo-
» bis gregem. Tamen nec ista potestis negligere, quæ cor-
» poris videntur substantiam continere. Nam sicut homo
» constat ex dualitate, ita boni patris est vtráque re fouere.
» Primùm penuriam temporis, quam delicta promerentur,
» orationibus sanctis amouete. Si quid autem, quod absit,
» acciderit, tunc bene necessitas excluditur, quando contra
» eam sub vbertate tractatur. Monete me, quæ sunt gerenda
» solicite. Bene agere vel correptꝰ exopto: quia difficilius er-
» rat ouis, quæ voces desiderat audire pastoris. nec facilè ef-
» ficitur vitiosus, cui admonitor insistit assiduus. Sum quidē
» iudex Palatinus, sed vester non desinam esse discipulus. Nā
» tunc ista rectè gerimus, si à vestris regulis minimè disce-
» damus. Sed cùm me à vobis desiderem, & moneri cōsiliis,
» & orationibus adiuuari, iam vobis est applicandum, si
» quid in me fuerit aliter, quàm optabatur, inuentum. Sedes
» illa, toto orbe mirabilis, proprios tegat affectione culto-

res. Quæ licet generalis mũdo ſit præſtita, vobis etiam cognoſcitur & localiter attributa. Tenemus aliquid ſanctorũ apoſtolorum proprium, ſi peccatis diuidentibus non reddatur alienũ, quando cõfeſſiones illas, quas videre vniuerſitas appetit, Roma fœlicior in ſuis finibus habere promeruit. Nil ergo timemus talibus patronis, ſi oratio nõ diſſiſtat antiſtitis. Arduum eſt quidem, multorum deſideriis ſatisfacere, ſed nouit diuinitas multa præſtare: ipſa retũdat inuidos. Ipſa nobis faciat ciues, cœleſti aſpiratione, gratiſſimos, & ſupplicationibus veſtris tempora tribuat, quibus ſuperna gratia prædicatur indulta.

GLORIOSISSIMO ET CLEMENTISSIMO FILIO IVSTINIANO AVGVſto Ioannes Epiſcopus vrbis Romæ ſalutem.

INter claras ſapientiæ ac manſuetudinis veſtræ laudes, Chriſtianiſſime principum, puriore luce tanquam aliquod ſydus irradiat, quòd amore fidei, quòd charitatis ſtudio, edocti eccleſiaſticis diſciplinis, Romanæ ſedis reuerentiam conſeruatis, & ei cuncta ſubiicitis, & ad eius deducitis vnitatem: ad cuius auctorem, hoc eſt, apoſtolorũ primum, domino loquente præceptum eſt. Paſce oues meas. Quam eſſe omnium verè eccleſiarum caput, & patrum regulæ & principum ſtatuta declarant, & pietatis veſtrę reuerendiſſimi teſtantur affatus. Patet igitur in vobis impletum fore, quod ſcripturæ loquuntur per me reges regnãt, & potentes ſcribunt iuſtitiam. Nihil eſt enim quod lumine clariore præfulgeat, quàm recta fides in principe: nihil eſt quod ita nequeat occaſui ſubiacere, quàm vera religio,

" Nam cùm auctorem vitæ vel luminis vtraque respiciant,
" rectè & tenebras respuunt, & nesciunt subiacere defectui.
" Quam ob rem gloriosissime principum, votis omnibus
" exorabitur diuina potentia, vt pietatem vestram in hoc ar-
" dore fidei, in hac deuotione mentis, in hoc integræ reli-
" gionis studio, sine defectu sui in longiora tempora con-
" seruet. Hoc enim & sanctis credimus ecclesiis expedire.
" Scriptum est enim, labiis regit rex. Et iterum: cor regis in
" manu Dei est, & vbi voluerit inclinabit illud. hoc est enim
" quod vestrum firmat imperium, hoc quod vestra regna
" conseruat. Nam pax ecclesiæ, religionis vnitas, auctorem
" facti in sublime prouectum grata sibi tranquillitate cu-
" stodit. Neq; enim parua ei vicissitudo à potẽtia diuina tri-
" buitur, per quẽ nullis rugis ecclesia diuisa secernitur, nul-
" lis insertis maculis variatur. Scriptũ est enim, quia cùm rex
" iustus sederit supra sedem, non aduersabitur ei quicquam
" malignum. Proinde serenitatis vestræ apices, per Hypatiũ
" atque Demetrium sanctissimos viros, fratres & coëpisco-
" pos meos, reuerentia consueta suscepimus: quorum etiam
" relatione comperimus, quòd fidelibus populis proposui-
" stis edictum amore fidei pro submouenda hæreticorum
" intentione secundum apostolicam doctrinam, fratrum &
" coëpiscoporum nostrorum interueniente cõsensu: quod
" quia apostolicæ doctrinæ conuenit, nostra auctoritate
" confirmamus. Liquet igitur Imperator gloriosissime (vt
" lectionis tenor & legatorum vestrorum relatio patefecit)
" vos apostolicis eruditionibus studere. Cùm de religione
" catholicę fidei ea sapitis, ea scripsistis, ea populis fidelibus
" publicastis, quę (sicut diximus) & sedis Apostolicæ doctri-
" na & sanctorũ patrũ veneranda decreuit auctoritas, & nos

» confirmauimus in omnibus. Opportunum est ergo voce
» exclamare prophetica: Iucundetur tibi, & abũdet cœlum
» desuper, & effundant montes iucunditatem, & colles læ-
» titia lætabuntur. Hæc igitur in tabulis cordis fidelis scribe-
» re, hæc vt pupillas oculorum conuenit obseruare. Neque
» enim quisquã est, in quo Christi charitas feruet, quæ tam
» rectè, tam verè confessionis vestrę fidei refragator existat.
» Cùm euidenter impietatem Nestorij, Euichetísque, &
» omnium hæreticorum damnantes vnam veram catholi-
» cam fidem domini & Dei nostri saluatoris Iesu Christi
» magisterio institutã, & propheticis apostolicísque prædi-
» cationibus vbique diffusam, & sanctorum per totum or-
» bem confessionibus roboratam, patrum atque doctorum
» sententiis adunatam, & nostræ doctrinæ cõsentaneam,
» inconcussè atque inuiolabiliter deuota Deo & pia mente
» seruatis. Soli etenim professionibus vestris aduersantur,
» de quibus diuina scriptura loquitur dicens, posuerunt mẽ-
» dacium spem suam, & mendacio operiri sperauerunt. Et
» iterum, qui prophetam dicunt domino, recede à nobis,
» vias tuas scire nolumus. Propter quod Salomon dicit, per
» semitas propriæ culturæ errauerunt: colligunt autem ma-
» nibus infructuosa. Hęc est igitur vera vestra fides, hæc cer-
» ta religio, hoc beatæ recordationis, vt diximus, patres om-
» nes, præsulésque Romanæ ecclesiæ, quos in omnibus se-
» quimur. Hoc sedes Apostolica prædicauit hactenus, &
» incõcussè custodiuit. Huic confessioni, huic fidei quisquis
» contradictor extiterit, alienum seipsum à sancta concio-
» ne, alienum ab ecclesia iudicabit esse catholica. nos enim
» Cyrum cum sequacibus suis in Romana inuenimus ciui-
» tate, qui de Cumitensi monasterio fuit: quos apostolicis
suasionibus

» suasionibus ad rectam fidem, & velut oues quæ perierant
» errantes, ad ouile contendimus reuocare dominicum: vt
» agnoscerent secundum prophetam balbutientes loqui,
» quæ ad pacem sunt: ad non credentes autem per nos pri-
» mus Apostolorum Esaiæ prophetæ verbum dicit: Ambu-
» late in lumine ignis vestri, & in flammis quas accendistis.
» Sed obduratum est cor eorum, vt scriptum est, vt non in-
» telligerent, & pastoris vocem oues quæ meæ non erant,
» audire minimè voluerunt. In quibus obseruantes ea quæ
» ab ipsorum sunt statuta Pontifice, eos minimè in nostra
» concione recipimus, & ab omni ecclesia catholica esse ius-
» simus alienos. Nisi errore damnato doctrinam nostram
» quanto ocius sequi habita regulari professione signaue-
» rint. Æquum quippe est, vt qui nostris minimè obedien-
» tiam accommodant statutis, ab ecclesiis habeantur extor-
» res. Sed quia gremium suum numquam redeuntibus clau-
» dit ecclesia, obsecro clementiam vestram, vt si proprio de-
» posito errore, & praua intentione depulsa ad vnitatem
» Ecclesiæ reuerti voluerint, in vestram cõcionem receptis,
» indignationis vestræ remoueatis aculeos; & nobis interce-
» dentibus benigni animi gratiam condonetis. Deum au-
» tem & saluatorem nostrum Iesum Christum exoramus,
» quatenus lõgæuis & pacificis vos dignetur custodire tem-
» poribus in hac vera religione & vnitate, & veneratione
» Apostolicę sedis, cuius principatum vt christianissimi &
» pij conseruatis in omnibus. Præterea serenissime princi-
» pum laudamus legatorum vestrorum personas Hypatij &
» Demetrij fratrum, & coëpiscoporum nostrorum; quos
» clementiæ vestræ gratos fore ipsa manifestauit electio.
» Nam tantæ causæ pondus non nisi perfectis in Christo

» potuiſſet iniungi, tãtæ verò pietatis, tantæ reuerentię pleno affatu, niſi per amantes minimè dignaremini deſtinare. Gratia Domini noſtri Ieſu Chriſti, & charitas Dei patris, & communicatio ſancti Spiritus ſit ſemper vobiſcum, piiſſime fili. Amen. *Item ſubſcriptio*: Omnipotens Deus regnum veſtrum & ſalutem veſtrã perpetua protectione cuſtodiat, glorioſiſſime & clementiſſime fili Imperator Auguſte. D. Romæ VIII. Kalen. April. D. N. Iuſtiniano PP. A. (IIII) & Paulino V. C. Coſſ.


» VICTOR IVSTINIANVS PIVS, FOELIX, INCLYTVS, TRIVMPHATOR, ſemper Auguſtus, Ioanni ſanctiſſimo Archiepiſcopo almæ vrbis Romæ & Patriarchæ ſalutem.

» NOs reddentes honorẽ apoſtolicæ ſedi, & veſtrę ſanctitati (quod sẽper nobis in voto & fuit & eſt) & vt decet patrẽ, honorantes veſtram beatitudinem, omnia quæ ad eccleſiarum ſtatum pertinent, feſtinauimus ad notitiã deferre veſtrę ſanctitatis: quum ſemper nobis fuit magnũ ſtudium vnitatem veſtræ apoſtolicæ ſedis, & ſtatum ſanctarum Dei eccleſiarum cuſtodire, qui hactenus obtinet, & incommotè permanet nulla intercedente contrarietate. Ideóque omnes ſacerdotes vniuerſi Orientalis tractus, & ſubiicere & vnire ſedi veſtræ ſanctitatis properauimus. In præſenti ergo quæ cõmota ſunt (quamuis manifeſta & indubitata ſint, & ſecundũ apoſtolicæ veſtræ ſedis doctrinã ab omnibus ſemper ſacerdotibus firmè cuſtodita & prædicata) neceſſarium duximus vt ad notitiam ve-

» ſtræ ſanctitatis perueniant. Nec enim patimur quicquam
» quod ad eccleſiarum ſtatum pertinet, quamuis manifeſtū
» & indubitatum ſit quod mouetur, vt non etiam veſtrę in-
» noteſcat ſanctitati, quæ caput eſt omnium ſanctarum ec-
» cleſiarum. Per omnia enim (vt dictum eſt) properamus ho-
» norem & auctoritatem creſcere veſtræ ſedis. Manifeſtum
» igitur facimus veſtræ ſanctitati, quòd pauci quidam infi-
» deles, & alieni ſanctæ Dei catholicæ atque apoſtolicæ ec-
» cleſiæ contradicere iudaicè atque apoſtaticè auſi ſunt ad-
» uerſus ea quę ab omnibus ſacerdotibus ſecundū veſtrā do-
» ctrinā rectè tenentur & glorificantur, atquæ prædicantur,
» denegantes dominum noſtrum Ieſum Chriſtum vnige-
» nitum filium Dei, deum & Dominum noſtrum incarna-
» tum de ſancto ſpiritu, & ex ſancta atque glorioſiſſima
» ſemper virgine Dei genitrice Maria, hominem factum at-
» que crucifixum, vnum eſſe ſanctæ & conſubſtantialis Tri-
» nitatis, & coadorandū & conglorificandū patri & ſpiritui
» ſancto, conſubſtantialē patri ſecūdū diuinitatem, & con-
» ſubſtantialem nobis eundē ipſum ſecūdum humanitatē,
» paſſibilem carne, eundémque ipſum impaſſibilem deita-
» te. Recuſantes enim dominum noſtrum Ieſum Chriſtū
» vnigenitum filium Dei & dominum noſtrum fateri vnū
» eſſe ſanctæ & conſubſtantialis Trinitatis, videntur Neſto-
» rij malam ſequi doctrinam, ſpiritum gratiam dicentis v-
» num filium Dei, & alium dicentis Dei verbum, & alium
» Chriſtum. Omnes verò ſacerdotes ſanctæ catholicæ at-
» que apoſtolicæ eccleſiæ, & reuerendiſſimi archimandritæ
» ſanctorum monaſteriorum, ſequentes ſanctitatem veſtrā,
» & cuſtodientes ſtatum & vnitatem ſanctarum Dei eccle-
» ſiarum, quam habent ab apoſtolica veſtræ ſanctitatis ſede,

» nihil penitus immutantes de ecclesiastico statu, qui ha-
» ctenus obtinuit atque obtinet, vno consensu profitentur,
» & glorificant prædicantes Dominum nostrũ Iesum Chri-
» stum vnigenitum filium & verbum Dei & dominum no-
» strum ante sæcula & sine tempore de patre natum in vlti-
» mis diebus descendisse de cœlis, & incarnatũ de spiritu san-
» cto & ex sancta atque gloriosa virgine, & Dei genitrice
» Maria natum, & hominem factum, & crucifixum. Vnũ
» esse sanctæ & cõsubstantialis Trinitatis, & coadorandum
» & conglorificandum patri & sancto spiritui. Nec enim
» alium deum verbum, & alium Christũ cognoscimus, sed
» vnum atque eundem ipsum consubstantialem patri secũ-
» dum diuinitatem, & consubstantialem nobis eundem ip-
» sũ secũdũ humanitatẽ, passibilem carne, eũdem ipsum im-
» passibilem deitate. Vt enim est in diuinitate perfectus, ita
» idem ipse & in humanitate perfectus est. In vna enim sub-
» stantia deitatem suscepimus, & cõfitemur, quod dicunt
» Græci ὁμοούσιον. Et cùm vnigenitus filius & verbum Dei
» ante sæcula & sine tempore de patre natus idem ipse, & in
» vltimis diebus descendens de cœlis, incarnatus de spiritu
» sancto, & ex sancta atque gloriosa semper virgine & Dei
» genitrice Maria homo factus dominus noster Iesus Chri-
» stus, propriè & verè Deus est. Ideò sanctam atque glorio-
» sam virginem Mariam propriè & verè Dei matrem esse di-
» cimus. Non quia Deus verbum principium ex ipsa sum-
» pserit, sed quia in vltimis diebus descẽdit de cœlis, & ex ip-
» sa incarnatus & homo factus & natus est: quem cõfitemur
» & credimus, sicut dictum est, consubstantialem esse pa-
» tri secũdum deitatem, & consubstantialem nobis eun-
» dem ipsum secũdum humanitatem: eiusdem miracula &

» passiones quas sponte in carne sustinuit agnoscentes. Sus-
» cipimus autem sancta quatuor cōcilia, id est trecentorum
» decem & octo sanctorum patrum, qui in Nicena vrbe cō-
» gregati sunt: & centum quinquaginta sanctorum patrum,
» qui in hac vrbe conuenerunt: & sanctorum patrum, qui in
» Epheso primò congregati sunt: & sanctorum patrum qui
» in Calchedone conuenerunt, sicut vestra apostolica sedes
» docet atque prædicat. Omnes ergo sacerdotes sequentes
» doctrinam apostolicæ sedis vestrę ita credunt & confiten-
» tur, & prędicant. Vnde properauimus hæc ad notitiam de-
» ferre vestrę sanctitatis per Hypatiū & Demetrium beati-
» ssimos Episcopos, vt nec vestram sanctitatem lateant quæ
» à quibusdem paucis monachis malè & iudaicè ob Nestorij
» perfidiam denegata sunt. Petimus ergo vestrū primū affe-
» ctum, vt vestris ad nos destinatis literis & ad sanctissimū
» Episcopum huius almæ vrbis & Patriarcham vestrum fra-
» trem, quum & ipse per eosdem scripsit ad vestrā sanctita-
» tem, festinans in omnibus sedem sequi apostolicā beatitu-
» dinis vestræ, manifestum nobis faciatis quam omnes quæ
» prędicta rectè confitentur, suscipit vestra sanctitas: & eo-
» rum quæ iudaicè ausi sunt rectam denegare fidem, condē-
» nat perfidiam. Plus enim ita & circa vos omnium amor &
» vestræ sedis crescit auctoritas. Et quæ ad vos est vnitas san-
» ctarum ecclesiarum, inturbata seruabitur, quando per nos
» didicerint omnes beatissimi Episcopi, eorum quæ ad vos
» recta sunt sinceram vestrę sanctitatis doctrinam. Petimus
» autem vestram beatitudinem orare pro nobis, & Dei no-
» bis acquirere prouidentiam. *Item subscriptio talis fuit:* Dei-
» tas te conseruet per multos annos sancte ac religiosissime
pater.



AGAPITVS.



VAM inops, quámque egens pecuniæ fuerit Agapitus vrbis Romę Papa, cùm ad Orientis principem Iustinianum mitteretur à Rege Theodahado Italiam occupante, docebit epistola magni illius Cassiodori quæ libro XII. Variarum extat ad Thomatem & Petrum viros clarissimos arcarios, ea sic habet. Retinetis mecum, fidelissimi viri, sanctum Agapitum, vrbis Romę Papam, cùm ad Orientis Principem legationis gratia mitteretur, iussione regia datis pignoribus, à vobis tot libras auri facto pictatio solenniter accepisse, vt cui prouidus dominator iussit, ad subitum eius etiam vrgeret excessum. Primùm quidem benignè præstitit, qui in necessitate mutuas pecunias dedit. sed quanto gloriosius fecit etiam illud largiri, quod cum gratiarum actione potuisset offerri? victa est sine damno necessitas. Manus Papæ dabat, quod eius substantia non habebat. & illud iter est indemne redditum, quòd donis constat expletum. Qualem, rogo, videbatur Antistitem petentibus ecclesiam, & ecclesiam nulla detrimenta sentire? distributor fuit potius, quàm donator. Quia necesse est illi applicari, de cuius facultatibus videbatur expendi. Quid non agat apud pium principem talis legatio, quam destinatam singulari constat exemplo? Quapropter nostra præceptione commoniti, & regia iussione securi, sanctorum vasa cum obligatione


» chirographi auctoribus sancti Petri Apostoli, sine aliqua
» dilatione refundite: vt lucrosè reddita celeriter impetrata
» videantur. Optata referātur manibus Leuitarum ministe-
» ria, toto orbe narrāda. donatur quod proprium fuit. Quo-
» niam iustè per largitatem recipit, quod sacerdos legibus
» obligauit. Superatum est exemplum, quod in historia no-
» stra magna intentione retulimus. Nam cùm Rex Alaricus
» vrbis Romæ deprædatione satiatus, Apostoli Petri vasa
» suis deferentibus excepisset, mox vt rei causam habita
» interrogatione cognouit, sacris luminibus deportari diri-
» pientium manibus imperauit: vt cupiditas, quæ depræda-
» tionis ambitu admiserat scelus, deuotione largissima de-
» leret excessum. Sed quid mirum, si reuerendorum sancto-
» rum diripere noluit, qui tanta se vrbis vastatione ditauit?
» Rex autem vester religioso proposito reddidit vasa, quæ
» iure pignoris propria videbantur effecta. Et ideò talibus
» factis frequens præstetur oratio. Quoniam læta concedi
» posse credimus, cùm retributionem bonis actibus postu-
» lamus. Et ab Orosio quoque id Alarici factum sub Inno-
centio Romanæ ecclesię pręsule expositum legimus. Missus autem est Agapitus Constantinopolim ad Iustinianum, vt pacem & concordiam peteret nomine Theodahadi Regis, qui Athalarico successerat, déque legatione eius quid Nicolaus narret videamus epistola ad Michaëlē
» Cæsarem: Agapitus, inquit, Apostolicæ sedis præsul An-
» thimum Constantinopolitanum similiter Antistitem cō-
» demnauit, & in loco eius ordinauit Menam, pro quo vi-
» delicet Anthimo Siluerius & Vigilius Romani Pontifices
» ab Augusta Theodora multa incommoda, sed & discri-
» mina sunt perpessi; sed ad restitutionem eius nullatenus

» inclinati. Et infrà: Quid mirum, si pro deiectione Photij
» nobis minaris? quando antecessores tui principes pro An-
» thimo iam dicto prædecessores meos vsque ad confessio-
» nem persequendo perduxerint? veruntamen, licet diutissi-
» mè laborauerint, sæuierint, & tot diras aduersus eos affli-
» ctiones commouerint, sententiam tamen eorum mutare,
» vel Anthimum reuocare ad pristinum statum nullo mo-
» do potuerunt: qui licet tardè, quandoque tamen & ipsum
» Anthimum, & sensus eius cum sede apostolica sapientes,
» detestati sunt: & Menam virum sanctum ab ipsa promo-
» tum, non sicut vestrates falsò autumant, sed cum ea hunc
» dignè recipientes veneranter amplexi sunt. Reuera Pho-
» tius Agapitum Romanum Pontificem ducem huius san-
» cti operis fuisse prædicat, damnandi videlicet Anthimi,
» Trapezuntij, Seueri, Petri Apamiensis & Zoagrij, cùm illi
» à recta via temerè deflexissent. Quanto autem studio Aga-
» pitus humaniores literas & Cassiodorus Senator prose-
» queretur, quantísque beneficiis illa studia fecissent, nisi
» Italiam Iustiniani arma perturbassent, præfatione ad li-
» bros suos de institutione diuinarum scripturarum ipse
» Cassiodorus ostendit. Cùm studia secularium literarum
» magno desiderio feruere cognoscerem, ita vt multa pars
» hominum per ipsa se mũdi prudentiam crederet adipisci,
» grauissimo sum, fateor, dolore permotus, quòd scripturis
» diuinis magistri publici deessent, cùm mundani auctores
» celeberrima proculdubio traditione pollerent; Nisus sum
» cum beatissimo Agapito vrbis Romæ, vt sicut apud Ale-
» xandriam multo tempore fuisse traditur institutum, nunc
» etiam in Nisibi ciuitate Syrorum Hebræis sedulò fertur
» exponi; collatis expensis in vrbe Romana professos do-
ctores

» ctores ſcholæ potius acciperent Chriſtianæ, vnde anima
» ſuſciperet æternam ſalutem,& caſto atque puriſſimo elo-
» quio fidelium lingua comeretur. Sed cùm propter bella
» feruentia & turbulenta nimis in Italico regno certamina
» deſiderium meum nullatenus valuiſſet impleri, quoniam
» non habet locum res pacis temporibus inquietis: ad hoc
» diuina caritate probor eſſe compulſus, vt ad vicem magi-
» ſtri Introductorios vobis libros iſtos domino pręſtante
» conficerem;per quos, ſicut æſtimo,& ſcripturarum diui-
» narum ſeries, & ſecularium literarum compendioſa noti-
» tia domini munere pãderetur. Vis amplius dicam lector?
Paulus Diaconus libro ſeptimo Romanæ hiſtoriæ cætera
quæ ad Agapitum pertinent, obitúmque eius exequitur,
» & minus antiquus ſcriptor Græcus Zonaras:Bello,inquit,
» Vandalico iam confecto Beliſarius Romam ab Impera-
» tore mittitur, vt eam & totam Italiam à Gotthis occupa-
» tam ſubigat,quorum dux erat Theodatus. Qui ea re co-
» gnita, Agapitum Pontificem Romanum virum admirã-
» dum, legatum mittit ad Imperatorem, qui Byzantium ad
» Iuſtinianum profectus, primùm de Deo, & recta in eum
» fide diſſerit, & Anthimi collocationem in nouæ Romæ
» ſede incuſat: neque enim cũ Trapezũte vrbium Polemo-
» niaci Ponti Metropoli Byzantium ritè tranſlatum, præte-
» reáque peruerſa opinione Seueri imbutũ eſſe. Verùm Im-
» perator, qui Anthimum interceſſione coniugis Conſtan-
» tinopolitanum Patriarcham deſignarat, acta ſua reſcinde-
» re noluit, & diuo Agapito acrius inſtanti minatus, ſe ſuo
arbitratu,quod vellet,poſſe agere dixit. Cùm autem Pon-
tifex ad minas riſiſſet, ſéque cædem etiam æquo animo
laturum eſſe reſpondiſſet, ac beatum fore ſi talis ſibi vitæ

„ exitus daretur: verecundatus Imperator, mutatáque sen-
„ tentia, rem examinandam proposuit. Ac nonnulli è pri-
„ moribus sacerdotibus Agapito Papæ Romano in impe-
„ ratricis gratiam sunt refragati, ab eadem quoque largitio-
„ nibus corrupti: Quos tamen ille qui veritatem defende-
„ ret, omnes superauit. Itáque Anthimus, throno, quem an-
„ num vnũ occupat, est eiectus, Imperatore sanctissimum
„ Papam & veritatem reuerito, & in eius locum suffectus
„ Menas vir summæ pietatis, Alexandrinus patria, & illustri
„ genere ortus, literarum non expers, sacrarum maximè. Di-
„ uus igitur Menas hoc modo Patriarchatu potitus, ac ipse
„ potius fœlici sorte, Patriarchatui traditus, particulari con-
„ cilio cum Pontifice Agapito conuocato, Seuerum Euti-
„ chen, Petrum Halicarnasseum, Iulianum, & Anthimum
„ assensorem, illorum anathemate notat. Cæterùm sanctis-
simus Papa Agapitus, Constantinopoli defunctus est.
Quis verò huius religiosissimi viri vitam ac mores expri-
„ mat melius quàm Gregorius primus, septimum in succes-
„ soribus eius locum tenens? Exigente, inquit, causa Go-
„ thorum vir beatissimus Agapitus sanctæ Romanæ eccle-
„ siæ Pontifex, cui Deo dispensante deseruio, ad Iustinia-
„ num principem accessit. Cui adhuc pergenti quadam die
„ in Græciarum iam partibus curandus oblatus est mutus &
„ claudus, qui neque vlla verba ædere, neque ex terra vn-
„ quam surgere valebat. Cúmque hunc propinqui illius
„ flentes obtulissent, vir domini sollicitè requisiuit an cura-
„ tionis illius haberent fidem. Cui dum in virtute Dei ex au-
„ ctoritate Petri fixam salutis illius spem habere se dicerent,
„ protinus venerandus vir orationi incubuit: & missarum
„ solemnia exorsus sacrificium in conspectu Dei omnipo-

» tentis immolauit. Quo peracto ab altari exiens claudi ma-
» num tenuit; atque assistente & aspiciente populo eum
» mox à terra propriis greſsibus erexit. Cúmque ei domini-
» cum corpus in os mitteret, illa diu muta ad loquen-
» dum lingua ſoluta eſt. Mirati omnes, flere præ gaudio ce-
» perunt, eorúmque mentes ilicò metus & reuerentia inua-
» ſit: cùm videlicet cernerent quod Agapitus facere in vir-
» tute domini ex adiutorio Petri potuiſſet. hæc quidem
» Gregorius de Agapito refert dialogi libro tertio. Ioan-
» nes Moſcus, qui non multo poſt Gregorium floruit,
» in libello à ſe ædito narrat ex Theodori Romani relatio-
» ne, eſſe nō procul à Romana vrbe breue oppidulum quod
» Rumellum dicitur, in eóque Epiſcopum magnæ virtutis
» & meriti fuiſſe. Incolas tamen illius ingreſſos ad beatiſsi-
» mum Romanum Antiſtitem Agapitum, accuſaſſe illum
» Epiſcopum ſuum, quòd in ſanctificato vaſe manducaret.
» Pontifex ſolo auditu perculſus miſit duos ex clericis, vt
» vinctum Epiſcopum & pedibus iter agentem Romam
» perducerent. quo cùm veniſſet, continuò miſſus eſt in car-
» cerē: ſed triduo poſt cognita cauſa & ſanctitate viri quám-
» que falſam calumniam perpeſſus eſſet, cognoſcens quòd
» illum vexauerat, triſtis effectus ſtatuit non iam per ſubre-
» ptionem quippiam agere, ſed adhibere maturum conſide-
» ratúmque iudicium.



SILVERIVS.



GAPITO successit Siluerius, id est Siluester, Frusinone natus, cuius oppiduli (vt diximus) Iuuenalis poëta meminit, & successit quidem iam ardentibus aduersus Gothos Iustiniani armis. Belisarius enim capta & direpta Neapoli, Romam quoque noctu ingressus Gothos hostes metu perculsos in turpissimam fugam cõiecit: sed à superueniente Vitige, qui in Theodati locum suffectus erat obsessa, Belisarium copiarum modò & modici exercitus ducem habebat, ac Siluerium Pontificem: Procopius, qui obsidionem eius describit, narrat Belisarium oborta suspicione Siluerium vrbis Romæ Episcopum defecturum ad Gothos, eum transmisisse in Græciam. Ac ne quis dubitet cuius rei suspicio Belisario venerit, legat Euagrium: is enim libro quarto historiæ suæ scribit, eam suspicionem proditionis fuisse. fortè enim amãtior Gothicarum partium erat. Siluerius Frusinon: genitus, ac non parũ in vrbe, summus sacerdos, ac legum diuinarum interpres, auctoritate & gratia poterat. Hoc tempore Benedictus cœpit familiæ suæ & Cassino monti nomen dare, tanto ac tam prospero rerum cursu, vt posteros eius opibus affluentes vbique miremur. Ante illum tamen monachi erant. ac ne rem altius repetam, Hieronymus ad Eustochium, Nitriæ circiter quinque millia monachorum diuisis cellulis habitare dicit. Paulinus epistola ad Seuerũ

ait, Melaniam nobilissimam fœminam quinque millia monachorum latentium panibus suis per triduum pauisse, Valente in gratiam sectæ Arrianorum eos crudeliter persequente. Prætereo quod de hoc hominum genere Zozimus narrat, molestissimus genti Christianæ. Sed omittere non debeo Rutilij Galli Præfecti prætorio locum illum, quo monachos Græcè appellatos, quasi soli viuant, his versibus tradit.

» *Processu pelagi iam se Capraria tollit,*
» *Squallet lucifugis insula plena viris.*
» *Ipsi se monachos Graio cognomine dicunt,*
» *Quòd soli nullo viuere teste volunt.*
» *Munera fortunæ metuunt, dum damna verentur*
» *Quisquam sponte miser ne miser esse queat?*
» *Quænam peruersi rabies tam stulta cerebri,*
» *Dum mala formides, nec bona posse pati?*
» *Siue suas repetunt ex fato ergastula pœnas,*
» *Tristia seu nigro viscera felle tument.*
» *Sic nimiæ bilis morbum assignauit Homerus*
» *Bellerophonteis sollicitudinibus.*
» *Nam iuueni offenso sæui post tela doloris*
» *Dicitur humanum displicuisse genus.*


Igitur monachorum in occidente institutor Benedictus fuit, scripsitque eorum regulam, vtar enim Gregorij primi verbis ex libro secundo dialogi, discretione præcipuam, sermone luculentam: quem postea sequuti sunt innumerabiles monachorum greges. Veteres autem monachi frugaliter viuendo profuerunt Reipubl. Christianæ, & sanctimoniæ faces accensas præferendo. Tales habuit alumnos Lerinus insula, quam diximus esse contra

Antipolim Galliæ oppidum mari mediterraneo appoſitũ. Ex ea enim prodiere viri omni memoria digni, Lupus Tricaſſinorũ, Maximus Regienſis, Fauſtus Regienſis, Honoratus & Hilarius Arelatenſes, Eucherius Eccleſiæ Lugdunẽſis Epiſcopi. Extat elegans Sidonij locus ad Fauſtum in Euchariſtico.

„ *Seu te Lirinus priſcum complexa parentem eſt,*
„ *Qua tu iam fractus permagna ſæpe quiete*
„ *Diſcipulis ſeruire venis, vixque ocia ſomni*
„ *Vix coctos capture cibos, abſtemius æuum*
„ *Ducis, & inſertis pingis ieiunia pſalmis,*
„ *Fratribus inſinuans, quantos illa inſula plana*
„ *Miſerit in cælum montes, quæ ſancta Capraſi*
„ *Vita ſenis, iuueniſque Lupi: quæ gratia patrem*
„ *Manſit Honoratum, fuerit quis Maximus ille,*
„ *Vrbem tu cuius, monachúſque, antiſtes & abbas*
„ *Bis ſucceſſor agis, celebrans quoque laudibus illis*
„ *Eucherij venientis iter, redeuntis Hilari.*

Cæterùm ex his omnibus Honorati nomen Lirino inſulæ impoſitum vſque ad hanc ætatem perſeuerat. Cuius vitam Hilarius tam venuſtè elegantérque conſcripſit, vt nihil in eo genere præſtantius legi poſſit. De quo Hilario
„ Eucherius epiſtola ad Valerianum cognatum ſuum: Hila-
„ rius nuper, inquit, & in Italia nunc antiſtes Petronius, am-
„ bo ex illa pleniſſima mundanæ poteſtatis ſede, vnus in
„ religionis, alius in ſacerdotij nomen aſcendit. Et Hilarius quidem ex Monacho Lirinenſis inſulæ Arelatenſis Epiſcopus eſt deſignatus, funebrémque orationem habuit, qua virtutes Honorati deceſſoris ſui tam venuſtè & eleganter eſt complexus, vt putem nihil in eo genere venu-

ſtius legi poſſe. At Petronium Epiſcopum quondam ſuum in agro fertili & opimo Bononia colit, eique templum ingens poſuit.



VIGILIVS.



Rocopivs, eúmque ſequutus Euagrius tradunt, Vigilium à Beliſario Romanum Pontificem eſſe deſignatum. Id ne pro arbitrio fecerit, an legibus de electione ſeruatis, mihi quidem incertum eſt. Cùi tamẽ certum eſt vetus illud, SILERE LEGES INTER ARMA, id populo Romano non placuiſſe putauerim. Nam, vt inquit Procopius, Chriſtianæ fidei diſciplinam ſi vſpiam alij vnquã Romani præcipuè ſunt venerati. At Vigilio venit in mentem nauigare in Siciliam, vt moleſtias obſidionis vitaret. In ea inſula quid conatus ſit quídve egerit, idem Procopius libro tertio de bello Gothorum ſic narrat. Per id tẽpus Vigilius vrbis Romanę præſul, quũ in Sicilia eſſet, magnum nauium numerum frumento complet, & Romam tranſmittit, ratus omnino vrbem tutò adire hos poſſe, qui onera nauibus importarent. Quæ vtique quum Romanũ ad portum curſum tenerent, hoſtes earum aduentu præcognito, paulo ante priores ipſi quum in portũ veniſſent, intra muros delituerunt, vt eò naues iam deſcẽdẽtes nullo negotio caperent. Sed hos, qui in mœnibus erant, cuſtodes mox cõſpicati, è propugnaculis veſte altius agitata, ſi-


D. 14 Ag: 1618

gnum nautis ad ſe nauigantibus dabant, ne vltrà progrederentur,ſed aliò quocunque poſſent, verterent vela. Illi verò prodito ſigno non intellecto, ſed rati potius, qui in portu erant,Romanos, præ gaudio & ex ſuo aduentu alacres factos id ſignum dediſſe,ſéque ad portum ineundum hortari, proſpero ac præſenti afflante his vento intra portum celerrimè cum nauibus peruenerunt.In quibus Valẽtinus Epiſcopus quidam cum Romanis nauigabat. Tum Barbari ex inſidiis confeſtim exorti naues omnes nemine defendente mox capiunt,Epiſcopũ cum Romanis cõprehenſum ad Totilam ducunt, cæteros verò obtruncant & cum oneribus naues remulco trahentes è veſtigio abeunt. Totilas interea quum Epiſcopum, quid ſibinam vellet, rogaſſet,& mendacij apertius conuiciſſet,vtraſque illi manus præcidit.His ita peractis, iam hyems ſe circunegerat, & vndecimus belli huius ſe verterat annus, quod ſcripſit Procopius, & in eodem libro. Vigilius autem vrbis Romanæ præſul cum Italicenſibus aliis & primoribus viris, qui ſe,cùm Byzantij erãt,ab Imperatore ſuppliciter & enixius poſtulabãt, Italiam omnibus in ſuam vt viribus redigeret poteſtatem.Sed Gothicus præ cęteris maximè vir ſanè patricius, ad ipſum id hũc crebrò impellere hortaríque, vt qui ea de cauſa Byzantium ſe contuliſſet: Imperator verò Italiam ſibi curę fore reſpondit.Sed circa Chriſtianorum dogmata componenda nimis intentus ,eorum altercationes vt rectè diſponeret,nitebatur. Quid autem Conſtantinopoli egerit Vigilius,Zonaras Græcus ſcriptor,qui vetuſtiores diligenter legerat, paucis refert:Sub Eutichio, inquit, quintum cõcilium eſt coactum lxv.ſanctorum patrum,quorum princeps fuit Vigilius Papa Romanus, & is

cuius

» cuius iam facta mentio est, Euthychius, & Alexandrinus
» Appollinaris. Concilij huius indicti causa fuit Origenes,
» eiusque peruersæ opiniones & sectatores eius Didymus at-
» que Euagrius: quorum dogma fuit, animas ante corpora
» extitisse, & supplicij finem esse, & dæmones pristinam di-
» gnitatē recuperaturos, aliáque plura. Hos eorúmque dog-
» mata, nec non Theodorū Nestorij suffragatorem, vel ma-
» gistrum potius, illius anathemate notarunt, cùm Iustinia-
» nus concilio interesset, & pia decreta patrum approbaret.
Sed rem totam Iustinianus ipse in edicto fidei plenius ex-
quitur & Cassiodorus in libris de institutione diuinarum
» literarum: Origenem, inquit, licet tot patrum impugnet
» auctoritas, præsenti tamen tempore & à Vigilio beatissi-
» mo Papa constat esse damnatum. At mortuo Totila, quē
» ipse Iustinianus in nouellis constitutionibus nefandissi-
» mum & sceleratæ memoriæ Totilā appellat, quid annue-
» rit Vigilio petenti, docebit initium pragmaticæ sanctio-
» nis à Iustiniano editę: Pro petitione, inquit, Vigelij venera-
» bilis antiquioris Romæ Episcopi quædam disponēda esse
» censuimus ad vtilitatem omnium pertinentia, qui per oc-
» cidentales partes habitare noscuntur. Imprimis itáque iu-
» bemus vt omnia quæ Atalaricus vel Amalasunta regina
» mater eius, vel etiam Theodatus, Romanis vel Senatu pos-
» cente concesserunt, inuiolabiter conseruentur: sed & ea
» quæ à nobis, vel à piæ memoriæ Theodora Augusta quō-
» dam coniuge nostra conlata sunt, volumus illibata serua-
» ri, nulla cuicunque danda licentia contra ea venire, quæ à
» prædictis personis pro quibuscunque rebus vel titulis da-
» ta vel concessa esse noscuntur. Nō possum autem Grego-
» rij primi locum hunc præterire ex epistola ad Episcopos

Hiberniç, quo ait recordãdæ memoriæ Vigilium Papam
» in vrbe Regia constitutum contra Theodoram tunc Au-
» gustam vel acephalos damnationis promulgasse senten-
» tiam. Et multo minus dissimulare hæc paucissima Grego-
rij verba in epistola ad Secondinum de ordinationibus
» apostolicæ sedis pontificum, vtrum post beatissimũ Hor-
» misdam charitas tua requirit, sed vsque ad Vigilij Papæ tẽ-
» pora expositas ordinationes præsulum esse cognoscas. Denique Photius ille Constantinopolitanus Patriarcha epistola ad Michaëlem Bulgariæ principem quintum concilium œcumenicũ sexaginta episcoporum habitũ Constãtinopoli tradit, eíque præfuisse Menam primùm, deinde Eutichũ Cõstantinopolitanos Antistites, & Vigiliũ Romæ Episcopum, qui in ciuitate quidem erat, etsi non intererat synodo illi, quam tamen edito libello ratam habuit.



PELAGIVS.




ELAGIVM obsessum Romæ antequam Pontificatum gereret, quis non magnopere laudet ob eximias dotes quibus præditus fuit? Eodẽ libro Procopius hæc de illo narrat cùm obsessos carere frumento dixisset. Erat tunc fortè inter Romanos & sacros viros Pelagius quidam diaconus, qui diu Byzantij commoratus, maximam sibi cum Imperatore conciliarat amicitiam.

» Vnde & pecuniarum vi maxima abundás, Romam se pau-
» lo antè, quàm obsideretur, cõtulerat. In eáque deinde ob-
» sidione necessariis indigentibus, eius pecuniæ partem lar-
» giter impartitus, quũ vel antè esset inter Italos omnes vir
» probus, maiorem, vti par erat, charitatis, & in proximos
» quosque beneuolentiæ gloriam retulit. Hunc igitur quũ
» præ fame indigna quædam Romani & difficillima paterẽ-
» tur, facilè suadent conuentum, vt Totilam precaretur,
» paucorum sibi dierum inducias his conditionibus daret:
» vt si intra cõstitutũ inter se tẽpus nemo sibi suppetias latu-
» rus ex Byzãtio venerit, sine mora se ipsi vrbémq; Barbaris
» proderent. His cum mandatis vbi Pelagius ad Totilam ve-
» nit, & ab eo est perbenignè susceptus. Qualis verò fuit
» vox illa ad legationis suæ cõtemptorẽ? HOC AVDI TOTILA,
» DEVS SVPPLICVM CONTEMPTORES ODISSE SOLET. Idẽ verò
» scriptor vbi hoc dictum retulit, atque irrupisse murum vr-
» bis Totilam narrauit, & quingentos è plebe homines in
» templa se recepisse, Maximúmque, Olibrium, Orestem &
» alios quosdã in ædẽ Petri se fuga recepisse, vbi primũm, in-
» quit, illuxit, nec vlla ad insidias relinquebatur suspicio, To-
» tilas ipse orãdi gratia Petri apostoli templũ ingreditur. Sed
» Gothi interea, quos obuios habent, obtrũcant. Vnde hoc
» pacto ex militibus quidam desiderati viginti dumtaxat
» sunt, sexaginta è plebe homines. Ineunti itaque id Totilæ
» templũ, Pelagius ipse sese obuium offert Christi in mani-
» bus euangelia gestans, suppléxque omnibus factus, & ge-
» nu procũbens: Parce, inquit, ô princeps, tuis. Tum ille ar-
» ridens, & sanè profusius, ita præfatus est: Nunc mihi sup-
» plicaturus aduenisti, Pelagi? Ita quidem, respondit, quãdo-
» quidem tuum me seruum effecit Deus. Sed ab his iam ab-

» ſtine manus, qui tibi in ſeruitutē ceſſere. His itaque victus
» precibus Totilas, Gothis militibus edicto mox imperat,
» Romanorum de cætero vt neminem obtruncarent, & ei
» in primis pretioſiſſima quæque delecta ſeruarent, cætera
ſibi haberent in prædam. Quàm miſera fuerit vrbis facies
poſtea exequitur, precéſque Pelagij pro calamitate Ro-
» manorum. Pelagius, inquit, pro viris ſontibus, ita & infœ-
» licibus ſupplex Totilæ factus, non prius precari hunc de-
» ſiit, quàm ille clementiorem in omnes ſe fore pollicitus
» Romanos dimiſit. His ita peractis, Pelagium Totilas, & ex
» vrbis Rhetoribus præcipuum vnum, Theodorū nomine,
» ad Iuſtinianum Imperatorem legauit, arctius iureiuran-
» do adactos, ſuas vt partes amicè ac beneuolè tuerentur, &
» in Italiam reditum accelerarent. His deinde iniunxit, totis
» vt viribus niterentur pacem ſibi cum Imperatore & ami-
» citiam conciliare, ne poſtmodum cogeretur, ſi pace infe-
» cta redirent, Romam ad ſolum diruere, interfectíſque pa-
triciis viris in Illyrios bellum transferre. Quid igitur mirū
eſt ſi hunc diaconum Vigilio defuncto, Clerus populúſ-
queRomanus Pontificem appellauit, cùm eius conſtantiā
cæteráſque virtutes difficillimo Reipubl. tempore perſpe-
xiſſet? Cæterùm quo reciderint Totilæ & Gothorū res, Pro-
copius & Agathias copioſè narrant. Sed his omiſſis dicam
iuxta Romam in via ſalaria pontem eſſe ad Anienem mo-
dicum amnē, in quo hæc hodie vetus inſcriptio cernitur.

IMPERANTE DN. PIISSIMO AC TRIVMPHALI SEMPER IVSTINIANO PP. AVG. ANNI XXXIX. NARSES VIR GLORIOSISSIMVS EXPRÆPOSITO SACRI PALATII. EXCONS. ATQVE PATRICIVS, POST VICTORIAM GOTHICAM IPSIS ET EORVM REGIBVS CELE-

RITATE MIRABILI CONFLICTV PVBLICO SVPERATIS ATQVE PROSTRATIS LIBERTATE VRBIS ROMÆ AC TOTIVS ITALIÆ RESTITVTA, PONTEM VIÆ SALARIÆ VSQVE AD AQVAM NEFANDISSIMO TOTILA TYRANNO DESTRVCTVM, PVRGATO FLVMINIS ALVEO IN MELIOREM STATVM QVAM QVONDAM FVERAT, RENOVAVIT.



IOANNES III.




IN demortui Pelagij locum Ioannes à Clero, populóque Romano ob integritatem vitæ & splendorem natalium deligitur. Hunc Gregorius primus dialogi libro tertio Ioannem Iuniorem prædecessorem suum appellat, & eodē libro Constantiū Agninæ ciuitatis Episcopum nuper prædecessoris sui tēpore beatæ memoriæ Ioānnis Papę defunctū refert. Successerat Iustiniano Iustinus minor sororis eius filius. Ei coronando quis præfuerit, Corippus Africanus poëta docet libro secundo de laudibus Iustini, cùm ait:

„ *Postquam cuncta videt ritu perfecta priorum,*
„ *Pontificum summus plenáque ætate venustus*
„ *Adstantem benedixit eum, cœlique potentem,*
„ *Exorans dominum sacro diademate iussit*
„ *Augustum sancire caput.*

Qui locus sanè de Ioanne Romano Pontifice intelligendus videtur quia id de illo ab Anastasio traditum est, tamet-

ſi ex Zonara conſtaret Ioannem illum ſcholaſticũ, qui poſtremis vitæ annis Eutychio patriarchæ Conſtantinopolitano ſucceſſit, iuſsúque Iuſtiniani in Amaſiam poſtea relegatus eſt, ex apocryſiario Antiocheno ipſi Eutychio ſucceſſiſſe. Cæterùm Ioannes ille de quo loquimur, epiſtola ad Epiſcopos Germaniæ & Galliæ quæſtionem dubiã de Lino & Cleto ſoluit. Gratianus quidem non laudat auctorem, etſi Ioannis interpretationem dilucidè exponit his omnino verbis. Petrus princeps apoſtolorum adiutores ſibi aſciuit Linum & Cletum, non tamen ſoluendi & ligandi normam eis tradidit, ſed ſucceſſori ſuo Clementi qui ſedem apoſtolicam poſt eum & poteſtatem Pontificalem tradẽte ſibi beato Petro tenere promeruit. Linus verò & Cletus miniſtrabant exteriora, princeps autem apoſtolorum Petrus verbo & oratione inſtabat. Quam ego quæſtionem ſic à Ioanne deciſam miror. cur ita? neque enim ſacer Irenęus inter Epiſcopos vrbis Linum & Anacletum numeraſſet, niſi illi vrbis Epiſcopi verè fuiſſent.




BENEDICTVS.



SVB Tiberij Græci Cæſaris Imperio Benedictum populus Romanus ſibi Pontificem renũciauit, charum Cæſari, acceptum Deo, gratúmque omnibus ciuibus ſuis. Eius apud Tiberium preces, vrbi annonæ inopia laboranti multùm profuere. Nam Longobardi omnes finitimos agros diripiebant, euocati illi quidem Iu-

ſtino Imperante ad molles Italiæ delicias odio Sophiæ Augustæ, quæ Narſim copiarum ducem irritarat. Multa enim frumēti millia mittens ab Ægypto, Benedictum ciuéſque omnes magno Tiberius beneficio affecit. Gregorius primus beatæ memoriæ deceſſoris ſui Benedicti meminit epiſtola ad Antoniū ſubdiaconū Neapolitanum, iuſſúque eius villam Veneris in prouincia Campania ſitam, ínque territorio Minturnēſi Stephano Abbati ſancti Marci ad muros Spoleti oppidi bona fide redditam prædicat. Annis verò quatuor Epiſcopus fuit, quantū apud Nicephorum Byzantinū Græcum auctorem reperio. quàm autem exitioſam Arrianorum ſectam hic pius Pontifex deteſtaretur, docet epiſtola ad Dauidem Epiſcopum his quidem verbis: His frater teſtimoniis vnitatem Trinitatis agnoſce, & deſine Arrianorum prauitatem ſequi, vt ab eadem poſſis peccatorum indulgentiam promereri.



PELAGIVS II.




VIVS Pelagij tempora quid pacati extra vrbem habuere? Siquidem Longobardi hoſtes infeſtiſſimi ferro atque igni omnia vaſtabant. hoc difficili tempore minimè expectato Cæſaris iuſſu, deligitur à Clero, populóque Romano: ac prementibus vndequaque hoſtibus, quibus potuit ad leniendum dolorem remediis vtitur. Epiſcopi Numidię per Hilarium Chartularium Romanæ

Ecclesiæ petebant omnes retro temporum consuetudines seruari, quæ à Petri ordinationum initiis ad id tempus vetustas longa seruasset. Ita fieri Pelagio placuit decessori Gregorij, & Gregorio ipsi, vt ex epistola ad Numidiæ Episcopos ostenditur. Helias Aquileiensis Episcopus suscipere nolebat ac probare Synodi Calchedonensis capita tria: quam ob causam librum scripsit, de quo Gregorius ad Episcopos Hiberniæ: librum, inquit, quem sanctæ memoriæ decessor meus Pelagius Papa scripsit, vobis vtilem iudicaui transmittere. Ioannes Constantinopolitanus Episcopus, Oecumenicum, id est, vniuersalem Episcopum ascribi se in synodo iusserat. Sed synodi illius acta contradicente Apostolica sede soluta sunt, vt epistola ad Cōstantiam Augustam tradit Gregorius, Pelagium sanctę memoriæ decessorem suum appellans. Qua de re etiam scribit Eusebio Thessalonicensi his verbis: Cognoscat fraternitas vestra Ioannem quondam Constantinopolitanę ciuitatis antistitem contra Deum, contra pacem ecclesiæ, in omnium despectu & iniuria sacerdotij, modestiæ, ac mensuræ suæ terminos excessisse: & illicitè in synodo superbum ac pestiferum Oecumenicum, hoc est vniuersalis sibi vocabulum vsurpasse. Quod beatæ recordationis Pelagius decessor noster agnoscēs, omnia gesta eiusdem synodi præter illa quæ illic de causa venerandæ memoriæ Gregorij Episcopi Antiocheni sunt habita, valida omnino districtione quassauit, districtissima illum increpatione corripiens, vt se à nouo & temerario superstitionis nomine cohiberet, adeo vt suum illi diaconem nisi tantum nefas emendaret, procedere prohiberet. Ioannes quoque presbyter sanctæ Romanæ Ecclesiæ, in domo iuris sui positas

ſitas iuxta thermas Agrippinas oratorium conſtruxit, atque illic quoſdam redditus legati titulo reliquit, teſtamẽtúmque ędidit mandans Pelagio vt paginam illius impleri iuberet. Id Gregorius mortuo deceſſore fieri iubet epiſtola ad Bonam. At Pelagius Epiſcopali munere functus annis decem, vt ex Nicephoro Byzantino diſcimus, excedit è vita primus omnium Pontificum, quem peſtis attingere, quémque occidere auſa ſit. hoc de illius obitu Paulus tradit lib. octauo Romanæ Hiſtoriæ, Pelagium Papam virum venerabilem appellans. Hunc quidem Gregorius dialogi libro quarto, etſi non nominat, deſignat tamen, atque anteceſſorem ſuum vocat. Agathus, inquit, Panormitanus Epiſcopus cum beatæ memoriæ anteceſſoris mei tempore iuſſus eſſet vt Romam veniret, vim nimiæ tempeſtatis pertulit, ita vt ſe ex tanto vndarum periculo euadere diffideret. Cætera apud Gregorium curioſi legent, ac reperient dialogi libro tertio beatæ memoriæ Papam Pelagium prædeceſſorem eius appellari. Eóque defuncto Gregorius initio ordinationis ſuæ inſtituit Rogationes publicas, dum poſt aquarum inundationem inſolitam inguinaria lues Pelagio Papa extincto populum Romanum vaſtaret. Hæ quidem Rogationes maiores dictæ ſunt, fiúntque ſingulis annis ſeptimo Kal. Maij, vt Valafridus Strabo refert. nam triduanæ litaniæ, quæ proximis diebus ante Aſcenſionem Domini quotannis per omnes Galliarum & Germaniæ Eccleſias celebrantur, in Gallia ſunt inſtitutæ: quarum initium & cauſam Sidonius epiſtola ad Mamercum Viennenſem Epiſcopum, quæ eſt prima libri ſeptimi epiſtolarum breuiter aperit.

dd



GREGORIVS MAGNVS.



REGORIVS, id est Vigilius, hoc enim græca vox sonat, Episcopus romanus immortali gloria floreat necesse est, propter egregias virtutes & ornamenta animi quibus inter cæteros collegas emicuit. Gordianus pater, vir clarissimus atauum suum Romanæ sedis antistitem libro 4. dialogi appellat. Eusebia nutrix eius fuit, quam omnino diligere se fatetur, & dominā appellat epistola ad Rustitianam patriciam ad montem Synai profectam. Fœlicem vrbis Episcopum atauum suum fuisse tradit dialogi libro quarto, vt suprà demōstrauimus: & Tarsillam amitam in homeliis quoque suam fuisse refert, etsi eodem libro exponitur. neque est quod Caluiniani segreges hoc illi dedecori esse aut officere splendori natalium putēt. Vrbanam verò præfecturā gessit, vt scribit ad Constantium Mediolanensem Episcopum. Itáque nouerat ius ciuile Romanorum, cuius in epistolarum libris crebrò mētionem facit, legésque Cæsarum citat. Summam rerum Mauritius tenebat, mirabilis futurus profectò, si minus rapax esse voluisset. Hic Constantiam sororem Theodosij in matrimonio habebat, & Theotistam sororē, ad quam hic delectus in Episcopum scribit, & queritur pastorale officium sibi impositum. Queritur prætextu Episcopatus se ad seculum esse reductum, eum honorem quasi difficilem & valde onerosum affirmans. Denique in ea epistola

» effūdit has voces: Ecce sereniſſimus Imperator fieri ſimiā,
» leonem iuſſit. Eiuſdem argumenti dat literas ad Ioannem Epiſcopum Conſtantinopolitanum, ipſum blandè arguēs quòd epiſcopatus pondera fugere ipſe quidem voluerit, & tamen ne hæc eadem Gregorio imponerentur, non reſtiterit. viuebat enim antea in monaſterio, eique præerat venerabilis Valentius, vt lib. 4. dialogi refert. Quamdiu verò Epiſcopus fuit quæſtus eſt de nefandiſſima Longobardorum gente, ſic enim appellat: quam hodie ſi viueret huma-
» niſſimam vocaret, epiſtola ad Paulum Scholaſticum: Ve-
» niente, inquit, viro magnifico domino Maurentio Chartulario, ei quæſo in Romanæ vrbis neceſſitate concurrite. quia hoſtilibus gladiis foris ſine ceſſatione confodimur,
" ſed ſeditionem militum interno periculo grauius vrge-
" mus. De præſidiariis verò militibus qui in vrbe erāt, Theo-
" doſiaci, inquit, qui hîc remanſerunt, togam non accipien-
" tes vix ad murorum cuſtodiam ſeſe accommodant, & de-
" ſtituta ab omnibus ciuitas, ſi pacem nō habet, quomodo
" ſubſiſtet? Hæc ad Ioannem Rauennatem Epiſcopum ſcribit, atque perpetuò monet Romanum exarchum Italiæ & cæteros potentes viros, vt pacem faciāt cum Agilulpho Lōgobardorum Rege. Denique quàm ab ea gente afflicti ſint Itali omnes Daciano Epiſcopo indicat his verbis:
» Quis enim in hac terra non lugeat, quæ barbarorum gla-
» diis tradita penè iam non habet qui in ea viuat, & tamen
» habet quotidie qui moriantur? Ad Conſtantiam verò Au-
» guſtam, Viginti, inquit, iam & ſeptē annos ducimus, quòd
» in hac vrbe inter Longobardorum gladios viuimus: qui-
» bus quàm multa ab hac eccleſia quotidianis diebus erogā-
» tur, vt inter eos viuere poſſimus, ſuggerenda non ſunt. Et

» epiſtola ad Phocam (ſub eo enim etiam Pontifex fuit)
» qualiter ait quotidianis gladiis & quantis Longobardo-
» rum incurſionibus ecce iam per triginta quinque anno-
» rum longitudinem premamur, nullis explere vocibus ſug-
» geſtionis valemus. Inito verò Pontificatu qui libri ab eo
ſcripti ſint, intelligimus epiſtola ad Leandrum Epiſcopũ,
vbi librum regulæ paſtoralis in epiſcopatus ſui exordio
ſcriptum refert, cùm libros in expoſitionem beati Iob
iamdudum à ſe compoſitos fateatur. Rurſum epiſtola ad
» Secundinum, Tranſmiſi, inquit, tibi duos codices home-
» liarum, quas dixi in eccleſia dum adhuc loqui præuale-
» rem. Porrò cõtra Donatiſtas ad Mauritium Cæſarem ſcri-
bit epiſtolam, & Serenum Maſſilienſem Epiſcopum be-
nignè arguit, quòd eccleſiæ ſuæ imagines confregiſſet.
nam & eas ſeruari, & ab earum adoratione populum pro-
hiberi debuiſſe. Ioannem Conſtantinopolitanum Grego-
rio charum fuiſſe ſuprà diximus: ſed vbi quod ſub Pelagio
iam fecerat iterum ſe œcumenicum appellauit, non tulit
Gregorius, imò epiſtolam ad illum miſit, qua inter cætera
» continentur hæc verba: Quis rogo in hoc tam peruerſo
» vocabulo, niſi ille ad imitandum proponitur, qui deſpectis
» angelorum legionibus ſecum ſocialiter conſtitutis ad cul-
» men conatus eſt ſingularitatis erũpere, vt & nulli ſubeſſe,
» & ſolus omnibus præeſſe videretur? De eadem re etiam
» Mauritio Auguſto ſcribit: Certè pro beati Petri principis
» Apoſtolorum honore per venerandam Calchedonenſem
» ſynodum Romano Pontifici oblatum eſt; ſed nullus eo-
» rum vmquam hoc ſingularitatis nomen aſſumpſit, nec vti
» conſenſit, ne dum priuatum aliquid daretur vni, honore
» debito ſacerdotes priuarentur vniuerſi. Scribit & ad Fu-

logium Episcopum Alexandrinum & Anastasium Antio-
» chenum de œcumenici nomine: Nullus vnquam decesso-
» rum meorum hoc tam profano vocabulo vti consensit:
» quia videlicet si vnus Patriarcha vniuersalis dicitur, patriar-
» charum nomine cæteris derogatur: cùm verò Elogius po-
stea ad Gregorium scribens ipsum vniuersalem Papam ap-
» pellasset, petit ne vmquam id sibi nomen imputet. non e-
» nim verbis, sed moribus se ornari velle. & in eadem epi-
» stola ait à monacho monasterij sui gentem Anglorum ad
» Christum esse conuersam. Quid eius verbis mirabilius po-
» test audiri? In solemnitate Dominicæ natiuitatis, quæ hac
» prima indictione transacta est, plusquam decem millia
» Angli ab eodem nuntiati sunt fratre & coëpiscopo nostro
» baptizati. quibus verbis Augustinum intelligit in Angliã
» à se missum. Ioanne verò mortuo successor eius Ciriacus
id œcumenici nomen sibi quoque attribuit: quod ne tum
quidem tulit Gregorius, arrogantiæ & fastus arguens, qui
id nomen tam leuiter sibi arrogasset. Etsi autem scribebat
Græcis, græcè ipse nesciebat. Hoc enim indicat epistola ad
» Eusebium Thessaliæ Episcopum. Nos nec Græcum noui-
» mus, nec aliquod opus aliquando Græcè conscripsimus:
quod propter Theodorum quendam dicit, qui cùm esset
Græcus sermones quosdam Gregorij è Latino sermone
verterat in Græcum, ac metuebat ne is aliqua falsa veris
miscuisset, Græcos enim semper suspectos habebat. Epi-
» stola ad Narsin Comitem, Romani, inquit, codices mul-
» to veriores sunt quàm Græci: quia nostri sicut non acu-
» mina, ita nec imposturas habent. Et ad Eulogium
» Alexandrinum, quia ergo perscrutantes Ephesinã synodũ,
nihil in ea tale inuenimus contineri: de Rauẽnate quoque

» ecclesia vetustũ valde codicẽ eiusdẽ synodi ad nos deferri
» fecimus,& synodo quam habebamus eum ita concordare
» inuenimus, vt in nullo discreparet. Itaque ad Narsin reli-
» giosam puellam interpretum imperitiam ostendit: Beate
» sit dulcissima vestra magnitudo,quia hodie in Constanti-
» nopolitana ciuitate,qui de Latino in Gręcum dictata bene
» transferant,non sunt. Dum enim verba custodiunt,& sen-
» sus minimè attẽdunt, nec verba intelligi faciunt,& sensus
» frangunt. Prænotare verò epistolas suas interdum ita so-
let,Gregorius seruus seruorum Dei,vt epistolam ad Ro-
manum exarchũ,ad Dominicum Cathaginẽsem, ad Fœli-
cem Siciliæ Episcopum. Quam formulam cæteri pontifi-
ces postea seruarunt. Fuisse verò Gregorij tẽporibus scri-
nia, in quibus veteres libri & chartæ custodirentur, scie-
mus ex epistola ad Anastasium Antiochenum,vbi cùm lo-
» queretur de sancta synodo Ephesina: Si placet,inquit, huic
» dirigemus,quæ ab antiquitate seruata in scriniis habemus.
» Et ad Etherium Episcopum Lugdunensem, De eo verò,in-
» quit,quod ecclesiæ vestræ concedendum ex antiqua con-
» suetudine deposcitis,requiri in scrinio fecimus,& nihil in-
» uenim⁹: vnde nobis epistolas ipsas quas dicitis habere,trã-
» mittite. Gesta verò vel scripta beati Irenæi iãdiu est quod
» sollicitè quæsiuimus,sed hactenus ex eis inueniri aliquid nõ
» valuit. Epistola quoque ad Rhecaredum Regem Vvisi-
» gothorum de Chartophilacio Iustiniani hęc scribit: Char-
» tophilacium piæ memoriæ Iustiniani tempore ita surri-
» piente subitò flamma incensum est, vt omnino ex eius
» temporibus penè nulla charta remaneret. Quid autem in
» illo viro memoria dignissimum puto,id est,quòd Episco-
» pos nisi qui ritè & legitimè à Clero & populo delecti es-


ſent, conſecrari nollet. Quam ob cauſam Conſtantij diaconi eccleſiæ Mediolanenſis electionem in Epiſcopum, probare noluit, donec Mediolanẽſium ciuium, qui coacti barbarica fuſtium feritate Genuæ Ligurum ſtationem habebant, conſenſus & voluntas per Militem eccleſiæ Romanæ ad illos profectũ exactiſſimè ſciretur, vti epiſtola ad Ioannẽ ſubdiaconum & Romanũ patriciũ & exarchũ Italiæ continetur. At ſenex cùm eſſet, & grauibus confectus curis podagræ doloribus vehementer affligebatur, vt epiſtola ad Venuntium Epiſcopum Syracuſanum, ad Maximinum Epiſcopum Arabiæ, ad Marinianum Epiſcopũ Rauennæ oſtenditur. Anno quidem Mauritij decimo tertio ſynodum Romæ habuit, in qua morem Romanorum eſſe dicit, vt cùm cadauera Epiſcoporum vrbis humanda deferuntur, ea dalmaticis contegant, quas populus pro ſanctitatis reuerentia ſibi partiendas ſcindit. atque ideò ſtatuit, vt feretrum quo Romani Pontifices ad ſepeliẽdum ducũtur, nullo impoſterum tegmine veletur. quã decreti ſui partem preſbyteros & diaconos ſeruare iubet. Denique ad Childebertum Francorum Regem & Brunechildem Reginam, Auguſtinum & alios commendans, quos in Britanniam inſulam mittebat, dat literas. Scribit & plurima Galliæ Epiſcopis, & inter cæteros Palladio Epiſcopo Santonum, referens ab eo eccleſiam in honorẽ beati Petri & Pauli nec non Laurẽtij atque Pancratij martyrum conſtructam. Id templum noſtra memoria Caluiniani ſegreges funditus diruerunt anno milleſimo quingẽteſimo ſexageſimo nono. Habebat autem Romana eccleſia Gregorij temporibus variis in prouinciis patrimonium, & ex eo redditus, vt in Sicilia, Corſica, Sardinia, Gallia, Italia,

vti ex eius epistolis ostēdi potest. Sed eius patrimonij redditus in alimenta pauperum conferri mandabat ijs quibus id commisisset. Plurimos verò fuisse illis temporibus Romanæ sedis ministros in Registro eius reperio. Sebastianum eum nominat sedis illius Antigraphum, Hilarium Chartularium, Castoriū, Paterium & Emilianū Notarios. Denique Apocrisiarium sedis apostolicæ, de quibus nihil
» attinet dicere: Dialogi libro primo Anastasius sanctę Ro-
» manæ ecclesię Notarius fuit, inquit, qui soli Deo vacare de-
» siderans, scrinium deseruit, vt monasterium eligeret. Eodémque libro Iulianum defensorem ecclesiæ Romanæ, qui Sabinensi postmodum episcopatui præfuit, ante non longum tempus in vrbe defunctum narrat. Sed quoniam segreges obiiciunt Missam inuentum Gregorij, apponam hic epistolam eius ad Ioannem Syracusanum Episcopum,
» quæ poterit vel curiosissimis satisfacere. Gregorius Ioanni
» Episcopo Syracusano. Veniens quidam de Sicilia mihi di-
» xit, quòd aliqui amici eius vel Gręci, vel Latini, nescio quid
» quasi sub zelo sanctæ Romanæ ecclesiæ de meis disposi-
» tionibus murmurarent dicentes: Quomodo ecclesiam
» Constantinopolitanam disposuit comprimere, qui eius
» consuetudines per omnia sequitur? Cùm enim dicerem,
» quas consuetudines sequimur? respondit: Quia Alleluia,
» dici ad missas extra Pentecostes tempora fecistis, quia
» Subdiacones spoliatos procedere: quia Kirie eleyson dici,
» quia orationem dominicam mox post canonem dici sta-
» tuistis. Cui ego respondi: quia in nullo eorum secuti aliā
» ecclesiam sumus. Nam vt Alleluia hic diceretur de Hiero-
» solymorum ecclesia ex beati Hieronymi traditione tem-
» pore beatæ memoriæ Damasi Papæ traditur tractum: &
ideò

„ ideò magis in hac ſede illam conſuetudinem amputaui-
„ mus, quæ hic à Græcis fuerat tradita. Subdiacones autem
„ vt ſpoliatos procedere facerem, antiqua conſuetudo ec-
„ cleſiæ fuit. Sed placuit cuidam noſtro pontifici neſcio cui,
„ qui eos veſtitos procedere præcepit. Nam veſtræ eccleſiæ
„ nunquid traditionem à Græcis acceperunt? Vnde habent
„ ergo hodie vt ſubdiaconi lineis in tunicis procedant, niſi
„ quia hoc à matre ſua Romana eccleſia perceperunt? Kirie
„ eleyſon autem nos neque diximus neque dicimus: ſicut à
„ græcis dicitur: quia in græcis ſimul omnes dicunt: apud
„ nos autem à clericis dicitur, à populo reſpondetur: & to-
„ tidem vicibus etiam Chriſte eleyſon dicitur, quod apud
„ Græcos nullo modò dicitur. In quotidianis autem Miſſis
„ alia quæ dici ſolent tacemus: tantummodo Kirie eleyſon
„ & Chriſte eleyſon dicimus: vt in his deprecationis voci-
„ bus paulò diutius occupemur. Orationem autem domi-
„ nicam idcirco mox poſt precem dicimus: quia mos apo-
„ ſtolorum fuit: vt ad ipſam ſolummodo orationem obla-
„ tionis hoſtiam conſecrarent. Et valde mihi inconueniens
„ viſum eſt: vt precem quam ſcholaſticus compoſuerat ſu-
„ per oblationem diceremus: & ipſam traditionem, quam
„ redemptor noſter compoſuit, ſuper eius corpus & ſangui-
„ nem non diceremus. Sed & dominica oratio apud Græcos
„ ab omni populo dicitur: apud nos autem à ſolo ſacerdote.
„ In quo ergo Græcorum conſuetudines ſecuti ſumus, qui
„ aut veteres noſtras reparauimus, aut nouas & vtiles conſti-
„ tuimus: in quibus tamen alios non probamur imitari? Er-
„ go veſtra charitas, cùm occaſio dederit, vt ad Catanenſem
„ ciuitatem pergat, vel in Syracuſana eccleſia, eos quos cre-
„ dit atque intelligit, quia de hac re murmurare potuerunt,

facta collocutione doceat: & quasi alia ex occasione eos instruere non desistat. nam de Constantinopolitana ecclesia quod dicunt, quis eam dubitet sedi Apostolicæ esse subiectam? Quod & dominus piissimus Imperator, & frater noster Eusebius eiusdem ciuitatis Episcopus assiduè profitentur. Tamen si quid boni vel ipsa vel altera ecclesia habet, ego & minores meos, quos ab illicitis prohibeo, in bono imitari paratus sum. Stultus est enim, qui in eo se primum existimat, vt bona quæ viderit discere contemnat. Hæc quidem Gregorius ad Episcopum Syracusanum scribit. Quàm verò honorificè Nicolaus primus loquatur de hoc ipso Pontifice, quis dubitabit, cùm dixero magnisonam Christi tubam ab eo vocari, & Anglorum gentis Apostolum? Citaríque locum illum qui est perpetua re-
„ cordatione dignus; qui ea quæ sunt domini nesciunt à
„ Domino nesciuntur? Ad laudem quoque eius pertinet
„ quod ait Valafridus Strabo antiquus scriptor. Legitur, ait,
„ de beato Gregorio Papa quòd nō sicut alij in extructione
„ ecclesiarum laborauerit, sed in doctrina & elemosynarum
„ largitate, quam non solùm apud suos, verumetiam apud
„ longè & in exteris prouinciis positos exercere curauit:
hæc ille auctor recentior Paulo Longobardicæ historiæ auctore, in libro de exordio & incrementis rerum ecclesiasticarum. In quo etiam constitutiones Gregorij Hormisdæ, Gelasij, Leonis, Cælestini, Zozimi, Innocentij, Anastasiíque plurimas tradit. Sed ante Valafridum Ioannes Moscus, qui Græcè scripsit, capite centesimo quinquage-
„ simo primo libelli à se æditi de Gregorio sic ait. Perrexi-
„ mus ad Abbatem Ioannem Persam, narrauítque nobis de
„ magno Gregorio beatissimo Romano vrbis Episcopo di-

cens: Cùm iuissem Romam, vt inuiserem sepulchrum sanctorum Apostolorum Petri & Pauli, starémque die quadam in medio ciuitatis, audio Papam Gregorium per locum illum transiturum. Cogitaui itáque venerari illum. Cùm autem prope me esset Papa, viderétque me progredi, vt venerarer illum (loquor Deo teste fratres) primus ipse prostrauit humi coram me, neque ante surrexit, quàm me primò surrexisse cerneret. Et cum multa humilitate salutans me, manu sua mihi tria numismata tradidit, iubens mihi dari quæcunque erant necessaria. Glorificaui itáque Deum, quòd tantam illi contulerat humilitatem, & misericordiam, & charitatem ad omnes.



SABINIANVS.



ON est nouum diaconos ecclesiæ Romanæ ad Episcopi dignitatem peruenire cui seruierint, vt in Leone suprà demonstrauimus, & nunc in Sabiniano, qui magnarum rerum sub Gregorio procurator fuit. ipse illum diaconum suum appellat his epistolis, ad Priscum Patricium Orientis, ad Ioannem Episcopum Constantinopolitanum, ad Mauritium Augustum, ad Constantiam Augustam, ad Eulogium Antistitem Alexandrinū. In qua quidem epistola, Sabiniano, inquit, Diacono responsa ecclesiæ in vrbe Regia facienti scripta nostra transmisimus:

» Superioribus verò duabus vno verbo cum Responsalem
» suum vocat. Quo munere se quoque functū fatetur libro
» dialogi tertio, Cùm, inquit, pro explendis responsis eccle-
» siæ Constantinopolin ad principem transmissus sum. Ma-
» gnis igitur rebus & negotiis assuetus Sabinianus, qui apud Cæsares auctoritate & gratia multum valebat, in Gregorij decessoris locum consentientibus ipsis rerum dominis à Clero populóque deligitur. Et magnus sanè vir fuit. Nullius enim exemplo quàm decessoris sui, cui admodū charus fuerat, Romanam rexit ecclesiam, anno vno, vt Nicephorus refert, Episcopi honore functus, Nicephorus inquam Cōstantinopoleos Episcopus, non ille Calistus, qui successorem Gregorij primi Innocentium nominat, cùm ante Gregorium multis annis Innocentius primus vixerit, secundus quoque à Gregorio multis seculis abfuerit.




BONIFACIVS III.



VNC Bonifacium octo mensium Pontificem, credere namque Nicephoro debemus, quis putaret præclari aliquid fecisse? obtinuit tamen à Phoca vt Romana sedes omninò & absolutè prima diceretur. Idque Pauli diaconi sincero testimonio firmare licet, qui illa ferè tempora attigit. Hoc enim ab illo narratur libro quarto de origine & rebus gestis Longobardorum.
» Phocas, inquit, rogante Papa Bonifacio statuit sedem Ro-

» manæ & apostolicæ ecclesiæ primam esse, cùm prius Cō-
» stantinopolitana se primam omnium ecclesiarum scribe-
» ret. Igitur Bonifacij in ea re cura studiúmque ac diligentia
» magni ponderis profectò fuit, optiméque consuluit po-
» steris suis sublata omni contentione quæ sub Pelagio
» Gregorióque fuerat aduersus Ioannem & Cyriacum An-
» tistites Constantinopolitanos.




BONIFACIVS IIII.



VIS tui obliuiscatur quarte Bonifaci? aut quis Marci Agrippæ in vita tua mentionem non faciat? Hic enim tēplum admirabilis structuræ exædificādū curauit, dicandúmque Ioui, vltori vt Plinius est testis, & secundum Iouē omnibus diis deabúsq;. Cōditoris nomen in frōtispicio adhuc legitur, M. AGRIPPA L. F. COSS. TERTIVM FECIT. Id templum postea Lucius Septimus Seuerus & Marcus Aureli⁹ Antoninus vetustate corruptū cū omni cultu restituerūnt, vt inscriptiō illius temporis eodem penè loco incisa indicat. IMP. CÆS. L. SEPTIMIVS SE-
» VERVS, PIVS, PERTINAX, ARABICVS, ADIABENICVS, PARTHI-
» CVS, MAXIMVS PONTIFEX, MAXIMVS TRIB. POT. XI. COS. III. P.
» P. PRECOS. ET IMP. CÆS. M. AVRELIVS ANTONINVS PIVS FE-
» LIX. AVG. TRIB. POTEST. V. COS. PROCOS. PANTHEVM VETV-
STATE CORRVPTVM CVM OMNI CVLTV RESTITVERVNT. Id

templũ Pantheum olim appellabatur. At ſanctiſſime, Bonifaci deteſtatus idolorum cultum Iouem inde deóſque omnes expuliſti, vt virgini Mariæ Diuiſque omnibus ædes ea meritò conſecraretur, quæ nunc à circulari forma Rotunda, hodie à Romanis vocatur. Quam ædem donatam eccleſiæ Chriſti à Phoca Cæſare, Beda grauis auctor ac ferè illius ætatis memoriæ mãdauit, & poſt eum Valafridus ait ædem illam permittente Phoca Cæſare à beato Bonifacio in honorem omnium ſanctorum fuiſſe conſecratam, ídque in libro de exordio & incrementis rerum eccleſiaſticarũ tradit. Nec verò de te Bonifaci aliud dicam, niſi quod enumeratis prædeceſſoribus tuis, in te deſinit Nicephorus ille, cuius teſtimonio ſæpe vſi ſumus: íſque Epiſcopatui tuo ſeptem annos tribuit.




DEVSDEDIT.



MARCVS Aurelius Caſſiodorus ſcribit ad Deuſdedit ſcribam Rauennatem & diuus Auguſtinus ad Quod vult deũ, hæc erant vocabula compoſita ex nomine & verbo, & illis temporibus vſitata, ne quis putet nouũ & inuſitatum huic Pontifici nomẽ fuiſſe. Tres ergo Romani Pontifices idem nomen habuerunt, hic de quo loquimur & duo Theodori, quos ſuo ordine laudabimus. Videndum ergo quidnã Deus dederit Romanæ eccleſię, amorẽ in primis erga Clerum populúmq; Romanũ,

quo eum quamdiu vixit est singulari prosequutus: deinde summum reipub. Christianæ bonum. Heraclius enim Cęsar insignem de Persis victoriam retulit, quæ est à Græcis historicis diffusè explicata. Beda ecclesiæ historiæ gentis suæ libro secundo ait Bonifacium successorẽ fuisse Episcopi Romani Deusdedit. Hic operæpretiũ erit indicare quanto tempore ante Bedam numerare cepimus ab anno Christi, cùm prius quibus Cõsulibus quid actum dici cõsuesset, hoc nos Gregorius docet neque enim vetustiorem auctorem adhuc reperi. Is in epistola quæ Probi vitam continet, & libro nono comprehenditur: Imperantibus, inquit, domino Mauritio & Tiberio Augustis anno incarnationis sexcentesimo primo eodémque domino vndecies Cõsule. cætera omitto, ab illo enim tempore cepimus Christiani, vt verisimile est, annos à natali Christi numerare, quod hodie quoque receptum est apud eas gẽtes quę Christianam religionem profitentur. nam Arabes aliíque populi sectæ Mahometicæ solent à fuga Mahometis annos metiri. Cæterùm moneo pios lectores ad Lutetiam Parisiorum, in qua rerũ ac fortunarũ mearum domicilium fixi, omnium superiorum pontificum vrbis historiã vsque ad hunc de quo loquimur, in inclyto monasterio diui Victoris diu extitisse, extaréq; adhuc in indice, quæ vtinam ad me peruenisset, aut alium quẽcumque scribendæ historiæ cupidissimum. Nõ enim dubium est quin ex eo opere aliquid præclari respubl. Christiana habuisset.




BONIFACIVS V.



V o populi existimantur Christianorum inimici, Iudæi & Arabes. Sisibutus Rex Visigothorum odio Iudaicę gentis legem tulit, ne ipsis Christianos seruos habere liceret. Quæ sanctio cōtinetur libro duodecimo legum Visigothicarum. Hoc sub Bonifacio quinto accidit, quo pontifice Rex ille abominanda in Christianos funestaq; Iudæorū imperia censuit. Arabes verò apud se prognatum gloriantur Mahometem illum, qui sub Heraclio pestiferam sectam intulit in orbem terrę, per quam quotidie Christiani vbiuis gentium crudeliter vexamur. Anglos sub Gregorio ad pietatem Christianam conuersos suprà diximus. eam gentem successores vrbis Episcopi veluti recens Christianam vnicè diligebant, nec aliter amplectebātur absentē & procul dissitam quàm nutrices solent teneros alumnos suos fouere. Scripsit itáque Bonifacius Eduino Regi Anglorum & Edelburgi Reginę, plurimum rogās vt ab idolis eorúmque cultu subditos sibi populos arcerent. Quarum literarum exemplum, quibus Bonifacius præfatur se Episcopum seruum seruorum Dei, extat apud Bedam libro secundo ecclesiasticæ historię gentis suę.

HONORIVS




HONORIVS.



CHRISTIANISSIMI Imperatoris nomen ferens Honorius, idem Petronij Consularis viri filius, pontificiam dignitatem adeptus est, electúsque mortuo Bonifacio, vt re & nomine sedem illam honoraret. Huius extant in Romanam ecclesiam beneficia. Omnes enim ferè basilicas in vrbe vetustate corruptas cum omni cultu restituit, & remotissimos à se Christianissimos Reges, quia publicè intererat, per literas instruxit, docuítque veram domini religionem amplecti. De quo Pōtifice quis melius quàm Beda doctissimus scriptor? Quo tēpore præsulatum sedis apostolicę Honorius Bonifacij successor habebat, inquit, misit regi Eduino literas paterna illum charitate accendens, vt in fide veritatis quam acceperat, perseuerare semper ac proficere curaret. Domino excellentissimo atque præcellentissimo filio Eduino Regi Anglorum Honorius Episcopus seruus seruorum Dei, salutem. Ita Christianitatis vestræ integritas circa conditoris sui cultum fidei est ardore succensa, vt longè, latéque resplendeat, & in omni mundo annunciata, vestri operis multipliciter referat fructum. Sic enim vos reges esse cognoscitis, dum regē & creatorem vestrum orthodoxa prædicatione edocti Deum venerando creditis, eíque quod humana valet conditio mentes vestræ sinceram deuotionē exoluitis. Quid Deo nostro aliud offerre valebimus, nisi vt in bonis acti-

» bus persistentes ipsúmque auctorem humani generis con-
» fitentes eum colere, eíque vota nostra reddere festine-
» mus? Et ideò excellentissime fili paterna vos charitate qua
» cõuenit exhortamur, vt hoc quod vos diuina misericordia
» ad suam gratiam vocare dignata est, solicita intentione &
» assiduis orationibus seruare omni modo festinetis; vt qui
» vos in præsenti sæculo ex omni errore absolutos ad agni-
» tionem sui nominis est dignatus perducere, cœlestis pa-
» triæ vobis præparet mansionem. Prædicatoris igitur vestri
» domini mei apostolicæ memoriç Gregorij lectione fre-
» quenter occupati, præ oculis affectũ doctrinę ipsius quem
» pro vestris animabus liberer exercuit, habetote: quatenus
» eius oratio, & regnum vestrum, populúmque augeat, &
» vos omnipotẽti Deo irreprehensibiles repræsentet. Ea ve-
» rò quæ à nobis pro vestris sacerdotibus ordinanda spera-
» stis, hæc pro fidei vestræ sinceritate, quæ nobis multimo-
» da relatione per præsentium portitores laudabiliter insi-
» nuata est, gratuito animo attribuere illis sine vlla dilatio-
» ne præuidemus. Et duo pallia vtrorumque Metropolita-
» norum, id est, Honorio & Paulino direximus; vt dum quis
» eorum de hoc sæculo ad auctorem suum fuerit accersitus,
» in loco ipsius alterum Episcopum ex hac nostra auctorita-
» te debeat subrogare. quod quidem tam pro vestræ chari-
» tatis affectu, quàm pro tãtarum prouinciarum spatio, quæ
» inter nos & vos esse noscuntur, sumus inuitati cõcedere,
» vt in omnibus deuotioni vestræ nostrum concursum &
» iuxta vestra desideria præberemus. Incolumem ex-
» cellentiam vestram gratia superna custodiat. Dedit &
Honorius literas ad cognominem sibi HONORIŨ DOROUER-
nensem Episcopum, quas apud eundem scriptorem repe-


» rio, datas Heraclio Cæsare & filio eius Heraclio, indi-
» ctione septima, id est, anno à natali Christi sexcentesimo
» tricesimo tertio.



SEVERINVS.



ONORIO Seuerinum successisse Manilio Seuerino cognominē nobilissimo sui tēporis doctissimóque viro Beda & alij tradūt. at quem virum? in quo erant duæ potissimę dotes, liberalitas in pauperes à Christo cōmēdatos affectatoribus suis, & clementia in ciues suos singularis. Adhuc viuebat Heraclius Cęsar, & Isaacius exarchus summę rerū in Italia pręerat, apud quem Mauritij chartularij opera effectum est, vt sub hoc clementissimo Pontifice sacrilegium ingens committeretur. Lateranēse enim vestiariū omni genere donorum refertum, quę maiores Reipub. & pietatis causa diligenter custodissent, vno momēto vir rapax diripuit, violatis diuinis humanísque legibus. Dolore inde concepto, vt est verisimile, anno cōsecrationis suę Seuerinus extinctus moritur. O parum potentem illa ętate Episcopum Romanum, qui tot congestas opes & maiorum gazas ac donaria veterum Christianorum ab impij magistratus manu ac latrocinio seruare non potuit!




IOANNES IIII.



Ix Seuerinus excesserat è vita, cùm literę gentis Scotorum Romam deferuntur, quibus respondere Ioannes diaconus in Episcopum electus, nondum tamen pro more vrbis consecratus, solus non poterat. Sed Hilarius archipresbyter, & Ioannes Primicerius seruantes locum sanctæ sedis apostolicę, & Ioannes Consiliarius eiusdem sedis responsum cum illo fecere, quod apud Bedá reperio in hunc modum. Dilectissimis & sanctissimis Tomiano, Colúbano, Chromano, Dimano & Bathano Episcopis, Chromano, Hermannóq;, Laustrano, Stellano & Segiano presbyteris, Sarano cęterísq; doctoribus seu abbatibus Scotis, Hilarius archipresbyter & seruans locú sanctę sedis apostolicę, Ioannes diaconus & in Dei nomine electus, Item Ioannes primicerius & seruans locum sanctę sedis apostolicę, & Ioannes seruus Dei consiliarius eiusdem Apostolicę sedis. Scripta quæ per latores ad sanctæ memorię Seuerinum papam adduxerút, eo de hac luce migrante, reciproca responsa ad ea quæ postulata fuerant, siluerunt. Quibus reseratis, ne diu tantæ quæstionis caligo indiscussa remaneret, reperimus quosdam prouincię vestrę contra orthodoxam fidem nouam ex veteri hęresim renouare conantes, pascha nostrum, in quo immolatus est Christus, nebulosa caligine refutantes, & quartadecima luna cum

„ Hebræis celebrare nitentes. quo epistolæ principio manifestè declaratur, & nuperrimè temporibus illis hanc apud eos hæresim exortam, & non totam eorum gentem, sed quosdam ex eis hac fuisse implicitos. Exposita autem ratione paschalis obseruantiæ, ita de Pelagianis in eadem epistola subdunt: Et hoc quoque cognouimus, quòd virus Pelagianæ hæreseos apud vos denuò reuiuiscit, quod omnino hortamur, vt à vestris mentibus huiusmodi venenatum superstitionis facinus auferatur. Nam qualiter ipsa quoque execranda hæresis damnata est, latere vos non debet: quia non solùm per istos ducentos annos abolita est, sed & quotidie à nobis perpetuo anathemate sepulta damnatur. Et hortamur, ne quorũ arma combusta sunt, apud vos eorum cineres suscitentur. Nam quis non execretur superbum eorum conamen & impium, dicentium, posse sine peccato hominem existere ex propria voluntate, & non ex gratia Dei? & primum quidem blasphemiæ & stultiloquium est dicere, esse hominem sine peccato, quod omnino non potest, nisi vnus mediator Dei & hominum homo Christus Iesus, qui sine peccato est conceptus & partus. Nam cæteri homines cum peccato originali nascentes, testimonium præuaricationis Adæ (etiam sine peccato actuali existentes) portare noscuntur, secundum prophetam dicentem: Ecce enim in iniquitatibus conceptus sum, & in peccatis concepit me mater mea. Ex hac epistola cognoscimus morem Romanæ Ecclesiæ fuisse, vt qui eminerent in ministris ecclesiæ, responsum darent literis acceptis ante legitimam Episcopi inaugurationem. Ioannes verò Romanus antistes cùm esset renunciatus, & incumberet possessioni adeptæ dignitatis, non parum ec-

clesiam iuuit, synodo Episcoporum collecta, damnatáque Monothelitarum hæresi.




THEODORVS.



VÆ diximus de synodo habita Ioannis tēporibus, ea nōs ex libro decimo octauo Paulini Aquileiensis mutuati sumus, & mutuabimur ab eodem auctore quicquid de Theodoro narrabitur. Primùm ait mortuo » Ioanne loco eius Theodorum constitutum esse Papam, » deinde Pyrrhum Constantinopolitanū Episcopum ex a- » nimo, vt videbatur, abiiciētem damnatos à Ioanne deces- » sore suo, Monothelitarū hæresim benignissimè suscepit: » verùm cùm is discedens Roma Rauennam peruenisset, & » canis instar ad turpem vomitum rediisset, Theodorus con- » uocata frequētissima synodo ad templum principis Apo- » stolorum accessit, acceptóque calice in atramentum stil- » lauit, atque ita propria manu depositionem Pyrrhi fecit. » quem morem ante illum in exauctoratione Episcopo- » rum seruatum necesse est, aut formulam hanc à Theodoro » posteris datam in exemplum, quod probabilius certè vi- » detur. Leo nonus merito conferendus cum Leone primo » in epistola ad Michaëlem Constantinopolitanum Episco- » pum Constantini Monomachi temporibus, sed vt ad reli- » quos, inquit, decessores vestros reuertamur, quid de Pyrrho » Episcopo, immò heresiarcha Macarij Antiocheni sequace » dicemus, qui veniēs Romam scripto anathematizauit om-

„ nia, quæ ipse & decessores sui cōtra fidem Catholicam &
„ Apostolicæ sedis senserunt. Sed quantocius ad vomitum
„ reuersus, à Papa Theodoro est damnatus, & successor eius
„ Paulus, quòd ab eodem Romano Pontifice monitus & in-
„ crepatus non resipuit, quando velut simulacrū aut phan-
„ tasma aliquod insensibile dominū nostrum Iesum Chri-
„ stum arbitratus, nec vnam nec duas voluntates vel ope-
„ rationes in eodem fuisse definiant, & altare Latinorum &
„ legatorū Romanæ ecclesiæ, quod nemo hæreticorū ante
„ eum præsumpserat, submittit.




MARTINVS.



VNC sanctissimum mitissimúmque Romani gregis pastorem, qui religiosissimi maximíque viri Martini Turonū Episcopi nomē tulit, quis nō doleat incidisse in tēpora Cōstantis Cæsaris, qui Heraclij nepos Constantini filius fuit? Aduersus quem propter Monothelitas (Constans enim se eis in disciplinam dederat) synodum centum & decem Episcoporum collegit, Sergio, Pyrrho, Cyro, & Paulo damnatis, duásque voluntates & operationes Christi Iesu liquidò esse demonstrauit, cùm illi vnā tantùm esse dicerēt. Nicolaus primus epistola ad Michaëlem Cæsarem de ea synodo breuissimè loquitur, verbáque
„ eius apponam. Christi confessor Papa Martinus Cyrum
„ Alexandrinum, Sergium, Pyrrhum & Paulum Constanti-


„ nopolitanos ſolis eorum in ſua ſacra ſynodo ſcriptis re-
„ cenſitis damnationi contradidit. Cur autem confeſſorem
„ eum appellet cognoſces, vbi dixero hunc religioſiſſimum
„ virum & præclariſſimum antiſtitem Conſtantis iuſſu Cõ-
„ ſtantinopolim perductum, indéque in Cherſonam inſu-
„ lam relegatum, in eáque mortuum. O verè beatum Pon-
„ tificem! quid enim beatius exiſtimari poteſt, quàm pro
„ vero emori? Hæc Paulinus Aquileienſis, & è Græcis hi-
ſtoriarum ſcriptoribus Zonaras refert in vita Conſtantis, quem huius criminis reum in Sicilia tandem extinctum narrat. Gennadius Scholarius Patriarcha Conſtantinopolitanus eundem ſanctiſſimum virum à Græca eccleſia coli decima tertia menſis Martij, libris à ſe æditis poſt expugnationem vrbis à Mahomete Turcarum Rege, teſtatus eſt. Reſtat teſtimonium elegans Leonis noni, qui Paulum & ſocios à Martino damnatos refert epiſtola ad Michaë-
„ lem Conſtantinopolitanum: Ad Pauli rationem, qui ſæ-
„ uiebat in Catholicos, deſtruẽdam ſanctiſſimus Papa Mar-
„ tinus collectis centum quinque Epiſcopis damnauit Cy-
„ rum, Alexandrum, Sergium, Pyrrhum & Paulum
„ Conſtantinopolitanos Epiſcopos. Hæc Paulus nobiſcum ſentiens, niſi quòd centum & quinque Epiſcopos in illa ſynodo fuiſſe dicit: nos antiquorum ſcriptorum auctoritate fulti ſuperaddimus.



EVGENIVS.



NONDVM reperi aliquem Historicum illius temporis, qui Eugenium dicat in Romana sede summã auctoritatẽ esse consequutum, vel qui rerum ab eo gestarum mentionem vllam faciat præter Bibliothecarium; cuius verba inserere placet, vt nihil magni ab eo gestum in illo breuissimo Pontificatus sui tempore planè cognoscas. magna enim gerere fœlicitatis cuiusdam est, potius quàm occasionis & temporum materia atque subiectum. Is enim post Damasum Portuensem, aut alium quicunque is fuit, scribens vsque ad suam ætatem de Romanis Antistitibus, cùm peruenit ad Eugenium Martini
„ successorem, Eugenius, inquit, natione Romanus sedit an-
„ nis duobus, mensibus nouẽ, diebus XXIIII. qui sepultus
„ est in basilica beati Petri. Cessauit Episcopatus mens. I. dies
„ XXVII. Hunc quidem verisimile est fuisse ex Eugenij posteris eius qui sub Gratiano, Valentiniano & Theodosio Præfectus prætorio fuit, ad quem Imperatores illi constitutionem misere. Si quis afferat, datam XV. Kal. Iul. Heracleæ, Merobaude II. & Saturnino Coss.




VITALIANVS.



ONSTANS moleſtè ferens proſperos & fœlices ſucceſſus rerum quas Longobardi in Italia moliebãtur, egreſſus Neapoli Romam ibat. Hoc accepto nuncio Vitalianus genere Campanus legitimis ſuffragiis præſul Romanæ eccleſiæ Cæſari progreditur obuiam, eúmque ad templum principis Apoſtolorum comiter deducit. Ciues Romani ſperabant Conſtantis aduentum reipubl: fauſtum fore: ſed Annibal ſi intra muros eſſet non maiorem inferret calamitatem vrbi quàm tunc illata eſt. omnia enim tẽpla, omnes familias priuatis & publicis ornamẽtis nudauit. Quo nobili apparatu cùm in Siciliam ſe contuliſſet, miſerè trucidatus eſt: neque immeritò. fruſtrà enim exitum vitæ proſperum ac fœlicem tyranni ſanguinis & prædæ auidi expectant. Hæc Paulus in hiſtoria Longobardorum exequitur. Extant autem literæ Vitaliani ad Eximium Regem Saxonum religionem Chriſtianam recèns amplexum: quas Beda libro quarto inſerit, ad eámque gentem tunc miſſi ſunt Adrianus Afer Græcè & Latinè doctiſſimus, & Theodorus ex Tharſo Siliciæ Epiſcopi honore donatus à Vitaliano anno à natali Chriſti ſexcenteſimo ſexageſimo octauo, quo tempore ab Ebroino Regiæ familiæ in Francia præfecto nauigandi in Britanniam facultatem accepere. Semina doctrinæ licet exigua ſpargantur, tamen fructus non exiguos ferũt. nam quales fue-

rint Adriani & Theodori discipuli in insula illa educati & alti docet Beda eodem libro, cùm ait: Vsque hodie supersunt de eorum discipulis, qui Latinam Græcámque linguam æquè vt propriam norunt. Ac Vitalianus quidem epistola ad Paulum Cretensem Archiepiscopum præfatur se Episcopum seruum seruorum Dei, ab eóque aiunt Ferrarienses vrbi suæ Episcopum datum, cùm ante id tempus illo honore caruisset. Cæterùm Vitaliani nomen hoc Pontifice antiquius fuit. etenim in Codice Iustiniani libro secundo constitutionem reperio Vitaliano scriptam datámque secundo Kal. Decemb. Diocletiano II. & Maximiano AA. Coss. Rursum aliam Honorij & Theodosij ad Vitalianum Ducem Libyæ lib. primo Codicis continetur, & Cassiodori ad Vitalianum epistola etiam reperitur.



ADEODATVS III.




ADEODATI vox vt Deusdedit è duabus composita nomen proprium facit, vt. Quod vult Deus & Deo gratias apud Augustinum, naturalísque eius tum adolescentulus filius Adeodatus in hunc modum dicebantur. Hic quidem Adeodatus testimonium virtutis ac religionis præ se ferēs, ad summi sacerdotij dignitatē maxima cura vocatus est, cúmque clementissimum mitissimúmque hominē fuisse Biblithecarius prædicat, A Deo igitur datus potuit ciuibus suis videri, penes quem summa

erga omnes clementia erat. Ac nemo putet nouum & huic primo impositum nomen esse. nam apud Gregorium reperies plurimas epistolas ad Adeodatos atque Adeodatas fœminas: simul narrat Bibliothecarius de Mizizio Constãtis percussore, ipsum à Constãtino Pogonato Constantini filio in Sicilia occisum, vbi is parẽtem interemisset. Quę omnia à Zonara in vita Constantini fusius explicantur, & ab aliis Græcis historiarum scriptoribus. Sed nos in hoc opere modum breuitatis seruare oportet. In chartario Turonensis templi quod à Martino Episcopo nomen habet, reperi rescriptum Adeodati, quo monachis illius loci peculiarem Episcopum habere permittit cõniuente Cutperto, & Episcopis Galliæ quàm plurimis cõsentiẽtibus: Cutperto inquam Episcopo Turonum, cuius potissimum intererat monachos illos peculiarem Episcopum non habere. Sed hic mos Turoni fuit vsque ad Vrbani secundi tempora. Nam is Episcopo illo decedente iussit controuersias eorum Romæ discuti, nec imposterum proprium eis Antistitem esse voluit. Verba rescripti sunt:
» Dilectissimis fratribus vniuersis Episcopis in Galliæ par-
» tibus commemorantibus Adeodatus. Æquitatis nos am-
» monet norma, quam apprimè custodire præcipimus, vt
» canonica sanctorum patrum consulta, præsertim à beatis-
» simis apostolicæ sedis præsulibus, prædecessoribus scilicet
» nostris qui auctoritatẽ successionis, ac vicem sacratissimi
» apostolorum principis Petri per diligentem solertiam na-
» cti sunt, quemadmodum statuta reperimus, intemerata
» atque illibata custodia cõseruemus. Sed vt sunt quæ que à
» fratribus nostris ecclesiarum Episcopis pedissequa dunta-
» xat imitatione consulta, & salubriter fuerunt ordinata, vt

» pote functi apostolorũ principis licet impares ministerio
» conseruanda simili ratione decernimus. Qua ex re dum
» Ægiricus religiosus presbyter & abbas monasterij sancti
» Martini, in quo venerabile corpus eius est situm, visendas
» ex desiderio veniẽs apostolicas cõfessiones, & atria nostris
» se repræsentaret obtutibus, commendationẽmque fratris
» nostri Cutperti Turonicæ ecclesiæ præsulis obiuisset, sup-
» plici voce precatus est, vt priuilegiũ apostolica auctoritate
» subnixũ ob munitionẽ venerabilis monasterii quod bea-
» tæ recordationis confessor Christi Martinus Turonensis
» ecclesiæ in Gallicanis partibus ad cõuersorum salutem sui
» sacratissimi corporis consecratione decorauit, cui nunc
» præesse se perhibens scriptis ostenderat, ei cõcedere debe-
» remus, parũ per autem ambigimus: idcirco quòd mos at-
» que traditio sanctæ nostræ ecclesiæ plus non suppetat à
» regimine Episcopalis prouidẽtiæ religiosa loca secernere.
» Verùm vbi & prædicti fratris nostris Cutperti Turonensis
» ecclesiæ præsulis monasticam libertatem, hoc est liberam
» dispensandi licentiam scripto concessam religiositatem
» eius exemplaris proferente comperimus, in cuius volumi-
» ne & aliorum per Gallicanam videlicet prouinciam con-
» stitutorum Antistitum ad id cõsensum præbentium sub-
» scriptiones subter annexas inspeximus, nullatenus iam ex-
» ortem rationis, ac canonicæ regulæ tantorum Episcoporũ
» consonam sententiam fore perpẽdimus. Propterea & nos
» erga quos iidem fratres nostri reuerẽtissimi pręsentes con-
» ferre prouiderunt, simili censura ex auctoritate profectò
» apostolorum principis, cui claues ligandi atque soluendi
» conditor atque redemptor omnium tribuit, identidem fir-
» mare cõcessimus: vt apostolica fulti auctoritate per priui-

» legij seriem, grauedines à quolibet Episcoporum sub prætextu discussionis religiosus abbas vel monachi ibi degẽtes sustineant: neque rursus sibi disputandi apud eos licentiam vendicantes, dispẽdia his atque insolentias angariarũ imponant: neque per occasionem regularis disciplinæ rimandæ atque seruandæ quaslibet eis importent iniurias, sed liberam licẽtiam habere statuimus, salua profectò monachicarum regularũ custodia religioso abbate, quicumq; pro tempore præerit præfato venerabili monasterio id procurante, vt erga quos pristinę traditionis eius articulus continet, & ipse cõseruare nitatur, & quicũque sub eius reguntur dispensatione solertè custodire commoneat, districtéque compellat. Reuerentissimus verò Episcopus, in cuius parœchiam memoratum venerabile monasterium vel res eius ac possessiones cõstiterint, faciẽdæ tantùm ordinationis ac promotionis sacerdotum atque leuitarum vel cõficiendi chrismatis sit tantùm concessa licentia: dispositionem autem venerabilis loci gerere ac conuersationem monachicam exquirere relioso abbati, eiúsque præposito, vel qui probatissimi fuerũt in eodem monasterio, quod etiam præfati pręsules consona sententia definierũt, decernimus. Quisquis igitur quolibet tẽpore, quod nullatenus credimus huius decretum priuilegij, quod auctoritate apostolica subnixi consentiendo firmauimus, in totũ vel in partem temerare tentauerit, suæque præsumptionis audacia indigna emendatione minus correxerit, in perpetuum percellendum vel anathematisandum se nouerit, nõ solùm tantorum sententia sacerdotum, sed etiam æquissimo apostolicæ condemnationis aculeo: quoniam violare pertinaciter nisus est, quod salubriter seruare debebat.

„ Et ita quoque huius priuilegij sanctio firma, & rata indi-
„ minutáq; persistat atque permaneat, erga quod & præcel-
„ lentissimi totius Galliæ reges, vt scripto cõperimus, ad re-
„ primẽdas laicorum infestationes edicto præmunire idem
„ venerabile monasterium regali pietate dignati sunt. Bene
„ valete dilectissimi fratres.




DONVS VEL DOMNVS.



PVD Rufinũ Donnionis nomen legitur beatę memorię senis, sed Doni nomen nunquam inter legendum occurrit, nisi in Græca diegesi synodorũ, vbi Domni Antiocheni Episcopi nomẽ reperio. Apud Iustinianũ extat constitutio Diocletiani & Maximiani ad Domnum lib. Cod. sexto & nono ea antiquior Alexandri Cæsaris ad Domnium proposita Iuliano II. & Crispino Coss. Fuisse autem Donũ sub Cõstantini Pognati imperio manifestũ erit ex epistola eius quam in testimonium profert Nicolaus Romanæ ecclesiæ decus atque ornamentum
„ ingens. Nõ hoc, inquit, dicit Constantinus, qui Dono Pa-
„ pæ scribens etiam iurando benignitatem & honorem cir-
„ ca sedem exhibet apostolicam in his verbis: Per Deum, in-
„ quiens, omnipotentem nõ est apud nos partis cuiuslibet
„ fauor, sed æqualitatem vtrisque partibus conseruabimus,
„ nullatenus necessitatem faciẽtes in quocunque capite, eis
„ qui à vobis diriguntur quoquomodo, sed & omni hono-

» re cum competenti munificentia & ſuſceptione dignos
» eos habebimus: & ſiquidem vtrique conuenerint, ecce be-
» ne: ſin autem minimè conuenerint, iterum cum omni hu-
» manitate eos ad vos dirigemus. Et poſt pauca: Inuitare e-
» nim & rogare poſſumus ad omnem emendationem, &
» vnitatem omnium Chriſtianorum: neceſſitatem verò in-
» ferre nullatenus volumus. Hæc de Cõſtantino Nicolaus tradit epiſtola ad Michaëlem Cæſarem. At Doni Pontificis liberalitate veſtibulum baſilicæ beati Petri ante fores candidis & magnis marmoribus ſtratum eſt, cuius beneficij memoriam præter veſtigia quæ adhuc ſuperſunt, conſeruat Pauli diaconi locus libro quinto hiſtoriæ Lõgobardicæ à ſe editæ.



AGATHO.



SÆPE parentes liberis, ſæpe parentibus ſuis liberi meliores ſunt. quàm perditę vitæ Cõſtantem oſtendimus fuiſſe? At Cõſtantinus rectam viam ſequi, & orthodoxam religionem amplecti maluit, vt ex ſuperiori ad Donum epiſtola demõſtrauimus. Sub hoc Agathonem Romanum Epiſcopum charum Cæſari acceptúmque ob egregiam manſuetudinem eius & cæteras virtutes accepimus. Vetus autem eſt Agathonis nomẽ: temporibus enim Diocletiani & Maximiani Agatho fuit, ad quẽ extant conſtitutiones duæ Cæſarum illorũ lib. Cod. 9. Hoc Põtifice,

Conſtantino

Constantino orthodoxo placuit vnire ecclesias ob Monothelitarum hæresim iam inde ab Heraclio diuisas. Itáque synodum Constantinopolim indicit, cuius fuere principes Agathonis Papæ Romani legati (sic enim vetustiores sequutus Zonaras scribit) Gregorius Constantinopolitanus & Theophanes Antiochenus. Ea synodo decretū duas voluntates & duas actiones in Christo credendas, qui aliter sentirent anathemate notatis. Legati Agathonis nominātur à Bibliothecario Ioānes Veliternensis, Ioannes Reatinus: & Ioannes Portuensis Episcopus, Theodorus & Georgius presbyteri, Ioannes diaconus, Constātinus subdiaconus, è quibus tamen Theodorum & Georgium presbyteros & Ioannem diaconum à Photio numerari video epistola ad Michaëlem Bulgariæ principem. Cæterùm antequam mitterentur, coacti sunt Romæ occidentales Episcopi centum viginti quinque, & vnam in domino voluntatem atque operationem esse testati sunt: quarum rerum acta extant. Hoc sapienti Bedæ etiam debemus, qui ait sanctissimum ac doctissimum Bonifacium Archidiaconū ecclesiæ Romanæ & Consiliarium fuisse apostolici Papæ. quid enim vetat iisdē omnino verbis vti quæ libro quinto cōtinentur? Superest vt ex Bibliothecario dicam beatissimum virum Agathonem suscepisse à Constantino iussionem, qua remittebat quantitatem solitam dari pro ordinatione Episcoporum vrbis, ita tamen vt nisi imposterum exactio illa præcederet, non ordinaretur qui electus foret.

NOMINA PONTIFICVM QVORVM VITA EXPONITVR LIBRO TERTIO.

Leo II.
Benedictus II.
Joannes V.
Conon.
Sergius.
Ioannes VI.
Ioannes VII.
Sisinius.
Constantinus.
Gregorius II.
Gregorius III.
Zacharias.
Stephanus II.
Paulus.
Stephanus III.
Adrianus.
Leo III.
Stephanus IIII.
Paschalis.
Eugenius II.
Valentinus.
Gregorius IIII.
Sergius II.
Leo IIII.
Benedictus III.
Nicolaus.
Adrianus II.
Joannes VIII. *vulgò* IX.
Marinus.
Adrianus III.
Stephanus V.
Formosus.
Bonifacius VI.
Stephanus VI.
Romanus.
Theodorus.
Joannes IX. *vulgò* X.
Benedictus IIII.
Leo V.
Christophorus.



LIBER TERTIVS.

LEO II.



IBRVM tertium Episcoporum vrbis scripturi ordiemur à Leone. cur enim viri eloquentissimi laudes omittam? cũ tria in eo ornamenta fuisse Bibliothecarius prædicet? Singularem eloquentiam, exactum in diuinis mysteriis iudicium, denique pauperũ curam? Sextam synodum sub decessore suo habitam firmam ratámque habuit, & haberi voluit. nec immeritò, quia acta decessorum, si pia sunt, laudari à successoribus æquissimum est. Hoc Pontifice, per diuinam iussionem clementissimi principis Constantini decretum est, vt in reliquum tempus electi in Rauennæ Antistites, Romam irent atque ordinarentur ab Episcopo Romano. Id Cæsari ideò placuit, quia multi retrò Episcopi Rauennates parum audientes fuerant monitis & iussionibus Pontificum Romanorum, & Exarcharum auctoritate aduersus eos abusi erant. Mensibus decem quibus Pontificium honorem vir pius gessit, admirabili docilitate, & ad dicendi facultatem appositus,

quid potuit relinquere ciuibus Romanis præter ingens desiderium sui?




BENEDICTVS II.



D Benedictum venio, in quo viro si plurimas virtutes enituisse dixero, bene dixero, autor enim mihi erit Bibliothecarius talium ornamentorũ, quibus Romanam ecclesiam illustrauit. Nec prætereũda est benignior iussio Constantini Pogonati clemẽtissimi principis, à quo non modò est remissa quantitas præstari solita ante ordinationem Episcopi, sed etiam diuina constitutio missa ad Clerum populúmque Romanum, vt qui imposterũ electus foret in Episcopum vrbis, sine cunctatione vlla ordinaretur. Hæc apud Bibliothecarium reperi, quem inter graues scriptores propter antiquitatis notitiam, & eruditionem, fidémque rerum iure numeres. Nec verò in Pontificio honore diutius viuere Benedicto quàm Leoni dedecessori licuit. Christianũ autem Lectorem moneo, me in hoc & sequẽtibus libris auctores multò inferiores veteribus atque impares citaturum. non enim Tertullianos aut Hieronymos aut Augustinos deinceps auditurus est, sed præ his homunciones veluti quosdam habiturus, quos insecutæ ætates degeneri fœtura protulerunt. nõ enim omnis ætas paria ingenia producere consueuit. Quamobrem.


his vtemur etsi semibarbaris, dummodo illum qui nobis propositus est amorem veri habuisse videantur.



IOANNES V.



IOANNI quinto patria Antiochia fuit: is Constantino quidem imperãte missus ad regiam vrbẽ ab Agathone cũ cęteris legatis, quos in superiori libro nominauimus, celeberrimæ illi synodo aduersus Monothelitarum sectam interfuit, plurimis postea negotiis vsque ad Benedicti decessoris obitum pro ecclesia Romana susceptis: quo mortuo vir strenuus, nam sic eum Anastasius vocat, iuxta priscam consuetudinem à Clero populóque Romano in basilica Seruatoris apud Lateranũ consensu omnium qui adfuere ad summum in vrbe sacerdotium vocatus est, & ex diacono illius ecclesiæ consecratus à tribus Episcopis totidem oppidorum quæ Romæ vicina sunt: vnde Ostiẽsis ille, alter Veliternus, tertius Portuẽsis dicebatur. nec immeritò pręsertim ab Ostiẽsi, quia & Romæ vicinus est, & dignitate maximis Episcopis non cedit. Maximum enim Ostiensem Episcopũ Milciadis tẽporibus & Cõstantini Magni, in synodo apud Lateranum sedisse ex Optato Mileuitano suprà diximus. Cũ verò hic Ioannes strenuè gereret curam Episcopalẽ, & Iustinianus à scisso naso dictus imperaret decesit, anno vno & diebus nouem fœliciter administrata Republica Christiana.




CONON.



Ic Conon ſpecie canitiéque pulchra quàm parum abfuit ab imperio Leonis Iſauri, qui & Conon? Sanè Nicolaus Romanus antiſtes epiſtola ad Michaëlem Cæſarem teſtatur, reuerendæ memoriæ Cononem Papam poſt ſextam ſynodum extitiſſe, virum forma decorũ & canitie venerãdum, in quo præter alias egregias animi dotes admirari poſſes ſciẽtiam rerum ac verborum, iuſtitiam ſingularem, prudentiámque ſine dubio humana maiorem. Anaſtaſius grauis ſcriptor narrat Cononem ſignificaſſe Iuſtiniano ſecũdo acta ſanctæ ſextæ ſynodi eſſe in ſcriniis apoſtolicæ ſedis, eámque à piæ memoriæ Conſtàntino patre habitam, & Romanam eccleſiam impoſterum eam diligentiſſimè conſeruaturam. Huic Iuſtiniano in inſulam relegato Leontius, mox Tiberius Apſimarus, & Philipicus Bardanes, qui contra ſextam reuerẽdam ſynodum ſe armauit, inditóque concilio homo vanus quantũ in ſe fuit abrogauit, poſt hunc Arthemius qui & Anaſtaſius, poſtremò Theodoſius breuiſſimi temporis Imperatores fuere, vt ex Zonara & cæteris Græcis ſcriptoribus diſcere quiuis poteſt. Hic Iuſtinianus ῥινότμητος poſtea ſynodum habuit Conſtantinopoli euocatis ad eam Epiſcopis ducentis viginti ſeptem, vt Balſamon docet veterum ſynodorum Græcus interpres. In cuius ſynodi præfatione piæ memoriæ Imperatoris Conſtantini patris eius mẽ-

tio fit: ſed illam quæ in Trullo habita eſt nemo Romanus Pontifex probare, aut admittere voluit, quòd quædam ibi decreta cõtra pietatem facere viderẽtur. Conon autem in petitione Epiſcopatus Petro & Theodoro etſi viris illuſtribus conſenſu Cleri ac populi Romani antelatus ob laudabilem vitam ſemper ſui ſimilis eſt viſus. Itáque ob eam vnam cauſam, vt cæteras omittam, immortali gloria digniſſimus debet videri. non enim Pontificem fuiſſe, ſed in Epiſcopatu benè atque integrè vixiſſe laudandum eſt.



SERGIVS.




NON qualem Sixtus ſecundus Romæ Epiſcopus Laurentium Diaconũ habuit, ſic Conon Paſchalem Archidiaconum. Nam hic cupiditate ductus Põtificiæ dignitatis obtinendæ, ipſámque ambiens, vbi dominũ morbo oppreſſum videt, ſcribit Ioanni Exarcho Rauennam incolẽti, vt ſibi Epiſcopatum petenti auxiliaretur, promíſitque plura quàm præſtare poſſet. Cæterùm prona totius Cleri, prona populi conſenſio in id fuit, vt illo propter ambitionem cõtempto Epiſcopũ haberent, cui Sergio nomẽ, id enim Anaſtaſius narrat. Luciũ quidẽ Sergium M. Tullij Ciceronis in Sicilia ſcribam fuiſſe legimus actione quinta in Verrem. Sed Sergius hoc loco nomen eſt quale Sergij martyris Chriſtiani fuit. Hic eſt Sergius ille qui ſubſcribere ſynodo quam Iuſtinianus in Trullo

palatij ſui parte recèns habuerat, veluti impiæ ſubſcribere noluit, quemadmodum Paulus tradit hiſtoriæ Longobardorum libro ſexto. A quo etiam didicimus Zachariam Iuſtiniani eiuſdem protoſpatarium Romam miſſum vt Sergium Conſtantinopolim adduceret, ſed militia Rauennæ vicinarúmque regionum eūdem Zachariam onuſtum cōtumeliis & metu perterritum ab vrbe expulit. Hæc prima vis Italicæ gentis pro Pontificibus Romanis aduerſus impotentem Cæſarum dominationem fuit. Ad hunc Pontificem ſalutādum cùm iam biennio præfuiſſet eccleſiæ Ceduala rex occidentalium Saxonum Romam venit, & ſalubri aqua ipſo faciente ablutus eſt anno ab incarnatione domini ſexcenteſimo octuageſimo nono, ac mox in vrbe mortuus. Hæc Beda libro quinto eccleſiaſticæ hiſtoriæ Anglorum refert. Sed pietatem Sergij erga pauperes optimè explicat Iuſtus Epiſcopus Vrgelitanus præfatione ad Cantica his verbis: Domino meo verè piiſſimo & præcipuè Dei gratia copioſo, ſempérque in Chriſto probato, domino Sergio Papæ, Iuſtus Epiſcopus. Sciens te tam ſolerti ſtudio pro refrigeriis pauperum laboraſſe, vt illis tēporalem conſolationem, tibíque adquiſieris æternā mercedem, quódque iam ſatis eſſe diiudicans, totum ad Dei eloquia, ex quibus nunquam fuiſti vacuus, pro animæ cultúra te conuerteris, quoddam tibi incorporalis ſpeciei ſpirituale xenium procuraui. Quod ſi tibi Chriſtus, non ex noſtro merito, ſed tuo munere fecerit eſſe gratum, forſitā proueniet, vt in diebus ieiunij quodammodo refectus ad menſam venias, & antequam cibum cápias, quædam te prægustaſſe præſentias. Conſtitutiones autem quaſdam Sergij Benedictíque & Leonis ſecundi in libro de exordio

& incre-

& incremẽtis rerum ecclesiasticarum à Valafrido exponi moneo: ac constitutiones quidem Pontificum Romanorum explicare non est nostri instituti, vel quia in memoriam non permansere, vtar enim Lactantij verbo, vel quia etsi scriptę sunt, propositã mihi in hoc opere breuitatem impedirent.




IOANNES SEXTVS, IOANNES SEPTIMVS, ET SISINIVS.



DE Ioanne sexto, itémque septimo sanè difficile est dicere, dicã tamen quicquid de ijs narrari posse video. Græcos patria, & genere fuisse historiæ tradũt, & hunc quidem patre prognatum Platone, non illo philosopho, tempora enim repugnant, sed cognomini tamen, nec literarum inscio. ille pontificatum iniit eo ipso tẽpore quo Theophilactus Exarchus in Italiam venit, ac restituta sancti Andreæ Basilica in Vaticano posita, sartóque tecto diui Marci templo, pontificatus sui anno (vt aiunt) nondum tertio decessit, sortitus exitum facilem & qualem semper optauerat. At Ioannes septimus ad sedem Apostolicam peruenit eo anno quo Iustinianus imperio exutus Tiberium & Leontium occidi iussit. Constat sanè Ioannem virum fuisse singulari eloquentia præditum, & qui restitutis in vrbe aliquot sanctorum templis secundo gesti pontificatus anno decesserit, Romæque in Vati-

cano sit conditus. Quid verò de Sisinio eorum successore, & Syro, vt aiunt, homine referam? Nam quod Syrus fuit, id ei cum Petro & compluribus Romanis Episcopis commune est: Cæterùm nisi articulos parum firmos habuisset, vel potius nisi chiragra & podagra laborasset, qui sunt recurrētes & molestissimi corporum morbi, nesciremus profectò vtrùm inter Pontifices Romanos recensendus hic numerandúsque videretur, id enim tantùm de eo ab historicis traditur. Quòd verò ad nomen eius attinet, id in vsu fuit Hieronymi quoque temporibus, à quo Sisinij mentionem factam indico. Cúmque in tres partes orbis distribuatur, Africam, Europā, atque Asiam, memoria certè dignissimum est, ex his tribus partibus Pontifices adhuc fuisse electos: Sisinium tamē vltimum reperiri, qui ex Syria disiunctissima regione ad Apostolicam sedem peruenerit. nam qui sequentur Pontifices propiorem vrbi Romanæ patriam habebunt.




CONSTANTINVS.



IC Episcopus nomen ferens Constantini, patris Iustiniani secundi, ad eum reuersum ab exilio, & fœliciter, vt videbatur, restitutum imperio Constantinopolim iit, susceptúsque est honorificè. rogatus enim venerat, multáque tum priuilegia ecclesiæ dono Cæsaris Romam retulit. Cùm verò incensus esset odio aduersus

Philipicum, & exercitum in illum mittere vellet, ne id faceret à Conſtantino monitus eſt, ſed beneficio Dei erga ſe vteretur, hoſtéſque ſuos cunctatione & clementia vinceret; id conſilium ſapiētis viri non probauit. Itáque à Phi-
" lipico breui extinctus eſt. Hic Bardanes dictus ſextam ſy-
" nodum pro Monothelitis impugnare auſus, Conſtantino
" literas miſit, quæ ab Apoſtolica ſede improbatæ ſunt. Et
" quia ſtatuas quoque & imagines templorum comminui
" Philipicus iuſſerat, decreuit Senatus, populúſqueRomanus
" ne Philipici nummi, néve literæ à quoquam impoſterum
" ſuſciperentur: Pontifex ipſe ſtatuit ne nomē eius in ſacris
" myſteriis peragendis proferretur, ſed breui extincto Phi-
" lipico Anaſtaſius ſucceſſor per Scholaſticum patritium &
" exarcham Italiæ ſcripſit Pontifici, ſe fautorem catholicæ
" fidei, & ſextæ ſynodi religioſiſſimum obſeruatorem eſſe.
Hęc Paulus in Longobardica tradit hiſtoria, cui nos de rebus ſua memoria geſtis plurimum credimus. Hæc autem relegatio Iuſtiniani, frequens mutatio Cæſarum, belláque ciuilia inter eos, & diſſentiones religionis cauſa habitæ, omnem Cæſaribus auctoritatem in Italia ademerunt.



GREGORIVS DIALOGVS.



IGILANTIA & ſanctimonia Gregorij ſecundi ex Epiſcopis Romanis magnos principes tãdem faciet ſucceſſores ſuos: cuius rei principiũ quidem difficile, progreſſus facilior, fœlix fauſtúſque exitus fuit; vt meritò poſſim Virgilianum illud vſurpare,

Tantæ molis erat Romanam condere gentem.

Atque eum verſum ad Pontifices trahere, qui principatũ ſuum aut nulli, aut huic Gregorio debent. Atque is hodie quoque tantus eſt, vt veteris poëtæ vocem illam poſſim meritò proferre: Quid ſatis eſt, ſi Roma parum? multóque certius ac verius nunc vtamur Hieronymi interpretatione ex lib. ſecundo aduerſus Iouinianum, quàm illis temporibus quibus Romam dicebat aut fortitudinis nomen eſſe apud Græcos, aut ſublimitatis apud Hebræos. Igitur Gregorius ſecundus tantæ auctoritatis ac potentiæ primus auctor fuit. cùm enim Leo Iſaurus, qui & Conon, anno Imperij nono imagines quæ in templis collocatæ eſſent euertendas cenſuiſſet, illum ac ſocios conſilij eius participes habita Epiſcoporũ ſynodo anathemate obſtrinxit, & vectigalia ad id tempus præſtari ſolita pendere Italicam gentem prohibuit, miſſa ad eum epiſtola, monens Cæſaris nõ „ eſſe de fide & religione erga Deum ſtatuere, aut vetera ec„ cleſiæ decreta à ſanctis patribus publicata cõuellere. Hæc quidem Gregorius fecit, cùm tamẽ prius ſępe operam dediſſet vt Leonem per literas ab odio Dei reuocaret. Geor-

gius Cedrenus & Zonaras Græci ſcriptores qui ſub Alexio Comneno floruere, quæ hactenus diximus, literis commendata memoriæ mandarunt. Cedrenus quidem vocans Apoſtolicum virum & Petri Apoſtolorum principis aſſeſſorem, eúmque narrat ob diuinas vigilias ſuas dialogi cognomẽ adeptum Ἰπ' αὐτȣ γινόμενα διάλογος ἐκλήθη. Ipſéque Gennadius qui ſucceſſor Archiepiſcopi Conſtantinopolitani fuit, Gregorium hunc ſanctiſſimum vocat, eiúſque commemorationem ſingulis annis in Græcorum eccleſiis fieri ait. Ex Latinis verò ſcriptoribus Valafridus Strabo doctiſſimo in libro quem Regimberti iuſſu à ſe æditũ aſſerit de exordiis & incrementis rerum eccleſiaſticarum. Quæſtio
» de imaginibus, inquit, apud Græcos ſæpe tantas conten-
» tiones excitauit, vt ſub Gregorio Papa iuniore Conſtanti-
» nus Imperator apud Cõſtantinopolim depoſuerit. Amiſ-
» ſæ autem prouinciæ deſiderio anno Imperij decimo ſexto
» magnã claſſem cogit recuperandæ Italiæ ſtudio, ſed ea in
» mari Adriatico propter procellas ac tempeſtatẽ infœliciter
» periit: tum verò Siculis & Calabris colonis tributum ce-
» phaleoticũ impoſuit. Pecuniam quoque patrimoniorum
» Petri quæ quotannis ad talenta tria ſemis pendebatur, in
» ærarium ſuum inferri iuſſit. Hæc quoque Cedrenus de Leone déque Gregorio memorat, & factum ab eo fœdus cum Francorum gente tradit: quo Pontifice Luitprandus Rex Longobardorum donationem patrimonij Alpium Coctiarũ Romanæ eccleſiæ confirmauit, factam ab Hariberto Rege, aureíſque literis exaratam: tametſi nihil ab ijs donatum refert Paulus libro hiſtoriæ ſexto: ſed id patrimonium quod ad apoſtolicam ſedem pertinuerat, reſtitutũ. Itáque veriſſimè dixerit quiſquis vigilantia Gregorij

auctam Romani nominis auctoritatem affirmauerit, fecerítque, vtar enim Virgilij versu,

Romanos rerum dominos gentémque togatam.




GREGORIVS III.



SCELERATVM patrem improbior filius sequutus est Constãtinus Copronymus: hic plurimis Episcopis sibi cõniuentibus, quorũ princeps erat Theodosius Ephesinus, per eos quicquid libuit decreuit, nemine ex vetere Roma vel ex aliis Patriarchis præsente: eámque synodum œcumenicam appellare impius non dubitauit, ídque à Zonara traditum video. Certè enim improbi quique multos habent socios: sed si decretis eorum standum esset, humana negotia pessum irent. Gregorius Dialogus successorem habuit sibi cognominem: si quidem nec doctrina, nec moribus impar, nec prudentia, nec vllo genere virtutis minor illo fuit Gregorius tertius. Scripsit Copronymo sacrarum imaginum causa, vt ab ijs comminuendis desisteret: & ad plerosque alios eiusdem argumẽti literas dedit, in id solum incumbens, vt Græci, Latiníque in rectæ fidei regula continerentur: principalísque eius opera fuit cedere minimis: at in orthodoxa disciplina ne Cæsari quidem. Fœdus cœptũ à decessore suo cum Francis diligenter retinuit. nam aliter non videbat Senatus populúsque Romanus quomodo Longobardos nimium vi-

cinos hostes abigeret à se, & quomodo Copronymi fraudes & versutias vitaret. Ac nolo hic præterire Valafridi antiqui scriptoris insignem de Gregorio locum: Sub Grego-
» rio tertio Romæ synodus facta est contra hæresim Græ-
» corum de imaginibus, in qua firmatum est, vt Sanctorum
» imagines secundum priscum Catholicæ ecclesiæ ritum
» restituerentur. Cæterùm Constantino nequissimus etiam filius Leo paucorum annorum Imperator successit, & in Gallia Pipinus Carolo patri ob insignem de Arabibus & Mauris partam victoriam Gregorio secundo, & orbi terræ notissimo. Extant acta synodi à Gregorio habitæ sub Leone Augusto à Deo coronato magno & pacifico Imperatore, & Constantino eius filio, cuius lectione oblectari pios & orthodoxos viros necesse est. hic quoque more maiorum præfatur, se seruum seruorum Dei. Denique ad huius Gregorij laudem pertinebit quod Valafridus Strabo quem suprà nominauimus, in eodem libello de exordio &
» incrementis rerum ecclesiasticarum narrat. De Gregorio
» tertio, inquit, velut inauditum quiddam & nouum refer-
» tur, quòd omnes psalmos memoriter tenuerit. ac ne quis fortè dubitet de tempore quo Valafridus fuit, is testimonio Hermanni Contracti ante quingentos annos laudabilis historici, intelliget illum obiisse ante annum octingentesimum quinquagesimum, id est ante Pontificatum Benedicti tertij, & Nicolai primi.




ZACHARIAS.



ODERANT Græcos Romani, Zachariam tamen amabant, virum mitiſſimi ingenij: quæ virtus illi ad pontificatum viam aperuit. mortuo enim Gregorio cùm populus Romanus manſuetudinem, pietatem & prudentiam in Epiſcopo deſignando quæreret, nemo magis idoneus quàm Zacharias eſt viſus. Itaque habitis comitiis ſuffragiis vincit cæteros, & ipſe vincitur, ac proſperè quidem omnia geſſit, pacem colens nemine impediente, niſi quòd Aiſtulphus Rex Longobardorum Romanam ditionem ſibi vendicare armis conabatur, ídque Pontifici moleſtum erat: effecit tamẽ quamdiu vixit, ne quid detrimenti Romana reſpublica caperet. Eũ reperio literas dediſſe ad Epiſcopos Fráciæ, ſynodúmque habitam mandato eius à Carlomano duce & principe Francorum anno à natali Chriſti ſeptingenteſimo quadrageſimo ſecundo, ſicut ex actis cõſtat, quæ extant. Hic erat frater Pipini nõdum regis. etenim Adelmus Benedictinę familiæ alumnus ſcribit annales ab anno ſeptingẽteſimo quadrageſimo primo vſque ad octingenteſimũ viceſimũ octauum; cúmque ad ſeptingenteſimum quadrageſimum nonum peruenit annum, tradit Burchardum Epiſcopum & Fulradum preſbyterum ad Zachariam miſſos vt eum conſulerent de cauſa regũ, qui illa ætate nomẽ tantùm regis in regno Fráciæ, cæterùm nullam poteſtatẽ regiam habent. Zacharias

reſcripſit

rescripsit inutiles esse reges, qui otiosi forent: datáque auctoritate sua, inquit Adelmus, iussit Pipinum regem cõstitui, Galliæ enim viro opus erat, Hispania tum ab Arabibus & Afris occupata, qui illá penitus subiecisset ditioni suæ, nisi Carolus Pipini pater cum maximo exercitu eis occurrisset. Itáque recẽs victoria parentis in omnium oculis tũ posita, filium regem fecit potius quàm Zachariæ rescriptũ; nisi quòd proceres religionem sacramenti, datæque fidei se metuere dicebant. fidem enim principi datam nisi iusta de causa violari nõ posse. Denique Zacharias Gregorij primi dialogos in sermonem Græcum, Græcus ipse cõuertit, vt ex illis discerẽt sui bene rectéque viuere. Huic rei fidem faciunt historici plures, & vnus ex iis Sigibertus in libello de viris illustribus.




STEPHANVS II.



ROMANO homine & quidem strenuo opus erat ad restituendam patriæ dignitatem. Hic fuit Stephanus ciuiũ consensu euectus ad summum in vrbe sacerdotiũ. quo in munere qualem se præbuit? ignauum, an vigilantem? ferox animi Aistulphus direptionibus ferro & flamma totam penè Italiam vexabat. Non defuit patriæ qui deesse non debuit. à Græcis enim auxilium petiit. Sed cùm id frustra expectari præsentiret, in Galliã venit, ac tum primùm Romanus Pontifex cis alpes visus est.

Pipinum verò ſedi ſuæ confœderatum atque amicum rogat vt Romanum Epiſcopum reſtituat in ſedē, vt pro Romanorum ſalute Aiſtulphi ferociæ ſe opponat, denique vt adſit Italiæ bello & miſeriis laboranti. Pipinus gratus animi, memórque ſe adiutum à deceſſore Zacharia, & adiuuari poſteros à Stephano poſſe filios ſuos Carolum & Carlomanum Romani Pontificis manu in iuſtos Francorum Reges perungi curauit, ídque teſtatur Ludouicus nepos ad Hilduinum ſcribens, & Stephanum angelicum papam appellans. Quid autem Stephanus Gallicanæ eccleſiæ reliquerit, Valafridus vir doctiſſimus breuiter commemorat
» his quidem verbis. Canendi perfectiorem ſciētiam, quam
» penè iam tota Frācia diligit, Stephanus Papa cùm ad Pipi-
» num patrem Caroli Magni imprimis in Frāciam pro iuſti-
» tia ſancti Petri à Longobardis expetēda veniſſet, per ſuos
» clericos petente eodem Pipino inuexit; indéque vſus eius
» longè latéque conualuit. Pipinus poſtea cum exercitu in-
» greſſus Italiam, Ticini Aiſtulphū obſidet, cogítque obſi-
» des dare: quibus acceptis quòd hyems appeteret, maturè
» in Galliā rediit. Interim Stephanus cum legatis eius Romā
» profectus, exceptúſque eſt incredibili ciuium lætitia. at
» pius Pontifex Regem illum obſequuturum Pipini conſi-
» lio & monitis ſperabat; ſicquè futuram in ſumma pace &
» tranquillitate Italiam ſibi perſuadebat. Cùm minùs audiēs
» eſſet, Pipinus rex maioribus quàm antea copiis illum Tici-
» ni ſe continētem eo redegit, vt nihil recuſaret eorum quę
» hoſti iuſta & æqua viderentur, Rauennámque & Penta-
» polim & omnem exarchatum ſancto Petro tradidit. Hæc
» enim ſunt verba Adelmi optimi & fideliſſimi ſcriptoris. E-
» ginhardus quoque in vita Caroli Magni, Pipinus, inquit,

» Aistulphum paucorum dierum obsidione apud Ticinum » compulit,& obsides dare, & erepta Romæ oppida atque » castella restituere,& vt reddita non repeterentur sacramē- » to fidē dare. Sed qui ista exactius scire volet, legat librum primum historiæ Cassinensis à Leone Ostiensi olim scriptę. ille enim scriptor diligentissimus, nominatim vrbes singulas atque oppida designat. Quid verò attinet plura dicere? Nam memores sumus antiqui operis inscriptionē quæ Rauennæ reperitur, libro secundo Annalium nostrorum contineri. Quæ Pipinum pium amplificandæ ecclesiæ viā aperuisse,& Exarchatum Rauennæ cum amplissimis muneribus Romanæ sedi obtulisse testatur.




PAVLVS.



TAM suaue Romanis Stephani secundi nomē fuit, vt postpositis omnibus fratrem eius Episcopum sibi fecerint, partim ob decessoris memoriam, partim ob virtutes suas, cùm exemplo careret in summo sacerdotio duorū fratrum successio, quæ ne imposterum quidem vnquam visa est. Huic nomen Paulo fuit, primúsque dignissimum Apostoli nomen tulit, qui Neroniana securi percussus est. Et Paulus quidē cùm plurima cuperet atque optaret beneficia conferre in ciues suos,& cleri Romani dignitatem amplificare bonis moribus rectáque vita & scientia rerum optimarum, inter tot desideria absen-

tium rerum quas humano more veluti præsentes intueri videbatur. Obiit Romæ, id est in patria sua Cōstātino Copronymo & Leone filio Imperātibus, anno septingētesimo sexagesimo septimo, vt Adelmus ait: & mortis nuncium ad Pipinum venisse, cùm illo anno exercitum in hyberna dimitteret. Sed omittere non debeo locum illū Hugonis Floriacensis in historia Cæsarū, quam ad Ludouicū Pium perduxit: ad Stephanum enim & successorem eius
» Paulum æquè pertinet. Stephanus, inquit, monasterium
» Romę sub Diui Dionysij vocabulo ædificare cœpit: quod
» morte pręuentus consummare nō potuit. Successor tamē
» eius Paulus illud nobiliter cōsummauit, & quosdam Dei
» seruos natione Græcos illic adunauit, locúmque ipsum ad sanctos martyres in schola Græcorum appellari præcepit.




STEPHANVS III.



Esiderivs in Aistulphi locum à Longobardis suffectus est. hic callidi ingenij vires ad turbandam Romanā ecclesiam cōuertit. Episcopum enim qui noxiæ factioni eius faueret, eligi à ciuibus volebat: at pij ciues nō alium quàm patriæ, & vrbis amantissimum optabāt: parumque abfuit quin seditiones iræque graues inter pios atque impios exortæ fulminis instar, comitia turbarēt At sedata omni dissentione, reuersiquè ad sanitatem animi, omnes incredibili cōsensu Episcopum creant

Stephanum tertium ecclesiasticis regulis ab ineunte ætate instructũ sub Zacharia, Stephano, & Paulo, edoctúmque occurrentium negotiorũ lubricas & difficiles terere vias. Habitæ sunt ab illo aduersus Iconomachos synodi, & de sacerdotum corrigenda vita & moribus quædam etiam decreta: exemplúmque datũ externis hominibus vitæ integræ ab illo peractæ. Nec aliud de vita eius reperi. Sed cur præterirem Adelmi eximij scriptoris locũ illum ad annũ septingẽtesimũ septuagesimum secundum, quo ait Stephano Papa Romæ defuncto Adrianum successisse?




ADRIANVS.



SVNT Romani in possessione deligendi Pontificis. nam duodecim ordine è ciuibus Adriano successisse manifestum est. Hic Theodori clarissimi viri filius ingentes ad Episcopatum spiritus attulit, ne se degenerem ciues existimarẽt, néve Desideri⁹ putaret imparem superioribus Episcopis in Romana sede fuisse collocatum. Irene apud Græcos cum Constantino Leonis filio imperabat. Anno Imperij quinto Patriarcham in vrbe regia deligi iubet. Senatus populúsque Constantinopolitanus Tharasum pronunciat, Adriano fortè maiorem illustrioremque si splẽdorem natalium obiicias. Is ab electoribus synodum cogi postulauit, misitquè ad Adrianum literas, & fidei suæ libellum, qui nũcius vrbi quàm gratissi-

musfuit? Anno itáque octauo synodus trecentorum sexaginta septem patrum cōuenit, vt Balsamō air, déque imaginibus decretum non oportere eas comminui. cui synodo Constantinus minor, matérque eius Irene subscripserunt. Hæc de Tharasio déque Adriano Zonaras & Cedrenus narrāt. Missos verò ad eam synodum Adriani legatos, Petrum Vicedominū ecclesiæ & Petrum Hegumenū, viros honorandos, Lādulphus Sagax meminit, Græcæ vt videtur non ignarus historiæ. Extat eiusdem Tharasij ad hūc de quo loquimur fratrem & comministrum Adrianum Papam veteris Romæ epistola, qua illum grauiter reprehendit, quòd ex ordinatione sacerdotum pecuniam faceret, id nec iure nec ex Dei volūtate fieri, indignéque ab eo Pontificatum geri, magnáque eum laborare infamia. Meminit in ea Gennadij decessoris, qui eiusdem argumēti ad Pontificem Romanum literas dederat. Interim Desiderium res nouas in Italia molientem diu ferre hic Pontifex non potuit: à Carolo qui Magnus postea dictus est defendi rem Romanam petiit, & obtinuit: finísque huius belli fuit subacta Italia. Desiderius perpetuo exilio dānatus, filius eius Adalgaisus Italia pulsus, res à Lōgobardorum Regibus ereptæ Adriano Romanæ ecclesiæ rectori restitutæ.
" verba enim Eginharti hæc ferè sunt. Hoc confecto bello
" Carolus Romam iit, susceptúsque est honorificè, & filios
" Pipinum ac Ludouicum in Reges vngi curauit ipsius A-
" driani manu, Pipinum quidem Longobardię, Ludouicum verò Aquitaniæ prouinciæ: anno septingentesimo octuagesimo primo id factū scies, si Adelmi annales euolueris. Decimo anno post Fœlix Vrgelitan⁹ & Eliphātus genere Hispanus in pessimū errorem incidêre: sed qui statim Ga-

roli studio & Adriani opera extinctus est: scripsitquè aduersus eos Paulinus Aquileiensis Episcopus, in cuius libelli præfatione collectam synodum Episcoporum fuisse dicit iussu Caroli clementissimi & tranquillissimi gloriosissimíque Regis domini terræ. Decessit autẽ Adrianus anno septingentesimo nonagesimo sexto: & Carolus eius obitũ molestissimè tulit, quemadmodum indicant hæc pauca
» Eginhardi verba: Nunciato sibi Adriani Pontificis obitu,
» quem amicum præcipuum habebat, sic fleuit ac si fratrem
» aut charissimum filium amisisset. itáque elogium scripsit
» mortuo, quod Romæ in templo diui Petri visitur. Atque illud memoria dignissimum est, quòd nullus à Petro Romanorum Pontificum diutius in pontificatu fuit. sedit enim vt elogio continetur annis XXIII. mensibus X. diebus XVII. obiitque septimo Kal. Ianu.




LEO III.



FOELIX faustúmque vrbi Leonis nomen fuit. vir enim diuinarum humanarúmque rerum instructissimus, meritóque ad Episcopi dignitatem vocatus effulsit apud successores suos propter magnitudinem rerum gestarum vt stella proferre lucem mane solita. Quis enim eripuit Græcis imperium nisi Leo tertius? quis Occidenti splendorem ac gloriam suam restituit nisi Leo tertius? Ipsum ergo non sine ratione Landulphus Sagax

antiquus ſcriptor hiſtoriæ virum honorificentiſſimum fuiſſe dicit,& per omnia reuerendum.Sed præſtat Ioannis Zonaræ verba,qui Alexij Comneni temporibus vixit, hic aſcribere, ne ſine cauſa Carolum Regem Francorum Romam adduxiſſe,ac nō immeritò corona Imperatoria exor-
» naſſe omnes ſciant. Adriano veteris Romæ Papa mortuo
» Leo ſuffectus eſt,vir reuerendus &honorabilis: Sed Adria,
» ni defuncti neceſſarij populo contra illum concitato ei lę-
» ſerunt oculos, non tamen ademerunt. Nam ij quibus mā-
» data erat excæcatio, pepercerunt homini, eiúſque miſer-
» ti, extrinſecus oculos læſerunt, ſed lumine non priuarunt.
» Qui cùm deinde ſe ad Carolum Francorum Regem con-
» tuliſſet,ab illo ſedi Romanæ reſtitutus, inimicos ſuos vl-
» tus eſt: ab eóque tēpore Roma prorſus Franci potiti ſunt,
» Carolo à Leone coronato &Romanorum Imperatore appellato. Hæc Zonaras, hæc Cedrenus,hæc Manaſſes Conſtantinus, hæc alij Græci Latiníque hiſtorici tradunt. Sed omnium optimè Adelmus & Eginhardus in vita Caroli Magni. Itáque de his nihil amplius dicam,nam cæteræ res Caroli & Leonis notiores ſunt quàm vt noſtro ſtylo egeant. Cōſtantino verò mortuo ſucceſſit illi Nicephorus Cæſar,deinde Michaël Curopalates vir mitiſſimus, ſub cuius imperio, quod memorabile ſit, Nicephorus ſanctiſſimus Patriarcha ſcripſit Leoni Papę Romano,antea quippe id facere à Nicephoro prohibebatur.

STEPHANVS




STEPHANVS IIII.



VAM ſunt diſpares erga genus humanum cæleſtium voluntates? Leo annos vnum & viginti in Pontificatu tranſegit: ſucceſſor eius annum vnum, & aliquid amplius. huic Stephano nomen, quem ex Diacono in locum eius propter eximias virtutes Romani elegerũt. Itáque fructum illarum vberrimum tulit, ſic probatus & dilectus à ciuibus ſuis, vt nemo melius. Carolo Regi Ludouicus filius ſucceſſerat: ad eum coronandum ſecundo menſe Pontificatus ſui Stephanus Græca voce à corona dictus in Galliam venire decreuit, miſſis ab vrbe legatis qui profectionem ſuam ſignificarent. Aduentus eius Ludouico populíſque totius Galliæ gratiſſimus fuit. Remis ſuſceptus à Rege, honorificentiſſiméque habitus, coronam auream capiti eius impoſuit, & Cæſarem pronunciauit. Quis te dicat ſanctiſſime Stephane idcirco in Galliam veniſſe, vt tam illuſtri facto immortalitatem conſequereris? nã magna in magnis facere id verò immortalẽ eſt fieri: & tametſi pontificem eſſe grande eſt, tamen ad ſplendorem & gloriam iuuat magnos reges & piiſſimos coronare, vt feciſti, eo beatior, quòd Romam reuerſus fœliciter in patria es mortuus. Res tuas, ſanctimoniã tuam, profectionẽ in Galliam, accepta & data munera, reuerſionem mortémque celebrant duo optimi & amantes veri ſcriptores, qui nũquam fortè te viderant: Adelmus, cuius iam mentio fa-

ll

cta est in annalibus suis ad annum octingentesimum decimum sextum, & Teganes coëpiscopus Treuirorum in Ludouici vita, cuius nondum æditæ in lucem exemplű tamen habeo.




PASCHALIS.



PLACERE populo difficile est, displicere facile. argumento erit Paschalis, quem cùm Romani solennibus seruatis rite, legitiméque elegissent, mortuum tamen humari noluerunt in basilica Petri Apostoli, neque in tumulo quem ipse viuens fieri curarat, priusquam Eugenius successor in Pontificia dignitate collocatus esset. ita enim subitò fieri mandauit, ídque Teganes solus scribit. At causas odij in illum dicam breuiter, vbi prius dixero quid ille Episcopus iam renunciatus fecerit. Primùm igitur misit legatos ad Ludouicum Cęsarem, per quos significauit sibi non modò nolenti, sed etiam plurimùm renitenti pontificatus honorem velut impositum: deinde pactum quod cum prædecessoribus suis factum erat, etiam secum fieri & sanciri rogauit, impetrauítque à Cæsare confirmationem pacti, vt Leo Marsicanus libro primo Cassinēsis refert historiæ. Ad nuptias verò Lotharij etiam legatos misit, Theodorű primicerium ecclesiæ Romanæ, ac Florum, cum magnis muneribus sponsæ offerendis: id tum primùm à Romanis Pontificibus factum repe-

rio. Lotharius idem anno octingentesimo vicesimo tertio profectus in Italiam rogatu Paschalis Romam iit, & honorificè ab illo susceptus sancto Paschatis die & coronam & Augusti nomẽ accepit. His rebus pręclarè gestis Theodorus & Leo nomenclator gener eius in Patriarchio Lateranensi effossis oculis mox gladio perempti sunt: ea res Pontificis nomen inuisum Romanis atque odiosum reddit, quòd iussu eius vel consilio cæsi, vt Adelmus ait, fuisse dicerentur. Cæterùm Pontifex coram Adalongo Abbate & Hunfrido Rhetorum duce Ludouici legatis adhibito iureiurando purgauit se in frequentia populi Romani, præsentibus triginta quatuor Episcopis & Presbyteris & Diaconibus quinque, vti Teganes commemorat. Quid ergo nihil de religione dicemus? Sanè nihil necesse est. græci enim iconomachi erant ab Italia penitus distracti, & occidentales populi nihil in sacris mysteriis noui moliebantur. atque id obiter notare placet Primicerij & Nomenclatoris Romanæ ecclesiæ dignitates laicis tributas, cùm Leonem ex Adelmo dixerimus Theodori generum fuisse: gener enim sine socero non fuit. Sergius quoque tum Bibliothecarius erat, quod munus non exiguum temporibus illis habebatur.



EVGENIVS II.



OFFICIVM atque ministerium Episcoporum publicam habet causam. publicè enim interest narrare quo anno Paschalis obierit, & quo Eugenius merito suo peruenerit ad summi in vrbe sacerdotij dignitatem: Anno octingentesimo vicesimo quarto Paschalem vita functum, Adelmus & alij eius temporis historici tradunt. Cùm verò duo per contentionem insanientis populi fuissent electi, Eugenius nomine ipso nobilis, & tunc presbyter tituli sanctæ Sabinæ, quam Episcopus postea refecit, vincente nobilium parte Paschali suffectus atque ordinatus est. Cuius rei nuntium Quirinus subdiaconus ad Imperatorem tulit. Ludouicus re cognita, quòd publicè interesset, Lotharium Imperij socium Romam pergere iussit: vt quæ rerum necessitas expetere videbatur, ea cum nouo Pontifice Senatus populúsque Romanus statui videret. Romam venienti maximus honor est habitus, statúmque populi Romani in meliorem qua esset formam Eugenij rogatu & precibus Lotharius redegit: ac misit Eugenius post discessum eius ad Cæsarem legatos, qui ei velut optimo & clementissimo Imperatori nomine publico gratias agerent, Leonem Centumcellensem Episcopum, & Theophilactum Nomenclatorem.


VALENTINVS.



D Valentinum prudentem & egregium virum nostra descendat oratio. ordo enim exigit vt Paschalem sequatur: & in eo quidem pietas, clementia, liberalitas elucebãt: quæ se terris tantum ostẽderunt, vt Virgilianum illud vsurpare merito debeam:

Hunc tantùm terris ostendent fata, nec vltrà,
Esse sinent.

Itaque solus è veteribus Adelmus electionem eius mortémque breuissimè cõplectitur; vt qui eum legerit, omnia de illo se reperisse arbitretur. Nec genus eius nec parentes curiosè inquirimus, quod nec in superioribus quidem fecimus, nec facturi sumus. notiores enim sunt Romani Põtifices parentibus suis. Ad annum autem octingẽtesimum » vicesimum septimum progressus ille historicus, Eugenius, » inquit, Papa mense Augusto decessit, in cuius locum Valẽ» tinus diaconus à Romanis electus & ordinatus vix men» sem in Pontificatu compleuit, nec electum Cæsari graue » fuit. At pacta cum Senatu populóque Romano pridemi nita violari quæstus est, vt in electione Gregorij statim dicemus. Denique & Valentini cognominis sectã, & cæteras omnes hæreses vti noxias ecclesiæ Dei, omnibus ornamentis præditus Pontifex oderat.




GREGORIVS IIII.



DEFVNCTO Valentino, Gregorius presbyter sancti Marci electus, sed non prius ordinatus est quàm legati Cæsaris Romam proficiscerentur, & electionem populi Romani discuterent. Id factum ne ciues morem maiorum cõtemnere discerent, vtque non quẽuis eligere licere sibi arbitrarentur (populus enim etiam in eligendo Pontifice impetu magis quàm ratione ducitur) sed innocentissimum, & nulli accusationi obnoxium, si præstantiorem nollent. Itáque Gregorius vbi rite legitiméque electum eum constitit, Legatos ad Cæsarem mittit, Quirinum primicerium ac Theophilactum nomenclatorem, qui Reipubl. nomine maximas Cæsari gratias agerent, quòd iudicium populi Romani in deligendo Gregorio probare dignatus esset. In summa pace tunc viuebat Ludouicus Regum piissimus, sed Lotharij filij cõiuratione bellum in parentem exortum, atque ingens rerum perturbatio sequuta est capto genitore & in custodiam conuicto. Is conatus perfidi filij in pium parentem nefarius fuit, neque eũ diu superi tulere. Ac mihi liceat, iure enim licet, Gregorium accusare participem cõiurationis huius.
„ sic enim Vitaldus de eo loquitur, qui Francorum Reges
„ sanguinis iure cõtingebat, Gregorium, inquit, Romanæ
„ summæ sedis Pontificem proceres, vt sua auctoritate libe-
„ rius quod cupiebãt perficere possent, sub eadẽ specie ma-

» gnis precibus in supplementum suæ voluntatis assumunt.
» Quamobrem Imperator cum omni quod habebat imperio, tres Reges, filijque eius aduersus eum cũ ingenti exercitu, insuper Papa Gregorius cum omni comitatu Romano, iuxtáque montem Sigiualdi castra ponunt, ac variis afflictionibus populum, vt à patre deficeret, filij compellũt: nouissimè quibusdam fuga lapsis cum perpaucis pater capitur, vxor ab eo dempta in Longobardiam exilio mittitur, ac Carolus vna cum patre magna custodia seruatur. Gregorius siquidem Papa itineris pœnitudine correptus, tardius quàm vellet Romam reuertitur. Itáque probabile est Gregorium non ausum ab Ludouico stare, veritum ne procurante Lothario, qui Italię imperabat, dignitate exueretur, quòd ille iuuenis, hic senex esset. plures enim oriẽtẽ solem adorant quàm occidentem. Hincmarus Remorũ in Gallia doctissimus illius ætatis Theologus, idémque Episcopus, iis literis quas ad Adrianum secundum scribit, Gregorij huius factum exponit, reditúmque in vrbem nescio cuius infamiæ plenum.




SERGIVS II.



DVM hæc in Gallica Italiáque geruntur, Arabes imperium ex Mahometis disciplina ingens faciunt, Siciliámq; horreũ populi Romani, & vicinas insulas populantur: imò verò audent Sergio secundo Pontifice, excursiones facere Romam vsque. Quid saluũ est, si Roma perit? vti antiquus vates olim canebat, Ecclesiam apostolorũ Petri & Pauli omnino

deprædati sunt, multísque abductis ciuibus, multis cæsis, multis vulneratis, per Appiam viam Fundos cõtenderunt. qua vrbe incẽdio deformata, incolísque vel cæsis gladio, vel in turpissimam seruitutem subiectis, iuxta Minturnas in paludibus Marij consederunt: visuntúrque hodie vestigia ædificiorum quæ illi condidere. Hanc calamitatẽ Roma sub Sergio passa est, quantum apud Leonem Marsicanum legi diligentissimum historiæ scriptorem. Viro pio magnus ex tanto metu dolor accessit, quando Romam subita illa Arabum excursione, qui Saraceni vulgò appellabantur, direptam vidit. Nec diu post eam calamitatem vixit. anno enim tertio Põtificatus sui decessisse dicitur, Ludouico Lotharij filio in Italia regnante. Sed ille impius Mahometes quàm vanas quámque ineptas sectatoribus suis sententias reliquerit, Euthicius ex scriptis Euodij planum facit.



LEO IIII.




QVi Leonem & Benedictum nesciunt fuisse ante Nicolaũ illustrem Episcopum vrbis, à Nicolao ista scribi reperient ad Michaëlẽ Græcum Cæsarem, qui ante Basilium Macedonem cum Theodora matre Imperium tenuit. quando verò, inquit, Catholici fuerunt (Imperatores) & pium dogma, vel ecclesiasticam correctionem defẽdere voluerunt, nostrum præsidium quæsierũt: sicut synodus sub Constantino, & Irene facta indicat: in cuius initio, id

» tio, id est in epistola, beatæ memoriæ præsulis Adriani,
» quantum idem Pontifex illam præsumptionem qua ex
» laicis quidam subitò tonsurantur, & in Episcoporum nu-
» merum exaceruatè prosiliunt, damnauerit, si diligenter
» inquisieritis, profectò inuenietis, si tamen non falsam
» Græcorum more, sed sicut à sede missa est Apostolica pe-
» nes ecclesiam Cõstantinopolitanam hactenus perseuerat,
» & epistolæ diuersæ sanctiss. Pontificibus Leoni scilicet &
» Benedicto decessoribus nostris missæ testantur. Igitur Leo & successor eius Benedictus Nicolaum proximè antecesserunt: non enim sequar errorem eorum qui inter hos clari nominis Pontifices meretriculam ponunt, veluti participem pontificiæ dignitatis. Quod si contigisset, errore eligentium id factum esset, non dolo malo. quis enim putet populum Romanum in Christiana religione educatum
„ scienter in ea peccare voluisse? At Leo cùm plenis eius po-
„ puli comitijs electus esset ad Episcopatum obeundum, ni-
„ hil prætermisit quod ad restituendas basilicas & templa
„ vrbis ab Arabibus Mahometicæ sectæ nuper deformata
„ pertinere arbitrabatur: immò ne imposterum vlla excursio
„ eorum formidabilis foret successoribus suis, Vaticanum,
„ in quo situm est diui Apostoli templũ, mœnibus cinxit,
„ eámque partem vrbis Leoninam de nomine suo appella-
„ uit. Hæc Leo historicus libro primo refert. Victorianus autem annalis à doctissimo homine scriptus, cuius nomen vtinam reperire potuissem, eum qui Leonem ordine secutus est Benedictum tertium appellat his quidem verbis: Post Leonem quartum Benedictus tertius sedit. Sed de Benedicto dicam, vbi epistolam ad eum missam inseruero à Lupo Abbate loci Bethleem seu Ferrariæ in diœcesi Se-

» nonum, qui legatus Romæ apud Leonem fuerat. Domino
» præcellentissimo, & omnibus Christianis vnicè singulari-
» térque venerando, vniuersali Papæ Benedicto, vltimus
» Abbatum Lupus, ex monasterio Galliæ quod dicitur Be-
» thleem siue Ferrariç, præsentem prosperitatem & futuram
» beatitudinē. Tempore decessoris vestri beatæ memoriæ
» Leonis sum functus legatione Romç, cui auctore Deo prę-
» sidetis, & ab eodem Antistite exceptus benignéque tracta-
» tus, postquam vos nō esse inferiores religione fama decla-
» rauit, nec tantùm potestatis beatissimi Petri participes, ve-
» rùm etiam humilitatis, vt vera morum vestrorum expen-
» sio certa ratione perdocuit, ausus sum ego tantillus cogni-
» tioni vestræ sublimitatis me scriptis ingerere, meámque
» exiguitatem & fratrum meorum monachorum vnanimi-
» tatem eximietati vestræ committere, vt in vestris sanctis
» orationibus mereamur à Deo & in præsenti vita consola-
» tionem, & in futura communionem salutis fœliciter con-
» sequi. Fratres præterea & compresbyteros nostros Aldul-
» fum & Acaricum, qui spontaneam peregrinationem pro
» nomine domini susceperunt; & quāquam laboriosissimè
» ad memoriam beatissimorum apostolorum cęterorúm-
» que sanctorum tandem aliquādo peruenerunt, specialiter
» vestræ mansuetudini commendamus, vt eos pietate com-
» petenti fouere dignemini, & consuetudinibus ecclesiasti-
» cis, quæ variæ in diuersis locis tenentur, diligenter instrue-
» re: vt per eos ad nos & ad cæteros quosque talia piè quęrē-
» tes institutio Romana perueniat. Siquidē in quibuscun-
» que ad religionem & honestatem pertinentibus ambi-
» guitatem creat varietas: & vt optima quæque eniteant, il-
» luc sollicita inuestigatione credimus recurrendum, vnde

» vbique fidei manauit exordium. Cæterùm quia parentes
» theſauriſare debent filiis, vt doctor gentium manifeſtat,
» nóſque vobis obſequentiſſimi filij eſſe cupimus, Commẽ-
» tarios beati Hieronymi ad Hieremiá poſt ſextum librum
» vſque in finem prædicti Prophetæ per eoſdem fratres no-
» bis mitti depoſcimus in codice reuerendæ veritatis veſtræ
» ſanctitati, ſi id obtinuerimus, poſtquã celeriter exſcriptus
» fuerit, ſine dubio remittendo. Nam in noſtris regionibus
» nuſquam vllus poſt ſextum commentarium potuit inue-
» niri: & optamus à vobis recuperare quicquid paruitati no-
» ſtræ deeſſe ſentimus. Petimus etiam Tullium de Oratore,
» & duodecim lib. Inſtitutionum oratoriarum Quintiliani,
» qui vno nec ingenti volumine continentur. quorũ vtriuſ-
» que auctorũ partes habemus, verùm plenitudinẽ per vos
» deſideramus obtinere, pari intentione Donati commen-
» tum in Terentiũ flagitamus. Quæ auctorum opera ſi ve-
» ſtra liberalitas nobis largita fuerit, Deo annuẽte cum me-
» morato ſancti Hieronymi codice fideliter omnino reſti-
» tuenda curabimus. Sanctitatem veſtram ad totius eccleſiæ
» vtilitatem diuina clementia diuturnis temporibus conſer-
» uare dignetur. Ex cuius epiſtolæ verbis colligimus Lupũ
cùm Romæ eſſet, in chartario ſcrinióve apoſtolico, quam
nunc Bibliothecam appellant, vidiſſe libros illos qui ordi-
ne ſuprà recenſiti ſunt. Antequam autem Romam ad Leo-
nem proficiſceretur, dedit epiſtolá ad Marcuuadum Ab-
» batem Prumiẽſem in hanc ſententiam. Chariſſimo ac de-
» ſideratiſſimo patri Marcuuado Lupus plurimam ſalutem.
» Orationis gratia, & quarumdam eccleſiaſticarum ſtudio
» cauſarum, quas Deo volente reuerſus cùm vos videro, pa-
» ternitati veſtræ aperiam, Romam proficiſcor: & quoniam

„ in efficiendis rebus apostolici notitia indigebo, ea verò si-
„ ne munerum intercessione iniri commodè non potest, ve-
„ lut ad paternum, imò ad maternum gremium ad vos con-
„ fugio, supplicans vt sicut nũquam mihi in vlla necessitate
„ defuistis, ita nũc adesse dignemini, mihíque si vllo modo
„ potestis per præsentes nuncios duo saga veneti coloris, &
„ totidem lintea quę Germanicè Glysa vocantur, dirigatis,
„ quæ illi cõperi esse charissima. horum si fuerit vobis inte-
„ gritas ardua, ne quicquam videbitur nobis ipsa medietas
„ contemnenda. namque sęculari eruditione docti sumus,
„ vt sperãtes minora, maiora poscamus. Ac ingenio nostro
„ latiorem defuisse materiam suspicemini, si equo tolutario
„ vel quolibet alio fortissimo nostrum iter subleuaueritis,
„ plurimum nobis collatum esse ducemus. Ex quibus episto-
lis colligo inter Leonem & Benedictum qui mox seque-
tur, collocari non debere Laidem illam quæ numquam
fuit. Sed quia vitia historiarum à maioribus cõtracta per-
durant, si vis eam fuisse de flagitiosa eiusmodi fœmina di-
cam quod Diocletianus & Maximianus de ęquè scelerata
ac nefaria pręfantur, fœdissimę mulieris nequitia permo-
uemur. Fœdissimam appello, quia Pontificatus in quem si
id verum est, callidè irrepsit, virile est officium, & vltra se-
xum muliebrem esse constat. Nam vt ait Tertullianus in
libello de virginibus velandis, non permittitur mulieri in
ecclesia loqui, sed nec docere, nec tingere, nec offerre, nec
vllius virilis muneris, ne dum sacerdotalis officij, sortem
sibi vendicare.



BENEDICTVS III.

EDIAM inter Leonem & Benedictū ſanctiſſimos viros meretriculam vulgò collocant: quam eſſe potuiſſe non eſt ex genere eorum quæ fieri nullo modo potuerint. ſatis enim in fœmineo ſexu etſi infirmo atque imbelli, ad res magnas obeundas audaciæ eſt. Sed omnino fœminam illam non fuiſſe in rerum natura oſtẽdam, etſi fuiſſe eam vulgus putat, & ignobiles aliquot ſcriptores tradunt, quamquam falſò: ſed ſic eſt, vulgus ex veritate pauca, ex opinione multa æſtimat, ſcriptores verò illi quàm errarint, facilè intelligetur ex iis quæ iam dixi, quæque mox dicam. Benedicto enim ſucceſſit Nicolaus, quẽ Michaël Græcus Cæſar ob cauſam Photij planè oderat. nihil igitur ei fuiſſet efficacius ad contundendã Nicolai facundiam, quàm impudentis illius meretriculæ, ſi modò fuiſſet, obiicere põtificibus Romanis, quod ab illo minimè factum eſt, non ignaro tam recentis facti, neque omiſſuro tantum eccleſię Romanæ opprobrium, ſi verum id fuiſſet. Cui Nicolaus nihilominus reſpondiſſet, grauis & diſertus Pontifex, cuius hæc ſunt verba epiſtola ad Mi-
„ chaëlem: Deceſſores mei beatæ memoriæ Leo & Bene-
„ dictus: deceſſores noſtri Leo & Benedictus beatæ recorda-
„ tionis Pontifices: ſanctiſſ. Pontificibus ſcilicet Leoni &
„ Benedicto deceſſoribus noſtris. Ex quibns verbis Leonem & Benedictum Põtifices proximè anteceſſiſſe Nicolaum


manifestum est. at meretriculam Anglam fuisse dicũt: sed hoc nullæ illius gentis atque illius temporis historiæ loquuntur, non obruturæ silentio tantum támque horrendum crimen, ac tam raram insanientis fœminæ audaciam. & tamen natio illa & sciendi & maximè rerum suarum auida est, nec à Beda optimo scriptore sine historicis vmquã fuit. Accedit Leonis fidelissimi historici testimoniũ, qui Nicolai & Adriani successorem libro primo historiæ fuisse dicit Ioãnem octauum, qui octauus certè non fuit, si Thais fuit. Illa enim septimum tantùm locum teneret. qui tamen locus tribuitur Ioanni natione Græco, qui ante Constantinum Pontificem fuit, id est multò ante Benedictum & Nicolaum, qui decimus sextus ab illo Episcopus vrbis dicitur. O cæcam posterorum ignorantiam, qui cùm Martinum Polonũ, qui Nicolao tertio Episcopo Romano vixit, in hoc facto titubãtem, & verba hæc, vt asseritur, dubitantis in morem duntaxat proferẽtem, cùm legissent, crediderunt: hoc quid est aliud quàm falsum pro vero, pro igni fumum, pro luce tenebras sumere? quæ à parum idoneis auctoribus scribuntur, ea pro nullis haberi æquissimum est. Quare Martino huic rei minùs quàm verisimilis inuentori nulla fides habenda. Et Pontifices quidem meretricem illam in Episcoporum numero collocatam, & inter antecessores suos positam vident: & tamen ferunt antiquissimum illud sedis suæ opprobriũ? Atque vtinam Gregorius decimustertius hãc historiam legere potuisset. credo enim illum virum, qui summa pietate in Deum fuit, tantum dedecus passurum non fuisse? Accedit hæc quoque ratio: si mulier virum mentita vrbem, immò orbem decepit, supplicio digna fuit. Fœminæ enim remotæ sunt

ab officio Pontificis, cùm ea opera virilis sit, & vltra sexum fœmineæ infirmitatis. Nec apud Christianos modò remotę sunt, sed etiam apud alias gentes. Ideóque Auerroes cõmentariis ad libros Platonis de Repub. ait leges nõnullas prohibuisse mulierum genus ad sacerdotium, præsertim Pontificiam dignitatem promoueri. Quis autem de eius supplicio historicus loquitur? & tamen Romam aut parũ iustitiæ amantem, aut fatuam, aut lenocinij consciam dicamus necesse est, si meretriculam illam partu solutã non addixit pœnę, non vltimo supplicio affecit etiam mortuã. Anastasius Romanæ ecclesiæ bibliothecarius, qui vitas Romanorum Pontificum vsque ad Benedicti tertij successorem Nicolaum scripsit, viuebat, & creationibus Sergij secundi, Leonis quarti, Benedicti tertij, Nicolai primi, Hadriani secũdi, & Ioannis octaui, vt ipse refert interfuit. Is non solùm nullam biennalis Pontificatus, Ioannis fœminæ mentionem facit, verùm etiam Romanam sedem post Leonis quarti obitum dies tãtùm quindecim vacasse scribit; subiicítque Leoni mortuo non Ioannem aliquem, sed Benedictum ipsum tertium statim suffectum. Cuius
» verba hæc sunt: Sanctissimus Leo Papa quartus obdormi-
» uit in domino decimo sexto Kalend. Augusti, sepultus ad
» sanctum Petrum, & cessauit episcopatus dies quindecim.
» Quo mortuo mox omnis Clerus Romanæ sedis, vniuersi
» proceres, cunctúsque populus, ac Senatus cõgregati sunt,
» domini clementiam exorantes, vt beatificum illis in om-
» nibus demonstrare dignaretur pastorem, qui Apostolatus
» culmen regere valuisset tranquillè. Qui diuinitus, æthereó-
» que lumine inflammati, vno consensu, vno conamine Be-
» nedictum pro tantis quibus pollebat sacris operibus, Põ-

„ tificem promulgauerũt: erigere verò vniuersa & alacri studio plebs & populi cœtus ad Calisti titulum properantes, eum cum hymnis & canticis spiritualibus ad Patriarchiũ Lateranense perduxerunt, & vt moris est, in pontificali solio collocarunt. Hæc Anastasius nullius fœminæ mentionem faciens. Sed omissa hac fabula veniamus ad verum, id est ad ea quæ Benedictus ipse gessit, & quorum testem habemus Nicolaum ipsum in synodo Romana, cuius verba „ sunt: Gregorium sanè, inquit, qui Syracusanæ ecclesiæ irregulariter, atque Deo contempto præest, quòd & ipse ex parte schismaticorum sit, & postquam à synodo episcopatus officio priuatus & à decessore meo sanctæ memoriæ Papa Benedicto obligatus est, & Photium laicum subitò consecrare in Episcopum non formidauit, & de sacro ministerio ausus est multa contingere: iuxta pręcedentẽ cõsuetudinem sancimus, & iuxta canonicam deliberationem apostolica auctoritate diffinimus, atque statuimus omni sacerdotali carere, atque priuatum fore ministerio: ita vt nullo modo liceat ei in qualibet synodo restitutionis spẽ, aut locum habere satisfactionis. Quòd si de reliquo præsumpserit in sacro officio more sacerdotis quouis tẽpore ministrare, anathema sit, & omnes communicantes ei ab ecclesia abiiciantur. Sed & ipsi anathema sint. Tantorum itáque virorũ grauissimis adductis testimoniis fœminam à Pontificatu siue puram siue impuram iam planè reiecimus: ex qua fabula, vt error errorem trahit, profectum est quod sub Pio secundo Pontifice maximo, qui Romanum Episcopium regere cœpit mẽse Septembri millesimo quadringentesimo quinquagesimo septimo, Calcõdilas exul Græcus nostrarúmque rerum imperitus, & communem

errorem

errorem ſequens lib. ſexto hiſtoriç narrat; Pontificem, inquit, renunciatum ſedere iubent in ſede foramen habenti, vt teſtes ex ea propendentes aliquis, cui hoc muneris iniunctum eſt, tangat, vt appareat Pontificem virum eſſe. Nam conſtat mulierem quondam in Pōtificatum eſſe ſubiectam: quia ſexus ignorabatur, quia Italici, & Occidētales penè omnes barbas radunt. Cùm autem illa mulier grauida eſſet facta, & ad feſtum, ſiue ſacrificium prodiiſſet, peperit infantem inter ſacrificium in conſpectu vniuerſi populi. Quapropter ne decipiantur iterum, ſed rem cognoſcant, neque ambigant, Pontificis creati virilia tangunt: & is qui tangit, acclamat: Mas nobis dominus eſt. Id dum Calchondilas ſcribit fabulámque texit è fabula, vel imperitos hiſtoricos, vel communem mortalium errorem ſequitur: illi autē à teſtimonio repellēdi ſunt, vt minus idonei teſtes. Nam quicquid ſcribant, ſiue mentiātur, ſiue populis imponant, perinde eſt, dummodo ad optatum propoſitúmque ſibi exitum perueniant.



NICOLAVS.



ABVLÆ vt videmus non ſunt breuiſſimi pedes. Nam adhuc in ſermonibus hominum verſatur illius meretriculæ audacia, quæ velut ſimia, non vt Apoſtolicus ſucceſſor ſediſſe fingitur: quæ ſi re vera extitiſſet, refertas illo facto Grçcorum hiſtorias certè videremus. Sed refutatio noſtra nimis longa eſt. Itáque ad Nicolaum inſignem vrbis Epiſcopum venire oportet, vbi dixerimus nihil commune fuiſſe pontificibus Romanis cum Græca


» gente quamdiu post Constantinum & Irenem Nice-
» phorus, Michael Curopalates, Leo Armenius, Michael
» Balbus & Theophilus imperium tenuere. At sub Michaele
» & Theodora matre, apud quos summa rerũ fuit, vita fun-
» cto Methodio, qui quatuor annis Cõstantinopolitanam
» ecclesiam rexerat, Ignatius Nicephori Cæsaris ex filia ne-
» pos, & Michaelis regno pulsi filius, quem tyranni sectum
» monachum esse iusserant, Patriarchatum adeptus est. Hic
» Bardæ patricij propter insontis vxoris repudium & cum
» cognata sibi desponsa consuetudinem, ecclesiam interdi-
» xit. qui postquam multum supplicauit Bardas vt eum sibi
» placaret, veniam impetrare non potuit. re omnino despe-
» rata ad iniuriã & vltionem animum adiecit. erat hic acce-
» ptissimus Michaeli: illo cõniuente Bardas Photium virum
» sapientia clarum, cùm primus à secretis tunc esset, Pa-
» triarcham deligit, & vbi adfuere (Nicolai) Papæ legati
» contra Iconomachos missi, eisdem persuadet vt suæ volũ-
» tati consentiant. Qua re in sanctorum Apostolorum tem-
» plo coacto concilio, publico interdicto cõdemnant Igna-
» tium. Hactenus Ioãnes præfectus vigilũ in vita Michae-
lis narrauit. Quæ autem legatorum sint nomina, vetustior
eo Nicolaus ipse explicat primis ad Michaelem literis: De-
» stinauimus, ait, reuerendissimos & sanctissimos Episcopos,
» Rhadoaldum videlicet sanctæ Portuensis ecclesiæ atque
» Zachariam Anagninæ sanctæ ecclesiæ. Qualis verò fuerit
» Ignatius docet epistola ad Michaelem secunda: Ignatius
» non tantùm genere claruit, verùm etiam à primæuo suæ ę-
» tatis per singulos ecclesiasticos gradus ascendere ex mona-
» stica vita omni ecclesiastico cœtu consentiente, sicut in a-
» picibus quos sãctissimo Leoni præsuli prędecessori nostro

» destinaueratis comperimus, episcopatus culmen promeruit. Causas autem cur illum expulerint, attingit epistola ad omnes veræ religionis ministros, & vniuersos fidei cultores per Asiam & Libyam constitutos: Igitur, inquit, postquam inuidiæ facibus accensi, & superbiæ fastu arroganter elati, more Iudæorum, contra pastorem proprium insurrexerunt, & Patriarcham suum (comministrum videlicet nostrum Ignatium sanctissimũ præfatæ vrbis Antistitem) ab ecclesia ipsa, cui iure pręsidebat, & tyrannicè proiecerunt: Photium quendam ex foro ac sæculari militia, & habitu, atque à palatinis ædibus eductum, ac subitò consecratum, eidem contra sacros canones ecclesiæ prefecerunt. Tunc cœpit scandalum, & schisma in iam dicta vrbe, & in adiacentibus sibi ciuitatibus, non modicum oboriri, aliis quidem Photij promotionem defendentibus, aliis autem hanc tanquam in conuicto, & superstite Ignatio factam meritò detestantibus. Tunc inito concilio Imperator Michaël, qui & ipsi Bardæ patricij versutiis suasus Photij parti fauebat, ad Apostolatum nostrum legatis cum epistolis destinatis, accusationes quasdam aduersus Ignatium deferentibus, petiit vt à sede apostolica missos daremus, qui scandala illa sedarent & schismata dissiparent. At legati Nicolai cum mandati fines excessissent consensissentq; deiectioni Ignatij, & hoc Romæ rescitũ esset, nec iussimus, inquit, nec consensimus nec ratam, huiusmodi ordinationem habuimus Photij, nec Ignatij depositionem reputamus: sed nec Photiũ in Episcopali ordine annumeramus nec annumerabimus. Ipsos verò Episcopos qui legati fuerant, habita synodo exauctorauit. Radoaldus & Zacharias Episcopi, inquit, quos vt præmisi-

» mus Constantinopolim miseramus confessione propria
» vel synodali examine conuicti erant aut patenter osten-
» si, quòd ipsi deposuissent Ignatium, vel communicassent
adultero Photio. Hæc epistola ad Clerum Constantinopolitanum de legatis narrantur. Michaël autem in hac de-
» pulsione Ignatij se minùs impotentem ostendit, & inimi-
» cum Latinæ linguę, cùm Romanorum se Imperatorem di-
» ceret, In tantam, inquit, furoris abundantiā prorupistis vt
» linguę Latinæ iniuriā irrogaretis, hāc in epistola vocē bar-
» barā & Scythicā appellātes. Ridiculū est vos appellare Ro-
» manorum Imperatorē, & tamen linguā nō nosse Romanā.
» Et epistola tertia ad eundem: Pręterea non omittendum
» esse credimus nos commemorare pręterito anno per indi-
» ctionem tertiam decimam, epistolam sub nomine vestro
» conscriptam per Michaëlem protospatariū suscepisse, quę
» tantis erat verbis cōtumeliosis, immò blasphemiis disper-
» sa, vt scriptor eius nō nisi in gutture colubri, calamum tin-
» xisse putetur, & dictatoris labia pro dictionibus venena
» fudisse videātur. Porrò quæ fuerint in vrbe tēpla pręcipua
declarat in narratione depositionis Zachariæ & Radoal-
» di his verbis: Tunc conuocato multarum prouinciarū san-
» ctissimorum Episcoporum cœtu, & collecta sancta syno-
» do in ecclesia Dei, vbi beatus Petrus Apostolorum prin-
» ceps corpore floruit, & virtutib⁹ emicuit: Deinde propter
» frigidiorem locum in ecclesia Saluatoris, quæ ab auctore
» vocantur Constantiniana, & quæ prima in toto terrarum
» orbe constructa est. Mos verò Romanæ ecclesiæ Nicolai
» tēporibus hic fuit: Hodie, inquit, in ecclesia Romana quæ
» magistra est omnium ecclesiarum, consuetudo hic imprę-
» termissè seruatur, ita vt null⁹ sacerdos maiore suo nō innu-

» ente consacerdote cuilibet rei benedicere nitatur: sed &
» anterior stans ad pronunciandam aliquam lectionem be-
» nedictionem quidem postulat, sed & quilibet inferior nō
» audet penitus benedicere. De patrimonio verò ecclesię suę
» loquitur epistola prima ad hūc modum: Pręterea Calabri-
» tanum patrimonium & Siculum quoque nostræ ecclesiæ
» concessa fuere, & ea possidenda obtinuit, & disponendo
» per suos familiares regere studuit, concessionibus reddan-
» tur: quoniam irrationabile est vt ecclesiastica possessio, vn-
» de luminaria & concinnationes ecclesiæ Dei fieri debent,
» terrena quauis potestate subtrahantur, sed domui Dei re-
stituta meritum redemptionis multiplicent. Ac fuit quidē
hic Romanus Pōtifex valetudinarius, vti ex eius verbis in-
» telligere possumus: Et quia, inquit, legatus vester tanta est
» impatientia vsus, vt antequam nos ex validissima infirmi-
» tate respirare aliquantulū cognouisset, nullam moram paſ-
» sus mox nobis inconsultis discesserit, ob nihil aliud nisi
» quòd iam tempus hyemis imminebat & periculum sui,
» apud quem vix obtinere potuimus vt saltē dum hæc scri-
» berētur, quoniam ab vrbe remotus nullo modo voluit in
» Ostia, positus expectaret. Denique quàm parui faceret Mi-
» chaëlis minas, hic locus ostendit: Interminationibus cré-
» bris, inquit, deterrere me & minitari videmini, tanquam
» sitis patriæ & vrbi nostræ vltimum exterminium illaturi:
» quæ nos Christo propicio atque custode sicut hactenus
non timuimus, nec modò timemus. Apud Leonem nonū
facūdissimum pontificem, in epistola ad Michaëlem Con-
stantinopolitanum reperi insignem locum, quem pręteri-
re nec possum nec debeo, ad Nicolai enim gloriam lau-
» démq; pertinet: Recordamini, inquit, illius nefādæ synodi,

» nunc vos egisse plurimorum relatu didicimus, maximè cũ
» deiiciendus apostolicam sedem iuxta licentiam canonicè
» sibi cõcessã appellasse perhibetur, pro quo fili charissime
» valde gloriam vestram exposcimus, vt præfatum virum in
» suo Episcopio & omni pristino reddi faciatis honori: & ita
» demum ad apostolicam sedem, quam illum constat appel-
» lasse, securitatẽ pro nostro amore properãdi dare dignemi-
» ni: hoc specie tenus cognoscẽtes, quoniam tũc credemus
» vos nostrum apostolatum diligere, sicut sæpe profiteri vi-
» demini, si dominum & Deum nostrum timere pariter &
» amare vos euidenter cognouerimus, nec non & priuilegia
» sanctæ sedis apostolicæ & statuta patrũ illibata seruãtes, ea
» vilescere vel destrui à nemine patiamini. Cæterùm sciat su-
» blimitas vestra nos ad confratrem nostrum Hincmarum
» Archiepiscopum misisse, quatenus aut infrà triginta dies
» post lectam à nobis sibi missam epistolam, eundem Epis-
» copum pristino gradui restitueret, aut cum idoneo suo
» legato, si ipse non posset, Romam veniret. Quòd si neutrũ
» ageret, post triginta dies præfixos nec ipse nec quilibet
» Episcoporum, qui in depositione præfati Episcopi cõsen-
» serant, licentiam celebrandi missarum solennia penitus
» haberent, quo vsque in iis quæ salubriter deceret, nobis
» sint obedientes, ac pleniter ad effectum consummatio-
» nis perduxerint.



ADRIANVS II. *vel Iunior.*




IGNATIVM à Baſilio Macedone expulſo Photio reſtitutum ſedi ſuæ, & priſtino honori Zonaras refert, ſimúlque Photium eruditum virum fuiſſe prædicat: & Anaſtaſius epiſtola ad Ioãnem diaconum, Leo, inquit, (Armenius) poſt Michaëlem imperauit, patrem ſcilicet Ignatij, qui adhuc ſupereſt habenas Conſtantinopolitanæ tenens eccleſiæ. Adrianus igitur Talari Epiſcopi non naturalis, ſed ex legitimis nuptiis filius ad Epiſcopatum ob præclaras virtutes & quantas paucis contigiſſe ſatis cõſtat, à Clero populóque Romano eligitur: habitóque frequentiſſimo conuentu poſt Nicolai mortem ſolus ad ſummum ſacerdotium omnium ordinum votis atque acclamationibus aſſumitur. Per id tempus viuebat in aula Põtificis Romani Anaſtaſius apoſtolicæ ſedis Bibliothecarius. Is epiſtola ad excellentiſſimum Regum & Chriſtianiſſimum Carolum data decimo Kalend. Aprilis, indictione octaua, ſic ait: Vir magnus & apoſtólicæ vitę preceptor Conſtantinus philoſophus Romam ſub venerabilis memorię Adriano Iuniori Papa venit, ſáctíque Clemẽtis corpus ſedi ſuæ reſtituit. Interim Adrianus ſapiẽter regebat eccleſiam ſibi commiſſam, cùm ad illum & Dolicũ Regem venere legati Baſilij Macedonis Græcorum Cæſaris, quos eo miſſos Ioannes Curopalates in Baſilij vita ait, rogatum vt ſuis copiis ſubſidium ferrent, & vnà cùm Baſi-

lij

lij exercitu contra impios Dei hostes instruerentur. Agareni hi erant quos alij Saracenos, alij Arabes, alij aliter vocant. Quibus copiis iunctis Ludouicus Rex Italiæ quem Curopalates Dolicum vocat, Barim vrbem & ducem hostium capit, Capuámque perducit. Nam quid postea acciderit non est huius loci neque instituti dicere. Vnum hoc dico, nō petiturū fuisse Basiliū à Romano Pontifice suppetias, si sciisset dari ab illo nō posse: frustrà enim ab illo petitio facta esset. Itáque necesse est Romanū Pontificem tunc temporis iurisdictionem & Imperium aliquod in suos ciues, & pecuniam belli neruum habuisse. quia sine pecunia bellum est minimè bellum. Ludouicum Cæsarem fuisse diximus Lotharij filium: credo cùm id bellum suscepturus esset aduersus Agarenos, Adrianus qui patrinus & in baptismo sponsor eius fuisset, Hincmaro Remorum Episcopo & cæteris Galliæ Episcopis scripsit, ne quisquam regnum eius quod hereditario iure accepit à Lothario patre filius, perturbaret: nullus ad se conaretur inflectere. Quòd siquis id facere conaretur, sciret se vinculis anathematis obligandum. Hæc enim Pontificum Romanorum arma fuere, sola quidem quandiu mortalium animos sibi obsequentes habuerunt: at vbi contumaces eos & pertinacissimè repugnātes sensere, alio armorū genere iis necessariò vtēdum fuit. Quibus Adriani iaculis Carolus Rex Francorum impeti videbatur: eam ob causam responsum Hincmari & Caroli rescriptū legi plenū fellis & acrimonię, ex quo illud etiam intelligo, Normanos tum molestissimum Galliæ ac difficillimū intulisse bellum, simul an Hincmari Laudunensis Episcopi (nam superior ille Remorum antistes fuit) accusati damnatíque iudicio

» synodi, causa Romam ad Episcopi vrbis cognitionem iu-
» re euocaretur, & an appellare Pontificem Romanum iure
» Hincmarus ille potuerit.



IOANNES VIII. *vulgò* IX.




BASILIVS quem Orięti imperasse tradidimus, libellum elegantem scripsit Leoni charissimo filio & consorti Imperij, informās eum præceptis optimis ad rationem benè sapientérque viuendi. Idē Basilius Ignatio vita functo Photiū legitimè pulsum, legitimè quoque restituit Pontificio honori: erat enim vir in ciuilibus quidem negotiis versatus, & magnæ reconditæque eruditionis. Romani quoque Adriano mortuo quærentes illi successorem concordibus animis & vocibus in Ioannem conueniūt, & more Romano ex Diacono bono bonum Episcopum faciunt. Erat tunc alius Ioannes incēsus studio historiæ ecclesiasticæ perscribendæ, & conuerti è Græco sermone in Latinum plures historiarum libros admodū cupiebat: quemadmodum ex epistola Anastasij Bibliothecarij manifestum planúmque faciam.
» Ecclesiasticam, cha-
» rissime frater, & digne Christi Leuita Ioannes, auctore
» Deo scripturus historiam, exigis à me quædam in Latinū
» stilum transferenda, quo & ipsa quoque proposito inseras
» operi & intexas. his enim duabus linguis præcipuè quę in
» ecclesia gesta sunt, enarrantur. Ego verò propriam inscį-

» tiam, & ſermonis anguſtiam non ignorans, hoc agere
» tanto tempore recuſaui, ſupra me videlicet eſſe tam arduũ
» conamen proculdubio ratus. Sed quoniam ipſe te propo-
» ſitum opus melius exequuturum fore aſſeueras, ſi ea quæ
» in Latinis codicibus inueniri non poſſunt, prius ex Græ-
» corum fonte haurienda percipias, faciam Deo propitio
» quod hortaris: præſertim cùm Dei ſit quod agẽdum pro-
» ponimus, & multis proculdubio cauſa profectus atque ſa-
» lutis. neque enim tibi tam charo, támque ſapienti quic-
» quam negare potero, qui profectò Apoſtoli documen-
» to imbutus, ſapientibus & inſipientibus debitor ſum. Et ab hoc Ioanne qui ſe Leuitam dicit, ſcripti ſunt quatuor libri de vita Gregorij primi vt ex præfatione illorum manifeſtum eſt ad Ioannem ſanctę Romanæ eccleſiæ Pontificem, quem nos octauũ appellamus. quod idcirco dictum volumus, ne qui illos Ioãni ipſi Epiſcopo Romano tribuũt, quemquam in reliquum tempus decipiant. Leo apud Græcos Baſilij Imperatoris filius ſummam rerum tenebat; ab hoc Philoſopho, id enim cognomen tulit, eleganter ſcriptus eſt liber de bellico apparatu, qui prodiit in lucem: & moriens Conſtantino filio alium reliquit, quo ſummam totius Imperij complexus eſt. Extant quoque conſtitutiones eius, & in his plurimæ ad Stephanum Conſtantinopolitanum Archiepiſcopum & Patriarcham vniuerſalem. atque hæc eius ſcribendi conſuetudo fecit, vt Romani Põtifices ſe quoque vniuerſales appellauerint; ne quem titulum Conſtantinopolitani Archiepiſcopi ſibi arrogabant, eo carere Romani viderentur, ad quos ea inſcriptio magis pertineret. At nos omiſſo Leone & poſteris eius, cum quibus Romani Pontifices nihil commune habebant, ad Ioã-

nem reuertamur vnde digressi sumus.. Ludouico Cæsare morruo, quem Lotharij filiũ fuisse docuimus, doctissimi principis, sic enim Angelomus ad cãtica canticorum eum appellat, eiusdem Lotharij frater Carolus Caluus Francorũ Rex, præteritis Lotharij nepotibus, quia publicè intererat, ad imperium vocatur, ísque Ioannis & Episcoporum verbis qui adfuere, Augusti nomen & insignia accepit, anno à natali Christi octingentesimo sepruagesimo sexto. Formulam verborum qua illi sunt vsi ex libro secundo annalium nostrorum vbi illa continetur, repetere nõ placet, etsi ad Ioannis vitam, ad commendarionem Caroli Magni, Ludouicíque Cæsarum & Caroli Calui erga religionem & iustitiam studium efferendum plurimum valet. Iam ad Photium redeamus. Sub eo habita est synodus Episcoporum Constantinopoli, in qua de Ioanne mẽtionem factam video his verbis, quæ apud Balsamonem reperiuntur. Statuit sancta & vniuersalis synodus, vt si qui ex Italiç clericis, vel laicis, vel Episcopis, in Asia vel Europa, vel Libya versantes, sub vinculo vel depositione, vel anathematizatione apud sanctissimum Papam Ioãnem fuerunt, vt ij quoque sint eiusmodi etiam apud Photium sanctissimum Patriarcham Constantinopolitanum in eadem pœnæ definitione, id est, vel depositi vel anathematizati, vel segregati: & quos Photius quidem sanctissimus noster Patriarcha, clericos vel laicos, vel Episcopalis vel sacerdotalis ordinis, in quacunque parochia, segregationi, vel depositioni vel anathematizationi subiecerit, sanctissimus quoque Papa Ioannes, & sancta Dei Romanorum ecclesia, eosdem in eodẽ pœnæ iudicio habeat, priuilegiis, quæ adsunt sanctissimæ Romanorum ecclesiæ sedi & eius antisti-

» ti, nihil penitus innouatis, nec nunc, nec inposterum. Ad Carolum redeo, is enim coronatus à Ioanne litteras apostolicas petiit, quarum exemplum ex chartario incliti monasterij Vedastensis hic subiicio. Ioannes Episcopus
» seruus seruorum Dei, fratribus monasterij beati Vedasti
» quod vocatur Nobiliacus vel Attrebas, vbi ipse sanctus Ve-
» dastus confessor Christi, corpore quiescit salutem.
» Si vtilitatibus seruorum Dei piè cõsulimus, locáque Chri-
» sto dicata Apostolicis fulcimus sanctionibus quo, diuini
» cultus seruitores inibi Deo vacantes à turbi nibus & variis
» tempestatum secularium minuantur incursibus, nil hoc
» holocausto gratius redemptori nostro credimus offeren-
» dum. Qua de re luce clarius patet omnibus sanctæ eccle-
» siæ filiis, quia charissimus filius noster Carolus Rex adiens
» limina beatissimorum apostolorum Petri & Pauli hono-
» rificè à nobis susceptus, postquam solenniter vota regia
» persoluit, apud sepulchrum beati Petri die natiuitatis Do-
» mini nostri in ecclesia ipsius beati Petri Apostolorum
» principis dignitatem imperialem per impositionem ma-
» nuum nostratum adeptus est. Dehinc non minus deuotè
» quàm humiliter à nobis expetiit vt beati Petri Apostolo-
» rum principis, simúlque nostri apostolatus auctoritate
» decerneremus priuilegium Romanæ atque Apostolicæ
» sedis astipulatione roboratum fratribus iam dicti mona-
» sterij confessoris Christi Vedasti, per quod stabili iure ac
» sine perturbatione possiderent castrum atque prædictum
» monasterium, & omne quod eis per suum præceptum
» concesserat ac Gallicanorum Episcoporum decreto mu-
» niri fecerat huius rei gratia. Quia eundem Augustum di-
» uino contractum amore id fecisse perspeximus, gratanter.

petitionibus præbuimus assensum, decernentes apostolica auctoritate ea quæ hic inserta habentur inconuulsa manere. Data v. Kalend. Ianu. per manus Anastasij primi scriniarij anno I. Imperij Caroli serenissimi Imperatoris Augusti, & per consulatum eius anno I. indict. octaua. Sed Carolo in reditu, inque itinere mortuo fugiendum in Franciam Ioanni fuit ob partium studia, quòd Ludouicum Balbum coronare in demortui locum vellet, vbi apud Tricasses synodum Episcoporum habuit, in qua Adelardum, Formosum, Lambertum, cæteróſque conscios exilij sui damnauit, simul Hincmarum Laudunēsem oculorum vsu priuatum Episcopatui suo restituit: nam id ab Adone Viennensi illius penè temporis historico scribi video. Romam tandem reuersum, exceptúmque honorificè à ciuibus suis, & Christiana negotia admodum piè sanctéque omni deinceps vita gessisse.




MARINVS.



ON quid rerum hic gesserit vnius anni Pontifex, neque enim quolibet anno res magnæ se offerunt, sicut nec lætæ atque opimæ segetes quotannis metuntur, sed quis fuerit & quàm episcopatu non indignus, certè ostendam testimonio Nicolai illustris Episcopi Romani, à quo illius ecclesiæ Diaconus dicitur, & inter legatos qui Rhadoaldi & Zachariæ loco Cōstantinopolim

ab eo mittebantur illum esse voluit;à quo scilicet mandata sua impleri nō diffideret. Quid igitur miremur illum ad Pontificiam dignitatem vocatum esse iam senem & Diaconum? præsertim cùm Diaconatus certa spes perueniendi ad episcopatum esset, vt multorum exemplo Pontificum ostēdere,neque arduum neque difficile est. Verba autem Nicolai ex epistola ad Michaëlē hic subiicio. Postea
» verò cùm cognouimus quia penes hos qui nolūt sanis ac-
» quiescere monitis, nihil solùm scribendo proficiebamus,
» ratum duximus per legatos nostros iteratas literas eorum
» quæ videbantur ecclesiæ profutura mandare. Huius rei
» gratia direximus Constantinopolim Donatum sanctissi-
» mum Episcopum, & Leonem venerabilem presbyterum,
» atque filium nostrum Marinum Diaconum. Et in eadem
» epistola: Sciat à Deo redimitum imperium vestrum mis-
» sos sibi à præsulatu nostro Deo auctore destinatos, Dona-
» tum videlicet reuerendissimæ & sanctissimæ ecclesiæ O-
» stiensis Episcopum, & religiosos ac venerabiles sanctæ
» Romanæ ecclesiæ Leonem tituli sancti Christi martyris,
» Laurentij, quæ appellatur Damasi; atque Marinum,
» apostolicæ nostræ sedis diaconum. Est etiam locus alius i-
» nitio octauæ synodi œcumenicæ habitæ sub Adriano se-
» cundo, anno tertio piissimorum Imperatorum Basilij &
» Cōstantini. Cōuenientibus Donato & Stephano Episco-
» pis, & Marino diacono, locum tenentibus Adriani sancti-
» ssimi Archiepiscopi senioris Romæ &c. Quinetiam ex e-
pistola Adriani ipsius ipsi synodo inserta cum hoc titulo,
» Adrianus Episcopus seruorum Dei, piissimo Imperatori
» Basilio Augusto Christianissimo & desiderabilissimo filio;
» id quoque planum & perspicuum faciam, Marinum hunc

» qui duabus legationibus iam functus erat, Pontificatu nō
» indignum fuisse. Sic ergo Adrianus, dilectos fratres meos
» donatum sanctæ ecclesiæ Ostiensis, & Stephanum eccle-
» siæ Nepesinæ reuerendiss. Episcopos, atque filium meum
» Marinum apostolicæ sedis diaconum, consiliarios nostros
» tuæ commendamus pietati: precamur, vt eos ob amorem
» pręcipuorum apostolorum Petri & Pauli (à quorum sede
» mittuntur) benignè suscipias, & tanquam nobismetipsis
aures credulitatis accommodes. Marini verò nomen ne quis inusitatum putet, legat constitutionem Valeriani & Galieni Cæsarum Marino scriptam publicatámque tertio Kal. Iul. Æmiliano & Basso Cons. quæ apud Iustinianum lib. nono Cod. continetur & Iustiniani ipsius constitutionem ad Marinum Præfectum prætorio de naturalibus liberis libro quinto.




ADRIANVS III.



NNVM & aliquid amplius in Pontificatu transegit Adrianus nihilo fœlicior decessore suo: vtrumque enim magnanimum virū, & ad eam dignitatem aptissimum fata citò rapuere: vt fœcem Pōtificum aliquot qui subsequuti sunt, superi nobis dari paterentur: credo ob mortalium delicta, quæ non minora illis temporibus fuere quàm nunc sunt: orbis enim terræ sine bonis & malis nunquam fuit, vt absolutum sine probitate atque nequi-

tia

tia esse non putes. Sunt autem quidam historici, vt nullius nomen lædam, qui hunc Pōtificem, qui magnitudine animi cognomines Adrianos æquauit, iuris Imperatorij prædonem putent, quo iure cautum erat vt Cæsaribus minimè inconsultis Pontifex ordinaretur. At mortuis Ludouico & Carolo Caluo Augustis, quis iam restabat in occidente qui rerum dominum se vocaret? nemo sanè præter Carolum Crassum, crassum corpore, & ingenio crassiorē, qui tamen Imperator fuit: habitáque est synodus Coloniæ Agrippinæ ad Rhenū flumen anno Christi octingentesimo octogesimo septimo, in qua gloriosissimum Imperatorem illum appellari video.




STEPHANVS V.



NESCIO quis mentionem tui faciat ô Stephane, qui Formosū antecessisti, & illam alterius Stephani in decessorem tuū sæuitiam, præter duos doctissimós viros & antiquitatis peritissimos, ij sunt Hincmarus Remorum, & Iuo Carnutū illustres Episcopi: quorum Hincmarus ad te scribit epistolam, qua significat se Romam properaturum fuisse, nisi obstitisset obsidio Lutetiæ Parisiorum, cuius agros Normani infestissimi tunc hostes latè populabātur. Quid verò rescripsisti? videlicet dolere te ob Regni huius infestationem, & magnopere Deum deprecari pro defensione horum Galliæ populorum aduersus

immites crudelésque Normannos. Iuo autem libro septimo Panormiæ inserit rescriptum tuum, quo Aistulphum qui vxorem indicta causa occiderat, sanctissimè mones id non debuisse fieri: sed quia quod factum est pro infecto haberi non potest, non esse desperandum, si modò velit ex præscripta formula pœnitētiam agere. Tam autem disertè & appositè scribis, vt nullum putem extare decretum Pontificis, quod illo grauius aut pondere sententiarũ plenius cuiquam possit videri.




FORMOSVS.



VLCHRVM nomen Formoso puero impositum ob elegantem formam venustatémq; corporis verisimile est. Is cùm variis sacerdotiis ornatus esset, ad pontificatum vrbis tandem peruenit: etiamsi Pontifex Portuensis iam esset. quod illi quidem contigit primò omnium retro Pontificum citra Petrum, quem cõstat Antiochenæ ecclesiæ prefuisse antequam Romæ pedem figeret. At cõsequutis tẽporibus, vbi possidere multas simul ecclesiasticas dignitates ac permutare cœpimus, hic mos à vetustate seruatus obsoleuit. Cæterùm Formosi mores grato illum animo erga Frãcorum Reges esse docuerũt, ac memorem beneficiorum, quæ maiores sui ab illa regia gẽte accepissent. Nam cùm Carolus puer ad regiam dignitatẽ promotus esset, & se apostolicæ sedi per literas & legatos pluri-

mũ commendasset, Pontifex gratulatus ei quòd Rex esset, pręcepta ad bene ac sapienter administrãdum regnum succinctè lucidéque perscripsit. Hæc Flodoardus in vita Remensium episcoporum de Formoso tradit. Romani ciues hunc Pontificem etsi religiosissimum oderant, non quidem omnes, sed qui Stephano competitori eius in Pontificatu fauissent: affligebatúrque ab iis vsque adeo vt ab Arnulpho Rege auxilium coactus petierit. Id vbi adfuit, Roma continuò capta est, & plerique Romani proceres iubente eo securi sunt cæsi. Ac sanè in oppido Francorum Triburia quod transrhenum est, habitam synodum reperio anno Christi octingentesimo nonagesimo quinto, Verùm abs te petimus ô Luitprande Ticinẽsis, qui magis scire potes, tunc enim viuebas, vt nobis edisseras rem totã atque explices. res enim gestas scribere & rerum gestarum
» rationem reddere historici est. Hoc tempore, inquit, For-
» mosus Papa religiosissimus à Romanis vehemẽter afflicta-
» batur, cuius & hortatu Rex Arnulphus Romam aduene-
» rat: in cuius ingressu vlciscendo Papæ iniuriã multos Ro-
» manorum principes obuiã sibi properantes decollari prę-
» cepit. Causa autem simultatis inter Formosum Papam &
» Romanos fuit. Formosi prædecessore defuncto Stepha-
» nus quidam Romanæ ecclesiæ Diaconus erat, quẽ Roma-
» norum pars quædam Papam sibi elegerat: quædam verò
» pars non infima natu Formosum Portuẽsis ciuitatis Epis-
» copum pro vera religione diuinarúmque scripturarum &
» doctrinarum scientia Papam sibi fieri anhelabat. Nam dũ
» in eo esset vt Stephanus apostolorum vicarius ordinari de-
» buisset, ea quę Formosi partibus fauebat pars, cum nõ me-
» diocri tumultu & iniuria Stephanum ab altari expulit, &

Formoſum Papam conſtituit, deſcenditque Stephanus in Tuſciam quatenus Adelberti potentiſſimi Marchionis auxilio iuuaretur, quod & factum eſt.




BONIFACIVS VI. & STEPHANVS VI.



ON eſt cur Pontificium nomen oderimus, propter paucorum Pontificũ quædam impia facta. nam illi homines fuere: & qui vitia odit, homines odit. Bonifacium populari manu euectum, quindecim dierum aut paulò amplius Pontificem, Stephanus auxilio Alberti Machionis Thuſcia expulit: expulere & ſuperi vita ei citò adępta, ne foret è beato miſer. Tu verò Stephane quid cogitabas, cùm Formoſi collum ſepulchro eruti ſecari gladio iuſſiſti? Non illud ſaltem occurrebat, id nunquam antea factum à maioribus tuis? Ergo iterum ad Luitprandum me conuertam, cúmque precabor vt illa Stephani nefaria acta mortalium oculis ſubiicat. Formoſo, inquit, defuncto atque Arnulpho in propria reuerſo: is qui poſt necem Formoſi Papa conſtitutus eſt, expellitur: Stephanúſque Papa per Albertum conſtituitur. Quo conſtituto vt doctrinarum ſanctarum inſcius, Formoſum è ſepulchro extrahi atque in ſedem Romani pontificatus ſacerdotalibus indumẽtis indutum decollari præcepit. Cui & ait: Cùm Portuenſis eſſes Epiſcopus, cur ambitionis ſpiritu Romanam vniuerſalem ſedem


" vsurpasti? His expletis, sacratis exutum vestimentis digi-
" tísque tribus abscissis, in Tyberim iactari præcepit cun-
" ctósque quos ipse ordinauerat, gradu proprio depositos
" iterũ ordinauit. Quod quàm male elegerit, (pater sancti-
" ssime Raimunde Liberitane) in hoc animaduertere pote-
" ris, quoniã & ij qui à Iuda domini nostri Iesu Christi pro-
" ditore ante proditionem, salutem seu benedictionem a-
" postolicam perceperant: ea post proditionem propriíq;
" corporis suspensionem minimè sunt priuati: nisi quos im-
" proba fortè defœdarãt flagitia. Benedictio siquidem quæ
" à ministris Christi impenditur, non per eum qui videtur,
" sed qui nõ videtur sacerdotem infunditur. Neque enim
" qui rigat est aliquid, neque qui plantat: sed qui incremen-
tum dat Deus. Quantæ autem auctoritatis quantæq; reli-
gionis Papa Formosus fuerit, hinc colligere possum⁹: quo-
niã dum à piscatoribus post modum esset inuentus, atque
ad beati Petri apostolorum principis ecclesiã deportatus,
sanctorum quędam imagines hunc in loculo positum ve-
nerabiliter salutarũt. Hoc namque à religiosissimis Roma-
næ vrbis persæpe audiui. Sed fingamus id quod postremo
loco dicitur, nunquam tamen accidisse, quid est illo supe-
riori facto aut crudelius aut immanius vnquam excogita-
tum à barbaris? At inueherer in illum vehementius profe-
ctò, nisi me Leonis ille antiqui historiarũ scriptoris deter-
" reret locus. Formosum, inquit, Stephanus Papa sextus, qui
" ei successerat, pro eo quòd cùm esset Portuensis Episco-
" pus, contra sanctorum canonum decreta apostolicam in-
" uaserat sedem, de sepulchro extrahi abiicíque mandauit,
" cunctásque ipsius ordinationes irritas esse constituit.



ROMANVS & THEODORVS II.



ET genere & magiſtratu Romani, Pontifices multi fuere, nullus autẽ cui hæc tria contingerint, vt natus Romæ, Romani nomen, & Pontificis maximi ſupremam dignitatem obtinuerit. Hæc quidem ſolus Romanus habuit, trium menſium Pontifex, & ante Pontificatum preſbyter Cardinalis titulo ſancti Petri inſignis, vt habent Annales Victoriani: ſucceſſorum tamen nemo nomen eius ſumpſit, nec in tam breui Pontificatu quicquam de eo memoriæ proditum eſt, niſi quòd Stephani deceſſoris decreta actáque ſtatim abrogauit. Secutus eſt Theodorus patria quidem Romanus, ſed à Romani ſententia longè diſſentiens. Formoſi enim res in pretio habuit, verùm illi vigeſimus adminiſtrati Pontificatus dies, idem mortis primus fuit. Theodori verò Grecum nomen eſt, atque idẽ ſignificat quod Deusdedit & Adeodatus, quæ ſunt retrò Pontificum nomina, vt ſuprà demonſtrauimus: verùm etſi ſignificationis eiuſdẽ ſunt, quemadmodum Silueſter & Siluerius, noluimus tamen antiquum numerum Pontificum turbare, ne lectorem quoque turbaremus.




IOANNES IX. *vulgò* x. & BENEDICTVS IIII.

IMPERIVM ad Italicã gentem translatum, laudi erit Ioanni Pontifici Romano, qui Lambertum Imperatorem dixit, ac veterem consuetudinem renouauit, ne legatis Imperatoris absentibus, qui vim & scandala in eius consecratione prohibeant, Romanus Põtifex ordinaretur. Atque hoc voluit, quia publicè intererat, vt posthac Pontifex conuenientibus Episcopis & vniuerso clero, senatu & populo expetente legeretur: ídque Rauennæ in synodo Episcoporum septuaginta quatuor Ioãnes decreuit, & eorum consilio causa cognita synodum à Stephano decessore suo habitam aduersus Formosum Põtificem damnauit, cuius synodi verba in hanc historiam intexere placuit, ne vnquam putent Romani Pontifices id sibi licere quod reuera non licet, vt decessores suos ad scalas Gemonias trahi, atq; dehinc in Tyberim proiici mãdent. neque enim sum ex eorum genere quibus videntur Episcopi Romani ne peccata quidem sine laude committere, sed vindex ero rerum ab iis perperam actarum, & res nefarias egregiè vituperando damnandóque prodesse Reipubl. conabor. Verba autẽ synodi quæ magnus vir Sigonius & Italię decus libris à se ęditis nuper inseruit ex scrinio Mutinensis ecclesiæ, hæc quidem sunt. Synodũ à Stephano sexto Põtifice decessore nostro celebratam, in qua

cadauer Formoſi Pontificis è ſepulchro extractū, & quaſi ad iudicium adductum, iudicatum, atque damnatū eſt, quod nunquam aliàs factum accepimus, penitus abrogamus, & ne poſthac tale aliquid fiat, per ſpiritus ſancti iudicium interdicimus. Epiſcopis, presbyteris, & reliquis clericis, qui ei ſynodo interfuerunt, quia veniam petentes vi ſe, ac metu interfuiſſe cōfeſſi ſunt, ſanctæ ſynodi precibus indulgemus: cauentes, ne quis poſthac Epiſcopis aut vim, aut detrimentum inferat, quominus eis liberè ſententiam dicere liceat. Quia neceſſitatis cauſa de Portuenſi eccleſia Formoſus ob vitæ merita ad apoſtolicā ſedem eſt euocatus, ſtatuimus, ne quis in id exēplum trahat, ſacris legibus prohibentibus. Etenim quod neceſſitate conceſſum eſt, id ſublata neceſſitate auctoritatem nō debet habere. Ne quis quem de gradu eccleſiaſtico ſynodicè deturbatum, neque dum canonicè reſtitutum ad altiora prouehat, quemadmodum Bonifacium primùm in ſubdiaconatu, deinde in presbyteratu popularis manus euexit. Quòd ſi ſpretis ſanctiſſimorū patrū decretis, id quoquo modo tētauerit, nō ſolùm apoſtolico anathemate feriatur, ſed Imperatoriam quoque indignationem experiatur. Epiſcopos, presbyteros, diaconos, ſubdiaconos, qui ab eodem Formoſo pōtifice ritè conſecrati, temerè quorūdam libidine exaugurati ſunt, ad proprios ordines, & gradus redigimus. Reordinationes, & rebaptizationes, & ſedium mutationes, quas ſancti patres in Africano concilio interdixerūt, & nos interdicimus. Sacram inunctionem ſpiritalis filij noſtri Lamberti in Imperatorem firmam, & ratam in perpetuum eſſe ſpiritu ſancto ſuffragante decernimus. Violatores ſepulchri Formoſi Pontificis, qui facta ad rapiendum theſaurū

conſpi-

" conſpiratione corpus eius traxerunt, atque in Tyberim
" proiecerunt, niſi reſipuerint, à ſanctæ Dei eccleſiæ liminibus propulſamus. Quia ſancta Romana eccleſia moriente
" Pontifice multas patitur violentias, quod inſciente Imperatore, aut legatis eius abſentibus, Pōtifex cōſecretur, neq;
" canonico ritu miſſi ab Imperatore interſint nuncij, qui
" vim, & ſcādala in eius cōſecratione prohibeāt: Volumus,
" vt poſthac Pontifex conuenientibus Epiſcopis, & vniuerſo clero, ſenatu & populo expetente legatur: atque ita in
" conſpectu omnium celeberrimè electus ab omnibus, præſentibus legatis Imperatoris, conſecretur. Nemóque ſine
" periculo ſacramenta, aut promiſſa noua arte, ab eo audeat
" extorquere, niſi quod antiqua contineatur conſuetudine,
" ne quid ſcandali, aut detrimenti eccleſia patiatur.



LEO V. ET CHRISTOPHORVS.




EONIS quinti Pontificatum vix attigiſſe triginta dies hiſtoriarū libris continetur: ſed ij neque patriā, neque pietatem illius, neque mores exprimūt, & hiſtoricum in eiuſmodi rebus aliquid fingere, turpe ſanè atq; indecorū eſſet. Victoriani quidē annales Leonē è presbytero Phocēſi vrbis Epiſcopū fuiſſe referunt. Sed tu ſerue nequam, quem Chriſtophorū vocant, cùm potius Luciferū debuerint appellare, etſi eras presbyter Cardinalis, titulúmque Damaſi præferebas; quo ore ſubditus dominū au-

des in carcerem coniicere, & contra leges humanas atque diuinas eripere Pontificatum vrbis? quamquam vltio diuina subsequuta est properè, quæ te prædonem alieni iuris in ergastula monachorũ præcipitem dedit, vt qui cum frequentissimo Senatu esse volueras, quasi Dauus in pistrinũ solus coniicereris. De hoc homine sic Leo Marsicanus in
" historia Cassinẽsi. Christophorus deiectus de Papatu mo-
" nachus effectus est. Sed iam tempus est veniẽdi ad quartũ librum Episcoporum vrbis, si modò dixerimus hoc interesse inter bonos malósque Pontifices, quòd boni honorant sacerdotium suum, & ab illo honorantur: mali à sacro magistratu accipiunt honorem, certè nullum ipsi afferunt.

NOMINA PONTIFICVM, QV[illegible]s à Con-
VITA EXPONITVR LIB. IIII. [illegible]ſpari
[illegible]s

Sergius III.
Anaſtaſius III.
Lando.
Joannes X. *vulgò* XI.
Leo VI.
Stephanus VII.
Joannes XI. *vulgò* XII.
Leo VII.
Stephanus VIII.
Marinus II.
Agapetus II.
Ioannes XII. *vulgò* XIII.
Benedictus V.
Leo VIII.
Ioannes XIII. *vulgò* XIIII.
Benedictus VI.
Donnus II.
Bonifacius VII.
Benedictus VII.
Joannes XIIII. *vulgò* XV.
Ioannes XV. *vulgò* XVI.
Joannes XVI. *vulgò* XVII.
Gregorius V.
Ioannes XVII. *vulgò* XVIII.
Silueſter II.
Joannes XVIII. *vulgò* XIX.
Ioannes XIX. *vulgò* XX.
Sergius IIII.
Benedictus VIII.
Ioannes XX. *vulgò* XXI.
Benedictus IX.
Silueſter III.
Gregorius VI.
Clemens II.
Damaſus II.
Leo IX.
Victor II.
Stephanus IX.
Benedictus X.
Nicolaus II.

petitionibus præbuimus assensum, decernentes apostolica auctoritate ea quæ hic inserta habentur inconuulsa manere. Data v. Kalend. Ianu. per manus Anastasij primi scriniarij anno I. Imperij Caroli serenissimi Imperatoris Augusti, & per consulatum eius anno I. indict. octaua. Sed Carolo in reditu, ínque itinere mortuo fugiendum in Franciam Ioanni fuit ob partium studia, quòd Ludouicum Balbum coronare in demortui locum vellet, vbi apud Tricasses synodum Episcoporum habuit, in qua Adelardum, Formosum, Lambertum, cæteró sque conscios exilij sui damnauit, simul Hincmarum Laudunẽsem oculorum vsũ priuatum Episcopatui suo restituit: nam id ab Adone Viennensi illius penè temporis historico scribi video. Romam tandem reuersum, exceptúmque honorificè à ciuibus suis, & Christiana negotia admodum piè sanctéque omni deinceps vita gessisse.




MARINVS.



NON quid rerum hic gesserit vnius anni Pontifex, neque enim quolibet anno res magnæ se offerunt, sicut nec lætæ atque opimæ segetes quotannis metuntur, sed quis fuerit & quàm episcopatu non indignus, certè ostendam testimonio Nicolai illustris Episcopi Romani, à quo illius ecclesiæ Diaconus dicitur, & inter legatos qui Rhadoaldi & Zachariæ loco Cõstantinopolim

ab eo mittebantur illum esse voluit;à quo scilicet mandata sua impleri nō diffideret. Quid igitur miremur illum ad Pontificiam dignitatem vocatum esse iam senem & Diaconum? præsertim cùm Diaconatus certa spes perueniendi ad episcopatum esset, vt multorum exemplo Pontificum ostēdere,neque arduum neque difficile est. Verba autem Nicolai ex epistola ad Michaëlē hic subiicio. Postea
» verò cùm cognouimus quia penes hos qui nolūt sanis ac-
» quiescere monitis, nihil solùm scribendo proficiebamus,
» ratum duximus per legatos nostros iteratas literas eorum
» quæ videbantur ecclesiæ profutura mandare. Huius rei
» gratia direximus Constantinopolim Donatum sanctissi-
» mum Episcopum, & Leonem venerabilem presbyterum,
» atque filium nostrum Marinum Diaconum. Et in eadem
» epistola: Sciat à Deo redimitum imperium vestrum mis-
» sos sibi à præsulatu nostro Deo auctore destinatos, Dona-
» tum videlicet reuerendissimæ & sanctissimæ ecclesiæ O-
» stiensis Episcopum, & religiosos ac venerabiles sanctæ
» Romanæ ecclesiæ Leonem tituli sancti Christi martyris,
» Laurentij, quæ appellatur Damasi; atque Marinum,
» apostolicæ nostræ sedis diaconum. Est etiam locus alius i-
» nitio octauæ synodi œcumenicæ habitæ sub Adriano se-
» cundo, anno tertio piissimorum Imperatorum Basilij &
» Cōstantini. Cōuenientibus Donato & Stephano Episco-
» pis, & Marino diacono, locum tenentibus Adriani sancti-
» ssimi Archiepiscopi senioris Romæ &c. Quinetiam ex e-
pistola Adriani ipsius ipsi synodo inserta cum hoc titulo,
» Adrianus Episcopus seruorum Dei, piissimo Imperatori
» Basilio Augusto Christianissimo & desiderabilissimo filio;
» id quoque planum & perspicuum faciam, Marinum hunc

» qui duabus legationibus iam functus erat, Pontificatu nõ
» indignum fuisse. Sic ergo Adrianus, dilectos fratres meos
» donatum sanctæ ecclesiæ Ostiensis, & Stephanum eccle-
» siæ Nepesinæ reuerendiss. Episcopos, atque filium meum
» Marinum apostolicæ sedis diaconum, consiliarios nostros
» tuæ commendamus pietati: precamur, vt eos ob amorem
» præcipuorum apostolorum Petri & Pauli (à quorum sede
» mittuntur) benignè suscipias, & tanquam nobismetipsis
aures credulitatis accommodes. Marini verò nomen ne quis inusitatum putet, legat constitutionem Valeriani & Galieni Cæsarum Marino scriptam publicatámque tertio Kal. Iul. Æmiliano & Basso Cons. quæ apud Iustinianum lib. nono Cod. continetur & Iustiniani ipsius constitutionem ad Marinum Præfectum prætorio de naturalibus liberis libro quinto.




ADRIANVS III.



ANNVM & aliquid amplius in Pontificatu transegit Adrianus nihilo fœlicior decessore suo: vtrumque enim magnanimum virũ, & ad eam dignitatem aptissimum fata citò rapuere: vt fœcem Põtificum aliquot qui subsequuti sunt, superi nobis dari paterentur: credo ob mortalium delicta, quæ non minora illis temporibus fuere quàm nunc sunt: orbis enim terræ sine bonis & malis nunquam fuit, vt absolutum sine probitate atque nequi-

tia

tia esse non putes. Sunt autem quidam historici, vt nullius nomen lædam, qui hunc Pōtificem, qui magnitudine animi cognomines Adrianos æquauit, iuris Imperatorij prædonem putent, quo iure cautum erat vt Cæsaribus minimè inconsultis Pontifex ordinaretur. At mortuis Ludouico & Carolo Caluo Augustis, quis iam restabat in occidente qui rerum dominum se vocaret? nemo sanè præter Carolum Crassum, crassum corpore, & ingenio crassiorē, qui tamen Imperator fuit: habitáque est synodus Coloniæ Agrippinæ ad Rhenū flumen anno Christi octingentesimo octogesimo septimo, in qua gloriosissimum Imperatorem illum appellari video.




STEPHANVS V.



Escio quis mentionem tui faciat ô Stephane, qui Formosū antecessisti, & illam alterius Stephani in decessorem suū sæuitiam, præter duos doctissimos viros & antiquitatis peritissimos, ij sunt Hincmarus Remorum, & Iuo Carnutū illustres Episcopi: quorum Hincmarus ad te scribit epistolam, qua significat se Romam properaturum fuisse, nisi obstitisset obsidio Lutetiæ Parisiorum, cuius agros Normani infestissimi tunc hostes latè populabātur. Quid verò rescripsisti? videlicet dolere te ob Regni huius infestationem, & magnopere Deum deprecari pro defensione horum Galliæ populorum aduersus

immites crudelésque Normannos. Iuo autem libro septimo Panormiæ inserit rescriptum tuum, quo Aistulphum qui vxorem indicta causa occiderat, sanctissimè mones id non debuisse fieri: sed quia quod factum est pro infecto haberi non potest, non esse desperandum, si modò velit ex præscripta formula pœnitētiam agere. Tam autem disertè & apposite scribis, vt nullum putem extare decretum Pontificis, quod illo grauius aut pondere sententiarū plenius cuiquam possit videri.




FORMOSVS.



PVLCHRVM nomen Formoso puero impositum ob elegantem formam venustatémq; corporis verisimile est. Is cùm variis sacerdotiis ornatus esset, ad pontificatum vrbis tandem peruenit: etiamsi Pontifex Portuensis iam esset. quod illi quidem contigit primò omnium retro Pontificum citra Petrum, quem cōstat Antiochenæ ecclesiæ pręfuisse antequam Romæ pedem figeret. At cōsequutis tēporibus, vbi possidere multas simul ecclesiasticas dignitates ac permutare cœpimus, hic mos à vetustate seruatus obsoleuit. Cæterùm Formosi mores grato illum animo erga Frācorum Reges esse docuerūt, ac memorem beneficiorum, quæ maiores sui ab illa regia gēte accepissent. Nam cùm Carolus puer ad regiam dignitatē promotus esset, & se apostolicæ sedi per literas & legatos pluri-

mũ commendaſſet, Pontifex gratulatus ei quòd Rex eſſet, pręcepta ad bene ac ſapienter adminiſtrãdum regnum ſuccinctè lucidéque perſcripſit. Hæc Flodoardus in vita Remenſium epiſcoporum de Formoſo tradit. Romani ciues hunc Pontificem etſi religioſiſſimum oderant, non quidem omnes, ſed qui Stephano competitori eius in Pontificatu fauiſſent: affligebatúrque ab iis vſque adeo vt ab Arnulpho Rege auxilium coactus petierit. Id vbi adfuit, Roma continuò capta eſt, & plerique Romani proceres iubente eo ſecuri ſunt cæſi. Ac ſanè in oppido Francorum Triburia quod tranſrhenum eſt, habitam ſynodum reperio anno Chriſti octingenteſimo nonageſimo quinto, Verùm abs te petimus ô Luitprande Ticinẽſis, qui magis ſcire potes, tunc enim viuebas, vt nobis ediſſeras rem totã atque explices. res enim geſtas ſcribere & rerum geſtarum » rationem reddere hiſtorici eſt. Hoc tempore, inquit, For- » moſus Papa religioſiſſimus à Romanis vehemẽter afflicta- » batur, cuius & hortatu Rex Arnulphus Romam aduene- » rat: in cuius ingreſſu vlciſcendo Papæ iniuriã multos Ro- » manorum principes obuiã ſibi properantes decollari prę- » cepit. Cauſa autem ſimultatis inter Formoſum Papam & » Romanos fuit. Formoſi prædeceſſore defuncto Stepha- » nus quidam Romanæ eccleſiæ Diaconus erat, quẽ Roma- » norum pars quædam Papam ſibi elegerat: quædam verò » pars non infima natu Formoſum Portuẽſis ciuitatis Epiſ- » copum pro vera religione diuinarúmque ſcripturarum & » doctrinarum ſcientia Papam ſibi fieri anhelabat. Nam dũ » in eo eſſet vt Stephanus apoſtolorum vicarius ordinari de- » buiſſet, ea quę Formoſi partibus fauebat pars, cum nõ me- » diocri tumultu & iniuria Stephanum ab altari expulit, &

Formoſum Papam conſtituit, deſcendítque Stephanus in Tuſciam quatenus Adelberti potentiſſimi Marchionis auxilio iuuaretur, quod & factum eſt.




BONIFACIVS VI. & STEPHANVS VI.



ON eſt cur Pontificium nomen oderimus, propter paucorum Pontificũ quædam impia facta. nam illi homines fuere: & qui vitia odit, homines odit. Bonifacium populari manu euectum, quindecim dierum aut paulò amplius Pontificem, Stephanus auxilio Alberti Machionis Thuſcia expulit: expulere & ſuperi vita ei citò adēpta, ne foret è beato miſer. Tu verò Stephane quid cogitabas, cùm Formoſi collum ſepulchro eruti ſecari gladio iuſſiſti? Non illud ſaltem occurrebat, id nunquam antea factum à maioribus tuis? Ergo iterum ad Luitprandum me conuertam, eúmque precabor vt illa Stephani nefaria acta mortalium oculis ſubiicat. Formoſo, inquit, defuncto atque Arnulpho in propria reuerſo: is qui poſt necem Formoſi Papa conſtitutus eſt, expellitur: Stephanúſque Papa per Albertum conſtituitur. Quo conſtituto vt doctrinarum ſanctarum inſcius, Formoſum è ſepulchro extrahi atque in ſedem Romani pontificatus ſacerdotalibus indumētis indutum decollari præcepit. Cui & ait: Cùm Portuenſis eſſes Epiſcopus, cur ambitionis ſpiritu Romanam vniuerſalem ſedem


" vſurpaſti? His expletis, ſacratis exutum veſtimentis digi-
" tíſque tribus abſciſſis, in Tyberim iactari præcepit cun-
" ctóſque quos ipſe ordinauerat, gradu proprio depoſitos
" iterũ ordinauit. Quod quàm male elegerit, (pater ſancti-
" ſſime Raimunde Liberitane) in hoc animaduertere pote-
" ris, quoniã & ij qui à Iuda domini noſtri Ieſu Chriſti pro-
" ditore ante proditionem, ſalutem ſeu benedictionem a-
" poſtolicam perceperant: ea poſt proditionem propriíq;
" corporis ſuſpenſionem minimè ſunt priuati: niſi quos im-
" proba fortè defœdarãt flagitia. Benedictio ſiquidem quæ
" à miniſtris Chriſti impenditur, non per eum qui videtur,
" ſed qui nõ videtur ſacerdotem infunditur. Neque enim
" qui rigat eſt aliquid, neque qui plantat: ſed qui incremen-
tum dat Deus. Quantæ autem auctoritatis quantæq; reli-
gionis Papa Formoſus fuerit, hinc colligere poſſum⁹: quo-
niã dum à piſcatoribus poſt modum eſſet inuentus, atque
ad beati Petri apoſtolorum principis eccleſiã deportatus,
ſanctorum quędam imagines hunc in loculo poſitum ve-
nerabiliter ſalutarũt. Hoc namque à religioſiſſimis Roma-
næ vrbis perſæpe audiui. Sed fingamus id quod poſtremo
loco dicitur, nunquam tamen accidiſſe, quid eſt illo ſupe-
riori facto aut crudelius aut immanius vnquam excogita-
tum à barbaris? At inueherer in illum vehementius profe-
ctò, niſi me Leonis ille antiqui hiſtoriarũ ſcriptoris deter-
" reret locus. Formoſum, inquit, Stephanus Papa ſextus, qui
" ei ſucceſſerat, pro eo quòd cùm eſſet Portuenſis Epiſco-
" pus, contra ſanctorum canonum decreta apoſtolicam in-
" uaſerat ſedem, de ſepulchro extrahi abiicíque mandauit,
" cunctáſque ipſius ordinationes irritas eſſe conſtituit.



ROMANVS & THEODORVS II.



ET genere & magiſtratu Romani, Pontifices multi fuere, nullus autẽ cui hæc tria contingerint, vt natus Romæ, Romani nomen, & Pontificis maximi ſupremam dignitatem obtinuerit. Hæc quidem ſolus Romanus habuit, trium menſium Pontifex, & ante Pontificatum preſbyter Cardinalis titulo ſancti Petri inſignis, vt habent Annales Victoriani: ſucceſſorum tamen nemo nomen eius ſumpſit, nec in tam breui Pontificatu quicquam de eo memoriæ proditum eſt, niſi quòd Stephani deceſſoris decreta actáque ſtatim abrogauit. Secutus eſt Theodorus patria quidem Romanus, ſed à Romani ſententia longè diſſentiens. Formoſi enim res in pretio habuit, verùm illi vigeſimus adminiſtrati Pontificatus dies, idem mortis primus fuit. Theodori verò Græcum nomen eſt, atque idẽ ſignificat quod Deusdedit & Adeodatus, quæ ſunt retrò Pontificum nomina, vt ſuprà demonſtrauimus: verùm etſi ſignificationis eiuſdẽ ſunt, quemadmodum Silueſter & Siluerius, noluimus tamen antiquum numerum Pontificum turbare, ne lectorem quoque turbaremus.




IOANNES IX. *vulgò* x. & BENEDICTVS IIII.

IMPERIVM ad Italicã gentem translatum, laudi erit Ioanni Pontifici Romano, qui Lambertum Imperatorem dixit, ac veterem consuetudinem renouauit, ne legatis Imperatoris absentibus, qui vim & scandala in eius consecratione prohibeant, Romanus Põtifex ordinaretur. Atque hoc voluit, quia publicè intererat, vt posthac Pontifex conuenientibus Episcopis & vniuerso clero, senatu & populo expetente legeretur: idque Rauennæ in synodo Episcoporum septuaginta quatuor Ioãnes decreuit, & eorum consilio causa cognita synodum à Stephano decessore suo habitam aduersus Formosum Põtificem damnauit, cuius synodi verba in hanc historiam intexere placuit, ne vnquam putent Romani Pontifices id sibi licere quod reuera non licet, vt decessores suos ad scalas Gemonias trahi, atq; dehinc in Tyberim proiici mãdent. neque enim sum ex eorum genere quibus videntur Episcopi Romani ne peccata quidem sine laude committere, sed vindex ero rerum ab iis perperam actarum, & res nefarias egregiè vituperando damnandóque prodesse Reipubl. conabor. Verba autẽ synodi quæ magnus vir Sigonius & Italię decus libris à se ęditis nuper inseruit ex scrinio Mutinensis ecclesiæ, hæc quidem sunt. Synodũ à Stephano sexto Põtifice decessore nostro celebratam, in qua

» cadauer Formosi Pontificis è sepulchro extractū, & quasi
» ad iudicium adductum, iudicatum, atque damnatū est,
» quod nunquam aliàs factum accepimus, penitus abroga-
» mus, & ne posthac tale aliquid fiat, per spiritus sancti iudi-
» cium interdicimus. Episcopis, presbyteris, & reliquis cle-
» ricis, qui ei synodo interfuerunt, quia veniam petentes vi
» se, ac metu interfuisse cōfessi sunt, sanctæ synodi precibus
» indulgemus: cauentes, ne quis posthac Episcopis aut vim,
» aut detrimentum inferat, quominus eis liberè sententiam
» dicere liceat. Quia necessitatis causa de Portuensi ecclesia
» Formosus ob vitæ merita ad apostolicā sedem est euoca-
» tus, statuimus, ne quis in id exēplum trahat, sacris legibus
» prohibentibus. Etenim quod necessitate concessum est, id
» sublata necessitate auctoritatem nō debet habere. Ne quis
» quem de gradu ecclesiastico synodicè deturbatum, neque
» dum canonicè restitutum ad altiora prouehat, quemad-
» modum Bonifacium primùm in subdiaconatu, deinde in
» presbyteratu popularis manus euexit. Quòd si spretis san-
» ctissimorū patrū decretis, id quoquo modo tētauerit, nō
» solùm apostolico anathemate feriatur, sed Imperatoriam
» quoque indignationem experiatur: Episcopos, presbyte-
» ros, diaconos, subdiaconos, qui ab eodem Formoso pōti-
» fice ritè consecrati, temerè quorūdam libidine exaugurati
» sunt, ad proprios ordines, & gradus redigimus. Reordina-
» tiones, & rebaptizationes, & sedium mutationes, quas
» sancti patres in Africano concilio interdixerūt, & nos in-
» terdicimus. Sacram inunctionem spiritalis filij nostri Lam-
» berti in Imperatorem firmam, & ratam in perpetuum esse
» spiritu sancto suffragante decernimus. Violatores sepul-
» chri Formosi Pontificis, qui facta ad rapiendum thesaurū

conspi-

" conſpiratione corpus eius traxerunt, atque in Tyberim
" proiecerunt, niſi reſipuerint, à ſanctæ Dei eccleſiæ liminibus propulſamus. Quia ſancta Romana eccleſia moriente
" Pontifice multas patitur violentias, quod inſciente Imperatore, aut legatis eius abſentibus, Pōtifex cōſecretur, neq;
" canonico ritu miſſi ab Imperatore interſint nuncij, qui
" vim, & ſcādala in eius cōſecratione prohibeāt: Volumus,
" vt poſthac Pontifex conuenientibus Epiſcopis, & vniuerſo clero, ſenatu & populo expetente legatur: atque ita in
" conſpectu omnium celeberrimè electus ab omnibus, præſentibus legatis Imperatoris, conſecretur. Nemóque ſine
" periculo ſacramenta, aut promiſſa noua arte, ab eo audeat
" extorquere, niſi quod antiqua contineatur conſuetudine,
" ne quid ſcandali, aut detrimenti eccleſia patiatur.



LEO V. ET CHRISTOPHORVS.




LEONIS quinti Pontificatum vix attigiſſe triginta dies hiſtoriarū libris continetur: ſed ij neque patriā, neque pietatem illius, neque mores exprimūt, & hiſtoricum in eiuſmodi rebus aliquid fingere, turpe ſanè atq; indecorū eſſet. Victoriani quidē annales Leonē è preſbytero Phocēſi vrbis Epiſcopū fuiſſe referunt. Sed tu ſerue nequam, quem Chriſtophorū vocant, cùm potius Luciferū debuerint appellare, etſi eras preſbyter Cardinalis, titulúmque Damaſi præferebas; quo ore ſubditus dominū au-

des in carcerem coniicere, & contra leges humanas atque diuinas eripere Pontificatum vrbis? quamquam vltio diuina subsequuta est properè, quæ te prædonem alieni iuris in ergastula monachorũ præcipitem dedit, vt qui cum frequentissimo Senatu esse volueras, quasi Dauus in pistrinũ solus coniicereris. De hoc homine sic Leo Marsicanus in " historia Cassinẽsi. Christophorus deiectus de Papatu mo- " nachus effectus est. Sed iam tempus est veniẽdi ad quartũ librum Episcoporum vrbis, si modò dixerimus hoc interesse inter bonos malósque Pontifices, quòd boni honorant sacerdotium suum, & ab illo honorantur: mali à sacro magistratu accipiunt honorem, certè nullum ipsi afferunt.

NOMINA PONTIFICVM, QVORVM VITA EXPONITVR LIB. IIII.

Sergius III.
Anastasius III.
Lando.
Joannes X. *vulgò* XI.
Leo VI.
Stephanus VII.
Joannes XI. *vulgò* XII.
Leo VII.
Stephanus VIII.
Marinus II.
Agapetus II.
Ioannes XII. *vulgò* XIII.
Benedictus V.
Leo VIII.
Ioannes XIII. *vulgò* XIIII.
Benedictus VI.
Donnus II.
Bonifacius VII.
Benedictus VII.
Joannes XIIII. *vulgò* XV.
Ioannes XV. *vulgò* XVI.
Joannes XVI. *vulgò* XVII.
Gregorius V.
Ioannes XVII. *vulgò* XVIII.
Siluester II.
Joannes XVIII. *vulgò* XIX.
Ioannes XIX. *vulgò* XX.
Sergius IIII.
Benedictus VIII.
Ioannes XX. *vulgò* XXI.
Benedictus IX.
Siluester III.
Gregorius VI.
Clemens II.
Damasus II.
Leo IX.
Victor II.
Stephanus IX.
Benedictus X.
Nicolaus II.



LIBER QVARTVS.

SERGIVS III.



NDE quarti huius libri initium ducam? à Sergio? at hic ego loqui non audeo: erubesco enim, & historicũ erubescere indecorum est. quare tu Luitprande expone nobis, cuius impurus parens fuerit, tertius ille Sergius Romanæ vrbis Episcopus, qui tertium quoque Anasta-
„ sium antecessit. Theodora, inquis, scortum impudens hu-
„ ius Alberici qui nuper hominem exuit auia (quod dictu e-
„ tiam fœdissimum est) Romanæ ciuitatis non inuiriliter
„ Monarchiam obtinebat. Quæ diras habuit natas, Maro-
„ ziam, atque Theodorã, sibi non solùm coëquales, verùm
„ etiam Veneris exortiuo promptiores. harum vna Marozia
„ ex Papa Sergio Ioannem, qui post Ioannis Rauennatis o-
„ bitum, sanctæ Romanæ ecclesiæ obtinuit dignitatem, ne-
„ fario genuit adulterio. Ex Alberto autem Marchione Al-
„ bericum, qui nostro pòst tempore Romanæ vrbis princi-
„ patum vsurpauit. Hæc quidem Luitprandus libro secũdo
refert scripto paulò ante tertium, quem ait Francofurti prope Maguntiam cœptum fuisse, absolutum autem in Pa-

xo insula nongentis & amplius passuum millibus à Constantinopoli distita. O Roma vrbs antiqua quàm dispari domino dominaris! olim obedire Regibus vel Cōsulibus clarissimis viris, vel Imperatoribus, denique sanctissimis Pontificibus parere solita, nunc seruire cogeris impudenti scorto, ne quid acerbius dicā. Theodora enim Romæ seruientis domina, non vt lupa lac prębet Romulo & Remo, sed vt vile scortum & lena producit Sergio Mazotiam filiam, ex cóque meretrix Ioānem gignit, de quo postea dicemus. Leo autem vicesimus secundus Cassinensis Abbas priuilegium domus à Deo sibi commissæ accepit ab hoc Sergio tertio, vt Leo historicus narrat. Martini Turonensis templum à Perpetuo Turonum Episcopo olim exædificatum docet Sidonius Apollinaris epistola ad Lucantiū, & viri illius vitam scripsit Sulpitius Seuerus laudatā à Paulino & Hieronymo; tantíque nominis apud veteres fuit, vt ad id templum certatim ex orbe terræ veniretur. In concilio quidem habito Cabillini ad Ararim flumen, imperāte serenissimo atque inclito Augusto Carolo, de Romana » & Turonica peregrinatione agitur his verbis: Sunt qui- » dam potētum, qui acquirendi census gratia sub prætextu » Romani, siue Turonici itineris, multa acquirunt, multos » pauperes opprimunt, & quod sola cupiditate faciunt, ora- » tionum siue sanctorum locorum visitationis causa se face- » re affectant. Igitur Martini memoria diu celebris fuit: sed Normāni incenso templo peregrinationes illas turbarūt, » cuius calamitatis Sergius tertius meminit. Sergius Episco- » pus seruus seruorum Dei, omnibus sacerdotibus, canoni- » cis atque clericis, præsentibus & futuris, & seruiētibus sci- » licet in monasterio beatissimi Christi confessoris Martini,


» quod vocatur Turonense, & Basilicæ eiusdem sancti Martini salutem. Arcanum diuinæ dispensationis mysterium
» sollicitudini Pontificum eiusdem pietatis gratia misericorditer satagendum prouidit, dum curam fidelium populorum idem pastor pastorum pastoribus à se destinatis
» committere disposuit Petro Apostolorum principi, si diligis me, pasce oues meas. Idémque, Ecce, inquit, Sathanas
» expetiuit vos vt cribraret sicut triticū; ego autem rogaui
» pro te vt nō deficiat fides tua, & tu aliquando cōuersus cōfirma fratres tuos. Vnde, vt conuenit neq; grex dominicus
» sæuissimis luporum dilanietur morsibus, néve fluctuoso
» impauidè naufragetur procellarū turbine, pastorali tueatur mucrone, sustētetur baculo, subleuetúrque iuuamine.
» Proinde ecclesiæ sanctæ fraternitatis prouidè cōsulens, vtilitatibus sancta Romana ecclesia per Sergium eiusdem
» Apostolicæ sedis Pontificem ad multorum fidelium perducere statuit cognitionem, qualiter per missos Erberni
» sanctæ Metropolis Turonicæ Archiepiscopi, & per Roberti Abbatis Rainaldíque, atque Tetolonis monasteriū
» beatissimi confessoris Martini lugubre desolationis comperit detrimētum. Scilicet quomodo prædictus locus destructionis triste malum à Normannorum perfida gente
» pertulerit, & qualiter eiusdē classis exercitus discursus pessimi periculosa damna perpessus sit. Sed ob restaurationem eiusdem loci clerique ibidem consistentis subsidia,
» consultu fidelium suorum pietatis suæ munere princeps
» eiusdem regni Carolus auctoritatis suæ præceptum, ex rebus ipsi loco ac fratribus eiusdem congregationis specialiter pertinētibus, & in priuilegiis prædecessorum nostrorum Apostolicorū, ac præceptis orthodoxorum Regum

» nominibus propriis assignatis renouare ac facere studuit:
» vt remoti à secularibus curis & sequestrati mundialibus laqueis, cœlesti intenti militiæ, diurnæ seruituti libero corde
» possent vacare. Pastorali igitur respectu præsul antedictus
» cum collegio sacerdotum fideliúmque plurimorum, paternitatis nostræ mãsuetudini præsignatum dirigens præceptum, huius sanctæ sedis Romanæ, cui domino auctore
» deseruimus, corroborationis priuilegium pro maiori & vberiori firmitatis tenore humili supplicatione statuit spectandum: vt sacerdotali pariter & regio commissæ sibi oues munitę, tutamine inoffenso pede diuinis mãdatis possent intendere, & in his exequendis munificentiæ edicto
» simúlque votis & precibus tot fidelium annuendo statuimus, & huius sanctæ apostolicę sedis decreto firmamus: vt
» sicut eiusdem præcepti series cõtinet, institutáque sanctorum prędecessorum nostrorum apostolicorum, videlicet
» Gregorij, Leonis, Adeodati, & Adriani atq; Nicolai; præceptóque insuper Imperatorum & Regũ Caroli videlicet
» Augusti & Ludouici equidem Augusti, atque alterius Caroli dęsertissimi Augusti, euidenter ostendunt: quæ Clero
» sancti Martini Normannorum incendia specialia remansere. Scilicet vt nullus superioris aut inferioris ordinis Reipublicæ procurator in eorum ecclesiis, villis, mansionibus
» & territoriis in quibuscumque habeantur prouinciis siue
» pagis, ingredi ad causas audiendas, nec homines illorũ ingenuos vel seruos distringere aut fideiussores tollere præsumat: nec teloneum aut nautaticam exigat, & vt decimæ
» & nonæ ex eorum omnibus rebus absque aliqua præsulum principúmque contradictione hospitali eorum nobiliúmque pauperum integerrimè reddatur: quicquídque

„ insuper vtilitatis illorum, alia priuilegia Apostolicorum
„ & præsulum præceptáque retinēt Imperatorū & Regum,
„ & præbendas permissu ac voluntate præfati domini Ro-
„ berti proprij Abbatis à Carolo nunc Rege per præceptū
„ concessas: ita in reliquum eiusdem loci Decanus, sacerdo-
„ tes, ac Clerus ipsius monasterij, sub pręfato tali iure res om-
„ nes sibi Regum munere, aliorúmque Christi fideliū mer-
„ cede concessas, & in reliquum cōcedendas, cum vniuersi-
„ tate suorum appendicium perpetuò possideant integerri-
„ mè, ita vt suprà signauimus, nullius potestatis vir quicquā
„ de eorum dominio, vel possessione præsumat auferre. In
„ quo misericordiarum suarum Regum dignitas beneficia
„ fratribus in eodem cœnobio beati Martini morantibus
„ largiri disposuit. Qui autem huius constitutionis institu-
„ tum irrumpere, aut qualibet præsumptione vel occasione
„ tentauerit euertere, vel de decimis eorum potestati per le-
„ gitimos annos subditis, perpetuæ damnationis cumulum
„ cum sanctæ legis præuaricatoribus se nouerit perferre, ni-
„ si digna satisfactione correxerit, quod temeraria cupidita-
„ te temptauerit. Potestate igitur in beato Petro Aposto-
„ lorum principe nobis concessa à domino ligandi & soluē-
„ di, ita eo dicente quæcūq; ligaueris super terram, erunt li-
„ gata & in cœlis; & quæcūq; solueris super terram, erūt so-
„ luta & in cœlis: virtutis huius cōfidētia nitentes, cœli aditū
„ cupiditatis suæ malitia obice claudimus sub anathematis
„ vinculo, qui huic per necessario beneficio in subtractione
„ collatarum rerum & honorum consentiens aut coopera-
„ tor affuerit, nisi, vt præmisimus, diuino fretus auxilio cor-
„ rectionis munere resipuerit, inuasa restituerit, ac neglecta
„ satisfecerit. Huius autem definitionis & apostolicæ de-

terminationis

» terminationis sententiam inuiolabiliter cunctis fidelibus
» quæsumus obseruãdã. Quæ vt certius credatur, & inrefra-
» gabiliter obseruetur, manus propriæ subscriptione adno-
» tare curauimus, perpetímque manendam statuimus. Scri-
» ptum per manum Leonis archiscrinij sanctæ Romanæ ec-
» clesiæ in mense Maio indictione vndecima. Bene valete
» vice sancti Petri apostolorum principis. Sergius tertius Pa-
» pa, Carolo filio Ludouici filij Caroli Calui rege Francorũ.
Quod quidem Sergij rescriptum egomet ex chartario ecclesiæ Martini apud Turones exscribendum curaui, tam propter quorũdam Regum nostrorum elogia & summorum Pontificum mentionem, qui Sergium præcesserant, quàm ob illam insignem ab immiti Normãnorum gente illatam Turonibus calamitatem.




ANASTASIVS III.



NASTASIVM verò Sergij successorem, qui modestiam & integritatem vitæ amauit, sedisse annis duobus in Victoriano Annali reperio. Hic Anastasij retrò Pontificis Romani nomen habuit, & magnarum virtutum præclaras opes quæ illum debent magnopere posteritati commendare: vt in memoria viuorum sit posita recordatio eius, quem probum sanè & prudentem virum fuisse illius temporis Annales tradũt. Ac nescio quo pacto veteres historiarum scriptores nimium pauca de bonis E-

piſcopis, de malis nimium multa narrauerint, niſi id Deus permiſer t vt poſteri vitioſorum exemplo ſibi propoſito à rebus nefariis arcerentur.



LANDO, IOANNES X. *vulgò* XI.



Vis hoc nomen vt videtur barbarũ ad Pontificatum primus attulit? Lãdo patria Romanus, & ſi mutandi nominis cuiquam occaſio fuit, huic certè fuit, qui tamen minimè mutandum cenſuit: nondum enim hic mos inualuerat quem ſubſecutæ ætates admiſerũt. Qui parẽtes eius, qui amici, vel propinqui fuerint, aut quid rerum geſſerit, profectò adhuc incertum eſt: certum tamẽ eum ſeptimo Pontificatus menſe deceſſiſſe, ac locum feciſſe Ioanni Rauennæ antiſtiti: Is verò quibus artibus & quàm impunè ad ſummam in vrbe dignitatẽ peruenerit, nolo ipſe dicere, placétque Luitprandi ſinceri ſcriptoris opem implorare. in re enim tam lubrica mutum eſſe nulla mihi eſſet gloria. Quo tempore, inquit, venerandæ » Romanæ ſedis Ioannes Rauennas ſummũ Põtificatum te- » nebat: hic autem tam nefando ſcelere contra ius fáſque » Pontificiũ culmẽ obtinuit. Theodora ſcortum impudens » huius Alberici qui nuper hominem exuit auia (quod dictu » etiam fœdiſſimũ eſt) Romanæ ciuitatis nõ inuiriliter mo- » narchiam obtinebat. Quæ diras habuit natas Maroziam » atque Theodorã, ſibi nõ ſolũ coæquales, verùm etiam Ve-


» neris exortiuo promptiores. Harum vna Marozia ex Papa
» Sergio, cuius suprà fecimus mẽtionem, Ioannem qui post
» Ioannis Rauennatis obitum sanctæ Romanæ ecclesiæ ob-
» tinuit dignitatem, nefario genuit adulterio. Ex Alberto
» autem Marchione Albericum, qui nostro pòst tempore
» Romanæ vrbis principatum vsurpauit, per idem tempus
» Rauennatis sedis, secundus qui post Romanum archie-
» reum archipræsulatus habebatur, Petrus Pontificatum te-
» nebat. Qui dum subiectionis officio debitæ nominatum
» Ioannem Papam qui suæ minister ecclesiæ tunc temporis
» habebatur, Romam sæpius & iterum domino dirigeret
» Papæ: Theodora, vt testatur vita, meretrix eius impuden-
» tissima, Veneris calore succensa, in huius speciei decorem
» vehementer exarsit: secúmque hunc scortari non solùm
» voluit, verùmetiam atque etiam pòst compulit. Hęc dum
» impudenter aguntur, Bononiensis Episcopus moritur: &
» Ioannes iste loco eius eligitur. Paulò post ante huius diem
» consecrationis nominatus Rauennas archiepiscopus mor-
» tem obiit: locúmque eius Ioannes Theodoræ instinctu
» priore Bononiensi ecclesia deserta ambitionis spiritu infla-
» tus contra sanctorum patrum instituta sibi vsurpauit. Ro-
» mam quippe adueniens mox Rauennatis ecclesiæ ordina-
» tur Episcopus. Hac re cognita Pontifex Landulphum Be-
» neuentanorum & Capuanorum principem consulit, quid
» facto opus sit ad excursiones huiusmodi reprimendas. Ille
» mouet Imperatorem Græcorum esse rogandum, vt quia
» Calabriam inter cætera tunc possidebat, suppetias aduer-
» sus Afros ferret copiæ illæ: cùm ad ostium Lyris peruenis-
» sent Ioannem ipsum cum Landulphi & Camerinorũ Spo-
» letanorúmque auxiliis paratissimum inuenere: at Barbari

Gareliani montis verticem occupāt, ſed fruſtrà. Italorum enim Græcorúmque tanta diligentia fuit, vt ne vnus quidem hoſtiū potuerit euadere. Cuius expeditionis Luitprādum habeo teſtē. At quem Pōtifex habuerit exitum vitę,
» quámque funeſtum dignúmque anteacta vita, idem ſcri-
» ptor in hunc modum tradit cap. XII. lib. III. Vuido interea
» Tuſciæ prouinciæ Marchio cum Marozia vxore de Ioan-
» nis Papæ deiectione cœpit vehemēter tractare: atque hoc
» propter inuidiam quam in Petrum fratrem Papæ habeant.
» Quoniam quidem illum Papa quaſi fratrem propriū ho-
» norabat. Contigit itáque Petro Romæ degente Vuidonē
» clam multos habuiſſe milites congregatos. Cúmque die
» quadam Papa cum fratre paucíſque aliis in Lateranenſi pa-
» latio eſſet, Vuidonis & Marozię milites ſuper eos irruētes,
» Petrum fratrem ipſius inter oculos interfecerunt: eundem
» verò Papam comprehendentes cuſtodiæ manciparunt, in
» qua non multo poſt defunctus eſt. Aiunt enim quòd cer-
» uical ſuper os eius poſuerint, ſicquè eum peſſimè ſuffoca-
» rint. Quo mortuo ipſum Maroziæ filium nomine Ioan-
» nem, quem ex Sergio Papa meretrix ipſa genuerat, Pa-
» pam cōſtituunt. Hactenus Luitprandus, cuius teſtimonio non vtor, niſi quia veram narrationem rerum præteritarū omittere turpe eſſet hiſtoriam ſcribenti. nemo enim exiſtimet Pōtificiæ ſedis odio hæc à nobis & ſimilia narrari. Vtinam enim vitioſi Pontifices nulli vnquam fuiſſent, id enim optandum eſſet: ſed cùm fuerint, & res vitioſas gerere eos nō puduit, quid eſt quòd hiſtoricum pudeat, illas vt euenerunt narrare; imitaríque pictores, qui effingere rem propoſitam ſolent, tanta induſtria vt queri non poſſit ab iis aliquid omiſſum?



LEO VI. & STEPANVS VII.

LEO In Cassinensi historia, pulso, inquit, à Romanis Ioanne qui apostolicam inuaserat sedem, Leo sextus ordinatus est Pontifex: & cùm incidisset in mentionem Adalperti abbatis Cassinensis, Fuit, inquit tẽporibus Stephani Papæ septimi, & Ioannis qui filius fuit Sergij Papæ. Itáque Leonis & Stephani nomina tantùm scimus. At Pontificatum breuissimi temporis vtrique necesse est fuisse. nam ad annum nongentesimum vicesimum octauum Ioannem Maroziæ filium iam sedisse video in annali Frodoardi presbyteri & Canonici Remẽsis, quem orditur ab anno nongẽtesimo decimo octauo. Itaque Ioannes ille infœlix mancipiũ Veneris, & Theodoræ seruus, fœdo vitæ exitu omnem anteactam vitam magis dedecorauit; vt posteri discerent qua via ad summum sacerdotium peruenire oporteat. non enim Pontificem esse satis est, nisi innoxius & insons ad id sacerdotium accesseris, aut nisi ad sanitatem animi maturè redeas.




IOANNES XI. *vulgò* XII.



ENENVM in Romanam ecclesiam infusum est, cùm meretricis filius ex Sergio nōdum Pontifice Romano ad summum sacerdotium ascendit. Vido Tusciæ prouinciæ Marchio maritus illius meretriculæ fuerat: eo mortuo Hugonem Regem Longobardorum ad se Romam euocat, eíque nubit, ipsi verò erat filius Albericus, eo Alberico Marchione genitus. is priuignum suum cùm irritasset, Romanorū conspiratione Roma exactus est, & summam rerum Mazotia cum Alberici filio imposterum tenere cœpit. Tunc temporis afflicta erat Regia Francorum, afflicta Hispania, miserriméque vexata, afflicta Italia, ipséque orbis terræ in deteriore statu vix vnquam fuit, siue Pontifices Romanos spectes, siue omnium regnorū principes, exceptis Mahometanæ sectæ tyrannis, qui orbem populabantur, ídque superi & fata Christianis delictis irata patiebātur. Nihil tamen impij hic Ioannes fecisse traditur (interdum enim accidit vt dānato coitu geniti legitimis ipsis meliores sint) sed à suis miserrimè vexatus est: ad annum enim nongen-
» tesimum vicesimum octauum, Frodoardus narrat Heri-
» berti legatos Roma reuersos nunciasse Iōannem à Vidone
» fratre Hugonis Regis propter simultatem quandam inter
» eos exortam, coniectum in carcerem: & Carolus quidem
» Francorum Rex anno nongentesimo vicesimo nono,
» vitam humana iucundiorem accepit à Deo: co-

démque Ioannes, qui pro eo interceſſerat apud crudelem Heribertum excedit è vita. Quibus de rebus teſtimoniū eiuſdem ſcriptoris ne qua dubitatio exoriatur, placet hic adiicere. Ioannes Papa dum à quadam potenti fœmina cognomine Mazotia principatu priuatus ſub cuſtodia detineretur, vt quidam vi, vt plures aſtruunt, coactus angore defungitur: Carolus quoque Rex apud Peronam obiit. Hæc ille ad annum nongenteſimum viceſimum nonum. Atque hic libet fateri quod negari non poteſt, huius Pontificis & Ioannis, cui ſucceſſiſſe Leonem & Stephanum ſuprà diximus, narrationē obſcuriſſimā videri: quia pauci illius temporis hiſtorici ſuperſunt, quorū teſtimonio vti, & rem explicatu difficilem ponere in omnium mortalium oculis perſpicuéque tradere poſſimus. Itáque quod fieri ſolet in obſcuris, id quod communius eſt in hoc Pontifice explicando ſecuti ſumus.




LEO VII. & STEPHANVS VIII.



HANC hiſtoriam è difficillima omnium facillimam reddēt hæc pauciſſima Frodoardi verba: Ioanne Alberici fratre defuncto, Leo quidam Dei ſeruus Romę Papa conſtituitur. Hæc ille ſcriptor ad annum nongenteſimum triceſimum ſextū tradit, ibidémque refert eodem anno cùm Hugo Rex Italię Romam obſediſſet, ab obſidione tandem deſtitiſſe, pactúmque pacem cum Alberico

ac filiam ei suam in matrimoniũ dedisse, ab illóque anno progreditur ad annum quadragesimum secundum, nulla Leonis amplius mentione facta. Deinde de Stephano Papa incipit dicere: Hic enim Stephanus legatum in Galliam misit Damasum cum literis apostolicę sedis ad principes Regni, cunctósque Franciæ & Burgundiæ incolas, vt Ludouicũ Caroli Simplicis filium in Regem accipiant. quod si facere neglexerint, deseruerintq; hæredem regni, & eum amplius hostili gladio fuerint persecuti, sciant anathematis sententiam in se depromptum iri. Atque hic Pontifex in Germania natus & omni literarum genere excultus dicitur, pacis studia bellis præferens, in ciuili tamen seditione vulneribus turpiter fœdatus, vt diu in publicum prodire propter deformitatem noluerit. Quia ecclesiasticos viros, præsertim sacerdotes, oris deformitas cõtemnere facit. Neque illud prætereundum existimo, ab electoribus Pontificum siue casu, siue industria neminem vnquam ad summum sacerdotium vocatum esse, qui vel luscus, vel claudus, vel gibberosus esset, vel qui minimam deformitatis notam haberet.




MARINVS II. & AGAPETVS II.



Dem quoque Annalium scriptor Frodoardus ad annum nongentesimum quadragesimum sextum ait Marinum Papam decessisse, & pacem inter Albericum Patricium & Hugonem Regem Italiæ confirmatam. Præfectus Cassinensis à Marino Romam euocatus est, eíque monasterium sancti Pauli cōmissum: cui rei fidem facit Leo insignis historicus. Agapetus autem Marino successit, hic rursus Marinum Episcopum apostolicæ sedis vicarium ad Othonem misit, mandauítque Germaniç Episcopis, vt synodo interessent, quæ apud Engilinum palatium Regium in ecclesia diui Remigij celebranda erat illo anno septimo Idus Iun. propter dissensiones quæ agitabantur inter Regem Ludouicum & Hugonem principem Francorū, Episcopi ex Gallia Germaniáque ad viginti nouem conuenere, quorum sententia duo Hugones dānati sunt, is cuius nomē attigimus, alter Remorū sedi impositus, procurāte Heriberto patre Veromanduorum Comite. Postea anno nongentesimo quadragesimo nono Agapetus Synodum habuit Romç in Basilica sancti Petri, in qua damnationē Hugonum confirmauit, eiecítque è piorum numero Hugonem illum genere illustrē, donec Ludouico Regi satisfactum esset. Apostolicæ enim sedi hoc in more fuit ab afflictis Regibus stare, & causam miserorū plerumque suam facere. Hæc Frodoardus in annali. Agape-

ti quoque mentionem factam video à Saxone Grammatico diserto facundóque scriptore historiæ Danicæ lib. nono: Frolho, inquit, priuatam salutem suam in publicum exuberare cupiẽs, ab Agapeto qui tunc ciuitatis Romanę sacris prçerat, Daniam diuinitus erudiri petiuit: quod antequam votis exequeretur, absumptus est, nam fatis suis ROmanæ legationis præcucurrit aduentum. Hæc vir eloquẽs de Agapeto tradit.



IOANNES XII. *vulgò* XIII.



OPEM à te primum Frodoarde petimus in vita Ioannis huius explicanda: antiquior enim es Cedreno, Curopalate, & Rosuita Saxonici generis puella, quæ
» de Othone primo pulchrum poëma ę/
» didit. Alberico, inquis, patricio Roma-
» norum defuncto filius ei Octauianus
» cùm esset Clericus, & postea defuncto Agapeto suggeren-
» tibus sibi Romanis Papa vrbis efficitur. Hæc nobis ad annum nongentesimum quinquagesimum quartum Frodoarde narras. Ergo constat Octauianum primò dictum, qui postea Ioannis in pontificatu nomen amplexus est, Hermanni Contracti veteris historici id quoque verba
» significant. Otho Rex ab Octauiano Ioanne Papa Impe-
» rator ordinatur. Binomius igitur hic Episcopus fuit, quẽ morem Itali adhuc seruant. Marci enim Antonij, Ioannis Pauli, & similia his nomina infantibus imponere solent,


Cedrenus autem & Curopalates nihil quidem de nomine tradunt, & tamen referunt Ioannem ipsum fuisse Alberici
" filium: nam Cedreni hæc sunt verba, Romanæ ecclesiæ
" præfectus erat Ioannes Alberici filius, homo ad omnem
" lasciuiam ac malum propensus, quem Otho Imperator ex-
" pulit, aliúmque ecclesiæ pastorem cōstituit. Et Curopalatès Cedreno posterior, idem quoque scribit. Quid puella illa, quam in Saxonia floruisse diximus, in historia Othonis, nónne ita loquitur de Ioanne?

" *Summum Pontificem quædam peruersa patrantem,*
" *Eius nec monitis dignantem credere crebris,*
" *Sedis Apostolicæ fraudari fecit honore,*
" *Constituens alium rectoris nomine dignum.*

Restat Luitprandus Ticinensis, cuius meritò in hac deiectione Ioannis, testimonium sequemur. illis enim temporibus se ipse vixisse testatur initio libri quarti, idémque libro sexto rerum gestarúm per Europam rem totam, id est, Othonis in Italiam aduentum apparatúmque Romanorum & coronationem à Ioanne Pontifice factam, crimina, illi obiecta, synodum Romæ habitam, Episcoporum Italiæ Germaniæque qui illum non immeritò (vt videtur) exauthorandum cēsuerunt, depulsionémque eius à summi sacerdotij possessione, ordine prosequitur. Et quia nimis prolixa sunt, ne hic liber in immensum crescat, ea nolumus inserere, sed lectorem Christianum monemus vt ex ipso fonte seriem rei petat. Synodus autem illa est quasi formula exauthorandi Pontificis Romani, cùm iratus illi Deus hoc fieri sinet. Cæterùm idem auctor, primus omnium est, apud quem in conuentu Romano præsente Othone facto enumerantur sedis Romanæ

» ministri in hunc modum. Stephanus Cardinalis Archipre-
» sbyter titulo Balbinæ, Dominicus titulo Anastasiæ, Petrus
» titulo Damasi, Theophilactus titulo Chrysogoni, Ioan-
» nes titulo Equitij, Ioannes titulo Susannæ, Petrus titulo
» Pammachij, Adrianus titulo Calixti, Ioannes titulo Ceci-
» liæ, Adrianus titulo Luciniæ, Benedictus titulo Sixti,
» Ioannes titulo quatuor coronatorum, Stephanus titulo
» Sabinæ, Benedictus Cardinalis Archidiaconus, Ioannes
» Diaconus, Bonofilius Diaconus Cardinalis Primicerius,
» Georgius Secundicerius, Stephanus Adminiculator, An-
» dreas Archarius, Sergius Primicerius defensorum, Ioãnes
» Sacellarius, Stephanus, Theophilactus, Adrianus, Stepha-
» nus, Benedictus, Azo, Adrianus, Romanus, Leo, Benedi-
» ctus. Item Leo & Leo scriniarij. Leo primicerius scholæ
» cantorum. Benedictus subdiaconus & oblationarius. Azo,
» Benedictus, Demetrius, Ioannes, Amicus, Sergius, Bene-
» dictus, Vrso, Ioannes, Benedictus subdiaconus Subpul-
» mentarius, & Stephanus Archiacolytus, cum omnibus a-
» colytis & regionariis. Cæterùm etsi Ioannes parùm inte-
grè honestéque viuebat, eámque eius depellendi causam Othoni fuisse perspicimus, tamen ex libro sexto Othonis Frisingensis, qui Friderico primo Cæsare vixit, operæpretium est narrare quam ob causam Pontificem gradu deiici curauerit. Narrat anno à partu virginis nongentesimo sexagesimo Ioannem Diaconum & Azonem Scriniarium à sede Apostolica missos ad Othonem fuisse questum de tyrannide Berengarij, vtque ad defensionem sanctæ Romanę ecclesiæ ac totius Italię inuitarent. Itáque Othonem profectum in Italiam cum exercitu, Albertúmque Berengarij filium cum Ioanne Romano Pontifice ita egisse, vt

eum in partes suas traxerit. idcirco vrbem Romam ab eo obsessam ciuibus metu perculsis, quorum pars cum Pōtifice fugit, pars deditionē Othoni fecit: qui missa legatione vt Ioannē reuocaret: cúmque is venire noluisset, collecta Episcoporum synodo Leonem ei in Pontificatu substitutum. Ex qua narratione planè colligimus Ioannem non tam ob anteactam vitam, quàm quòd ad Berengarium atque Albertum defecisset, Pontificatu exutum.




BENEDICTVS V. & LEO VIII.



VAM non immeritò Ioannes loco deiectus est, qui teste Gratiano pactus erat si Otho in Italiam veniret, se Pōtificis dignitate exutum non iri. quod genus pactionis contra bonos mores & contra ecclesiasticæ disciplinæ securitatem erat. (nihil enim reformidat aduersi, qui se pium & innocētē sub Dei metu scit viuere.) Itáque Othonem oblitum datæ fidei, præstitíque iuris iurandi immemorem licet fuisse constet, id tamē pietati potius tribuendum puto, quàm vlli crimini. Ioannem enim grauissima Episcoporum testimonia plurimorum criminum dilucidè atque apertè cōuincebant, ipsiúsque absentis contumacia odiosa Cæsari visa est. Verùm qua ratione Leo Protoscriniarius pulso Ioanne electus fuerit, & quomodo Benedictus eiusdem Romanæ sedis Scriniarius populari manu subrogatus suffectúsque in Leonis locū, præ-


ſtat ex Luitprando ſyncero harum rerum teſte peti, cui accedit elegans teſtimonium Frodoardi ad annum nongẽteſimum ſexageſimum quintum in hæc verba; Otho qui
" Romę Octauiano Papa à quo fuerat ſuſceptus, & ad Impe-
" rij regenda gubernacula benedictus, ab vrbe digreſſo, &
" ſæpe illum reuocante Imperatore, à quo quia de irreligio-
" ſitate ſua corripiebatur, reuerti nolente, congregata ſyno-
" do illuſtrem quendam eiuſdem eccleſiæ clericum per ele-
" ctionem Romanorum Papam ordinari fecit. Sed eo Papiã
" ingrediente Octauianus à Romanis recipitur, nec multò
" pòſt vita deceſſit. Leone verò cum Imperatore demorãte
" Papiæ, Romani quẽdam Benedictum ipſius eccleſiæ ſcri-
" niarium eligunt, atque Pontificem ſibi ordinari faciunt,
" qui in Leonis electione conſenſerat, & eidem ſubditus ex-
" titerat. Imperator Otho Romam reuerſus conuocata ma-
" gna ſynodo Leonem in ſede ſua reſtituit, Benedictum E-
" piſcopum totius ſynodi iudicio exauctoratum ſecum ab-
" duxit in Saxoniam. At neſcio quo pacto Ioanni Bocatio, viro doctiſſimo, qui Petrarchæ temporibus floruit, venerit in mentem Ioannes duodecimus, deiectióque eius & Leonis ſubrogatio, quem ſumma virtute conſpicuum fuiſſe dicit in libello de viris illuſtribus à ſe ædito. Quo loco cùm Ioannem duodecimum dicat, quem alioqui decimum tertium dicere debuiſſet, indicare voluit fœminam illam, quæ inter Leonem quartum ac Benedictũ tertium ab ignobili ſcriptorum grege vulgò ponitur, numquam fuiſſe in rerum natura.



IOANNES XIII. *vulgò* XIIII.




EXACTO in pontificatu vrbis vix anno vno, Leo Ioanni Narnienſi Epiſcopo locum fecit. Qui impetus veſter eſt Romani, vt vix delectum & poſſeſſioni Epiſcopatus ſui incumbentem capere, coniiceréque in carcerem & in exilium mittere auderetis: riuuli tenues ex ſuo fonte oriuntur. Vnde ergo iſti torrentes, vnde iræ, vnde impetus? in peiore loco, quàm tunc fuit, Romana eccleſia eſſe non poteſt. adeo enim inſolentia populi Romani excreuerat, vt nō niſi quem vellēt & quamdiu vellent Epiſcopum haberent. Sed Deus miſeriarum eccleſiæ ſuæ ſolus remedium eſt. Igitur inclitum genus Othonum è Germania in Italiam Romámque ipſam adducit, Cōſules punit, plebémque & factioſos ciues pœnis afficit: Epiſcopo vrbi reſtituto, vt in ſemel ſuſcepta cura pro grege domini excubaret, & ſanctitatem vita atque exemplo præberet: Verùm reſtituto intra breuiſſimū tempus, cœlites vitam ademere, daturi profectò longiorem, non ſi optaſſet diutius viuere, vota enim illa vt vana atque inutilia reſpuunt, ſed ſi ex vſu & reipublicæ commodo fore perſpexiſſent.



BENEDICTVS VI.




O Miserrimos hominum Romanos! Benedictum enim à vobis delectum, promotúmque ad Episcopatum vrbis, passi estis à Cinthio ciue vestro coniici in Adriani molem, atque ibi indemnatum strangulari, vt plurimi auctores tradidere. Sed siue nocẽtem suffocari siuistis, siue pium atque insontem, sanè dedecorastis vrbem vestram, quæ iuris ciuilis domina olim fuit. neque enim hominem indemnatum leges occidi volũt: neque damnari à Cinthio Pontificem Romanũ, æquum fuit, eiúsque rei omnis in vobis hæret culpa Romani, Cinthij serui potius quàm Benedicti Episcopi vestri, pro cuius salute mori vos oportuit, potius quàm tantam ignominiã pati. Anno vno & aliquãto amplius sedisse dicitur, nec Othonis cognomento Rufi virtus infœlicem Episcopum iuuare aduersus inimicum potuit. Hic est ille Otho, ad quem Rhosuita incliti nominis puella supra sexum suum, serium poëma, vel historiam potius Othonis primi Cæsari scribit, & qui tanti viri filius anno nongentesimo octuagesimo tertio magno collecto exercitu cum Saracenis in Calabria infœliciter pugnauit, reuersúsque Romam ad instaurandas copias defunctus est, atque in labro porphyretico sepultus in atrio basilicæ Apostoli Petri, filiúsque eius Otho tertius suscepit imperium, vt Leo Ostiensis in illa nunquam satis laudata historia perspicuè exponit.



DONVS II. & BONIFACIVS VII.



D Donum venio, cuius nomen mihi adhuc ignotū est: etsi Donnionis vocem apud Rufinum reperio, & Donidij apud Sidonium, & Donnum inter Antiochenos Pontifices à Nicephoro Constantinopolitano numerari video. Hoc tantùm scio, hunc Pium Pōtificem patria Romanum breuissimo tempore honorem illum gessisse, illi enim tribuitur annus dūtaxat vnus, menses sex, dies vnus. Bonifacium postea promotū ad summi sacerdotij dignitatem referunt, nec in sede illa fuisse supra quadraginta dies, quæ temporis angustia, nobis quoque breuitatem imperat. Neque enim Platinam sequimur. hūc Pontificem sacrilegij damnantem, quia nihil de illo apud eius ætatis scriptores reperi, nec ipse laudat auctorem.




BENEDICTVS VII.



EONEM historicum loquentem audiamus. Benedicto Papa sexto defuncto, inquit, Benedictus septimus propinquus Alberici, Consulis Romani, ad Apostolicam sedem deligitur. Hunc quidem qualis fuerit difficillimum est dicere in tanta tēporum illorum obscuritate, nec est quisquam

quem sequi malim, quàm exactissimũ scriptorem Italum in vitis Episcoporum vrbis. qui certè liber falsò tribuitur Petrarchæ, est tamen alicuius præstantissimi viri, qui quidem illum & Romanum fuisse prædicat, & in pontificatu ferè decennium transegisse. Nolo tamen prętereire locum insignem ex libro secundo Chronicorum Ditmari Episcopi Mersepurgij, qui scripsit in Germania, ab Othonis secundi Imperio vsque ad annum millesimum decimum octauum, quo se viuere testatur: Romanorum, inquit, præpotens Otho secundus valentiorem sibi in Christo dominum Apostolicum nomine Benedictum, quem nullus absque Deo iudicare potuit, iniustè vt spero accusatum deponi cõsensit: & quod vtinam non fecisset, exilio ad Hammaburg relegari præcepit. Eodémque libro, Anno, ait, dominicæ incarnationis nõgentesimo sexagesimo tertio ob depositionem suprà memoratam Benedicti Papæ, & exilium quo moritur, sæua mortalitas Imperatoris exercitum subsequitur, quæ Henricum Treuerensem Archiepiscopum & ducem Godofredum cum cæteris innumerabilibus consumpsit. Nec multo pòst sub Ioãne successore, septimo idus Decemb. nongẽtesimo octuagesimo tertio Cæsar excessit è vita. Hactenus de Benedicto Ditmarus: cuius scriptoris hæc quoque sunt, & libro quarto continentur. Obiit in exilio Benedictus Pontifex, ossáque eius Romam sunt relata.



IOANNES XIIII. ⎫ XV.
IOANNES XV. ⎬ *vulgò* XVI.
IOANNES XVI. ⎭ XVII.



ARCI euangeliſtæ vnus tantùm Marcus Romanæ vrbis Pontifex cognominis fuit. At Ioannis qui idem euangelicę lucis ſũmus præco extitit,plurimi iam Pontifices maximi nomen ſúpſere,tres quidem Benedicti ſucceſſores hoc illuſtre nomen ſecum attulere. Cæterùm vltimus multo fœlicior fuit duobus anteceſſoribus ſuis,quorum vtrique Ioanni nomen. Alter enim cui priorem locum damus, poſt ſextum in Epiſcopatu actum menſem à Creſcentio cõſule obſeſſus Romæ in Adriani mole moritur, & in Vaticano ſepelitur.Hũc Pontificem ~~crudeliſſimum~~ fuiſſe,& multorum librorum auctorem,ex vetuſto Epiſcoporum vrbis catalogo didici,quem ex veſtiario Viẽnenſis eccleſiæ ad me miſſum habeo. Ioãnes verò decimus quintus quarto menſe Pontificatus ſui exceſſit è vita,eiúſque beneficio in Caſſinenſem domum Leo hiſtoricus breuiſſimè tradit. His autẽ Põtificibus ſucceſſit tertius Ioannes,idémque patria Romanus, & quem illam dignitatem aiũt exercuiſſe annis ferè vndecim,vt me quoque abſtinere à lõgiori oratione oporteat,cùm de Põtificibus dicere non poſſim, qui vel ipſi nihil geſſere, vel quorum neſcitur hiſtoria.

GREGORIVS V. & IOANNES XVII. *vulgò* XVIII.




ORVM Pontificum vitas iungimus, quòd ſine altero alter intelligi non poſſit: adeo plerumque perſonarum facta réſque geſtæ mutuò cohærent. ac Brunoni quidem Gregorio quinto nomen fuit. Hic Othonis ex Iuditha filius cũ iuuenis eſſet decorúſque vultu, & oculis, vt elogiũ eius in templo D. Petri apud Vaticanum teſtatur, ad apoſtolicam ſedem euectus eſt. Qua de re huiuſmodi teſtimonium lib. 4. Ditmari reperio: Otho, " inquit, Romam veniens glorioſè nepotem ſuum Bruno- " nem Othonis filium ducis, in bello Ioannis Papæ nuper " defuncti cũ omniũ laude præſentium conſtituit. Idémq; " auctor paulo poſt Gregorius, inquit, benè diſpoſitis Romę " omnibus ſecũdo non. Febr. obiit, Gerberto ſibi mox ſuc- " cedente. Sed quia Saxonem fuiſſe Gregorium literarum monimentis proditum eſt, atque Othoni tertio Cæſari chariſſimũ, eiúſque opera præſertim electum à Romanis ad ſummi ſacerdotij dignitatẽ, mirum eſt abſente Cæſare tantùm potuiſſe Creſcẽtium callido ingenio atque rapaci, vt pecunia Ioannis decimi ſexti, quem Placentinum Epiſcopum teſtimonio veterum ſcriptorũ fuiſſe didicimus, victus atque ſuperatus omnem honeſti viri & Romani ciuis exiſtimationem abiicere voluerit, ac ſede deturbare Gregorium legitimis comitiis electum. Malorum homi-

num intolerabilis arrogantia est. Otho tertius, cuius intererat affinem suum non contemni, in Italiam cum exercitu proficiscitur, captóque Crescẽtio vltimum ei suppliciũ infligi mandat, vt Romani imposterũ metu pœnæ atque exemplo terrerentur. Quid verò acciderit Ioanni docemur à Petrarcha, & ante eum à Ricordano genere Hetrusco. is enim exauthoratus Othonis imperio cæcatúsq; est: nec pecunia Pontificatum, nec Pontificatus charissimum illi lumen seruauit. Cæterùm placet hic apponere elegans testimonium Glabri cognomento Rodulphi. is namq; de Crescẽtij supplicio multò quàm alij certius, fuit enim antiquior, edisserit: Obiit Otho relinquẽs filium Othonem, videlicet tertium, adolescentem tamẽ ferè duodecim annorum, qui vt erat iuuẽculus, acer tamen viribus & ingenio, suscepit iure paterno regimen Imperij. Contigit igitur Imperij illius initio, vt sedes apostolica vrbis Romæ proprio viduaretur Pontifice: ipse verò illico Imperiali visus præcepto quendam suum consanguineum cuiusdam ducis filium delegit, atque ex more in sede apostolica sublimari mandauit. quod vbique dum sine mora peractũ fuisset, pergrãdis calamitatis occasio extitit. erat enim quidam Crescentius Romanorum ciuis præpotens, qui vt illorum mos est, quantum onerosior pecunia, tantùm pronius seruiit auaritię. Hic autem non planè parti fauebat Othonis: nam ipsum Pontificẽ, quem, vt diximus, ordinari Otho iusserat, idem Crescentius destitutũ honore à sede expulit, alterúmq; procaciter in eius loco subrogauit. Sed mox vt Otho hoc factum comperit, ira accẽsus cum permaximo exercitu Romam properauit. Quod cùm cognouisset Crescentius, illum scilicet vrbi propinquare, cõscen-

» dens cum ſuis turrim quæ ſita eſt extra ciuitatem trans Ty-
» berim ob altitudinem ſui, inter cœlos vocatã, vallauit eã
» defenſurus pro vita. Tandem cùm perueniſſet Imperator
» ad vrbem primitus iuſſit comprehendere illum male ſecu-
» rum Pontificem, videlicet Creſcentij arrogantia conſtitu-
» tum comprehenſúmque præcepit eius manus quaſi ſacri-
» legas amputari, deinde verò aures abſcindi, atque ocu-
» los expelli. Poſt hæc comperiens Creſcentium turri val-
» latum, quæ ſcilicet poſt illum crudeli erat reddıtura neci,
» præcepit eũdem circundari denſa obſidione ſui exercitus:
» ne videlicet Creſcentio quoquo modo locus daretur con-
» fugij. Interea iubẽte Imperatore conſtruũtur in gyro ma-
» chinæ ex lignis celſarum abietum, nimirũ artificioſè cõ-
» poſitę. Cernens quoque Creſcentius nullã poſſe euaden-
» di viam reperire, licet tardius pœnitudinis adinuenit cõſi-
» lium, non tamẽ ei præſtitit miſerendi aditum. Quadam i-
» gitur die quibuſdam de Imperatoris exercitu conſentien-
» tibus egrediens latenter Creſcentius de turre, ſcilicet birro
» indutus & operto capite, veniénſque improuiſus corruit
» ad Imperatoris pedes, orans ſe ab Imperatoris pietate
» vitæ ſeruari. Quem cùm reſpexiſſet Imperator, conuerſus
» ad ſuos vt erat amaro animo dixit: Cur inquiens, Romano-
» rum principem Imperatorum decretorem datorémque
» legum atque ordinatorem Pontificum intrare ſiuiſtis
» mapalia Saxonum? Nũc quoque reducite eum ad thronũ
» ſuæ ſublimitatis, donec eius honori condignam videlicet
» præparemus ſuſceptionem. qui ſuſcipientes illum ſcilicet
» vt iuſſum fuerat illæſum reduxerunt ad turris introitum:
» ingreſſúſque nunciauit ſecum pariter recluſis, quoniam
» ſolummodo tantùm cõtingeret illis viuere quamdiu ipſa
» turris tueri valeret ab hoſtium captione: nec vllam pror-

» ſus ſalutem vltrà debere ſperare. At Imperatoris exercitus
» à foris vrgendo impulit machinas, paulatímque applicatæ
» ſunt turri, ſicque pugnæ inito certamine. Dúmque alij
» deſuper cõtendẽtes intrare, alij perrumpere ad oſtium tur-
» ris, illúdque concidẽtes euellunt, ſurſúmque certatim gra-
» dientes ad turris ſuperiora peruenerunt. Reſpiciens quo-
» que Creſcentius cernit ſe teneri ab his quos putabat pu-
» gnando longius arceri poſſe: capto namque ipſo ac graui-
» ter vulnerato, cęteríſque qui cum eo inuẽti fuerũt trucida-
» tis, miſerè ad Imperatorem quid de eo præciperet, qui ait,
» Per ſuperiora, inquit, propugnacula illũ deiicite, nec dicãt
» Romani ſuum principem vos furatos fuiſſe. quem vt iuſtũ
» fuerat proiicientes, deinde poſt terga boum religatũ per
» paludes plurimùm deuoluentes, ad vltimum in conſpectu
» ciuitatis in trabe excelſa pendere dimiſerunt. His denique
» ita geſtis accerſiuit Imperator Gerbertum videlicet Rauẽ-
» næ Archiepiſcopũ, & cõſtituit illum principalem Roma-
» norum Põtificem: iſque Gerbertus è Galliis oriundus ex-
» titit, maiorum etiam gerens proſapiam virorum, ſed tamẽ
» ingenio acerrimus, artiúmque liberalium ſtudiis pleniſſi-
» mè inſtitutus: proinde Remorum etiam primitus à Rege
» Francorum Hugone fuerat confirmatus Põtifex. Sed quo-
» niam vt diximus, valde erat acer & prouidus, intelligens
» Arnulphum eiuſdem vrbis Archiepiſcopum, quo viuẽte
» ordinatus fuerat ex conſenſu eiuſdem regis niti in priſti-
» nam reformari ſedem, cautè iter arripiens ad prædictum
» deuenit Othonem, qui ſatis honorificè ab eodem ſuſcep-
» tus, quem etiam ſtatim Rauennæ, inde verò vt diximus in
» Romanæ vrbis ſublimauit Pontificem. Antequam autem
perueniſſet ad hos magiſtratuum apices, multi ſcire cupiẽt

quis fuerit Gerbertus: & his quidem respondere possim ex libello Ademari, qui Monachus apud Lemouices fuit,
» Gerbertus, inquit, natione Aquitanus, monachus Aurelia-
» censis ecclesiæ sancti Gerardi ab Imperatore propter do-
» ctrinam cognitus, Archiepiscopus Rauennæ efficitur. Sed in eius vita quæ nunc occurrit plura de eo dicemus. Librũ verò Ademari acceptis literis nostris Carolus Bonius Episcopus Engolismensis spontè misit.



SILVESTER II.



VNC ex Monacho Floriacẽsi, quod est monasterium ad Ligerim flumẽ, nõ procul ab Aurelia celebri vrbe Galliæ, quis vnquam credidisset ad Remensem Episcopatum, mox ad Rauẽnatem, denique ad Romanum, esse peruenturum? delectum ad dignitatem Episcopi Remorum Arnulphi odio & fauore Hugonianæ gentis eum fuisse constat, etsi ele-
» ctionis verba aliter sonát, quę huiusmodi sunt. Sẽper qui-
» dem dilectissimi fratres iudicia Dei iusta sunt, sed interdũ
» occulta. Ecce enim post dissolutionẽ beatæ memorię pa-
» tris Adalberonis, quendam ex Regio semine prodeuntem
» nobis ecclesiæque Remẽsi præfecimus, & clamore multi-
» tudinis impulsi, scriptura dicente, Vox populi, vox Dei: &
» sanctorũ canonũ institutis, desiderium ac vota cleri ac po-
» puli in electione Episcopi perquirẽtiũ caligauit acies men-
» tis nostræ, literam incautè sequẽdo concordẽ sententiam
» diuinarum scripturarũ parum inuestigando: nõ erat quip-
» pe vox domini, vox clamátis crucifige, crucifige. ergo nõ

omnis

„ omnis vox populi, vox domini est. nec omnia cleri & po-
„ puli vota & desideria in electione Episcopi perquirenda
„ sunt: sed tantùm simplicis & incorrupti, & spe quæstus
„ minimè illecti. Sententia patrum id exponit: Non liceat,
„ inquit, tibi bis electionem facere eorum, qui ad sacerdo-
„ tium promoueantur: sed iudicium sit Episcoporum, vt ip-
„ si eum qui ordinandus est probent, si in sermone & fide &
„ in Episcopali vita edoctus est. Nos igitur Episcopi Remo-
„ rum dioeceseos secundum has constitutiones patrum fa-
„ uore & cõniuentia vtriusque principis vestri domini vide-
„ licet Augusti & excellentissimi Regis Roberti, assẽsu quo-
„ que eorũ qui Dei sunt in Clero & populo, elegimus nobis
„ Archiepiscopum Abbatem Gerbertum, ætate maturum,
„ natura prudẽtem, docibilem, affabilem, misericordẽ. Nec
„ præferimus illi vagam adolescentiam, ambitionem se ex-
„ tollentem, omniáque temerè ministrantem, cuius sapien-
„ tia & consilio ecclesiastica ac ciuilia iura administrari non
„ posse scimus. Cúmque in vno quoque Episcopo sit hoc
„ speculãdum, maximè tamen in eo qui cæteris præest Me-
„ tropolitano. Eligimus itaque hunc Gerbertũ. huius vitam
„ ac mores à puero nouimus, studium in diuinis ac humanis
„ rebus experti sumus: huius cõsiliis ac magisterio informa-
„ ri quærimus, eius electionem subscribendo confirmamus,
„ stabilimus, corroboramus cõmuni omnũ bonorũ cõsultu.
„ Verùm quàm Clerus sibi ipsi repugnet, assequemur ex ver-
„ bis electionis Arnulfi quæ huiusmodi sunt: Sanctæ & vni-
„ uersali ecclesiæ catholicæ salutẽ dicũt filij Remorũ Metro-
„ polis dioecesis. Patre nostro Adalberone sensus corporeos
„ relinquente, clarũ lumen pastoris amisimus, præda hostiũ
„ facti sumus. Itáque dum molimur, conamur tanti viri re-

» sarcire ruinas, elapsa sunt canonica tempora, violatæ sunt
» leges, quibus cauetur nullam sedem amplius triginta die-
» rum spatio vacare licere, núncque tandem pulsantibus di-
» uina lux apparuit, & quid sequeremur ostendit, depulso
» Antichristo & simoniaca hæresi dánato. Nos qui dicimur
» Episcopi diœceseos Remorum Metropolis cum omni cle-
» ro diuersi ordinis populo acclamante, orthodoxis Regi-
» bus nostris consentientibus, eligimus nobis in præsulem
» virum pietate præstantem, fide insignem, constantia mi-
» rabilem, in consiliis prouidũ, rebus gerẽdis aptum; in quo
» hæ virtutes quę sic relucent in iudicio, abesse nõ posse ma-
» nifestum est. Arnulphum dicimus Regis Lotharij filium,
» quem eligimus, hic ortum, hic educatũ, simoniacæ hære-
» sis expertem, à factione tyrãnica remotum, sua cuique de-
» bita iura reddentem. Sint procul ab electione nostra do-
» lus & fraus, nec putent eum ad se pertinere filij Belial, fi-
» lij pacis & concordiæ, stabilem & solidam in perpetuum
» faciant confirmando, corroborando, subscribendo. Gerbertus igitur fauore regiæ gentis, & Arnulphi (vt diximus) odio Episcopatum Remorum obtinuit, sed eò deiectus auctoritate Ioannis Romani Pontificis, ad maiores magistratus dignitatésque peruenit: vt verum sit illud antiqui scriptoris, *Sæpe eueniunt quæ sperare non audeas.* Quando enim & quomodo sperare poterat se adepturum Rauennatem Archiepiscopatum, mox summi Pontificis nomen, & Episcopi Romani? Quas tamen dignitates fauore Othonis tertij, cuius doctor fuisset, obtinuit, ac dignus profectò fuit, si eruditionem & scientiam ęstimare libet, illo præmio virtutis. Nam præter Theologiæ & diuinarum rerum cognitionem, mathematicas quoque artes & philosophię

arcana exactè didicerat. Sed plurimum miramur cõfictam de eo fabulã mortalium aures ita penetrasse, vt nunc quoque euelli ex plurimorum mentibus non possit. Ex synodo Romę habita, Rufo magno, & Fausto Auieno viris clarissimis Coss. in qua erant Cælius Symmachus, & Theodorus serenissimus Rex Gothorum, hæc verba reperio.
" Dum esset synodus in Hierusalem, basilica Sessoriani pala-
" tij, quem locum ignoratum esse Gerberto viro doctissimo turpe esset dicere. Ergo verisimile est Romanum Pontificem in loco sibi ignoto sacra fecisse, & Hierusalem nesciisse locum esse Romanum? & ignorasse poëticum illud,

Aio te Æacida Romanos vincere posse.

Itaque hæc fabula verisimilitudine caret, præsertim cùm tumulus eius ostendatur in basilica Laterani, & elogium, quod Sergius successor locandum curauit, quo Siluestri memoria, résque eius laudabiliter gestæ continentur.

" *Iste locus mundi, Siluestri membra sepulti,*
" *Venturo domino conferet ad sonitum:*
" *Quem dederat mundo celebrem doctissima virgo,*
" *Atque caput mundi culmina Romulea.*
" *Primùm Gerbertus meruit francigena sede,*
" *Remensis populi Metropolim patriæ.*
" *Inde Rauennatis meruit, conscendere summum*
" *Ecclesiæ regimen nobile, sitquè potens.*
" *Post annum Romam mutato nomine sumpsit,*
" *Ut toto pastor fieret orbe nouus.*
" *Cui nimium placuit sociali mente fidelis,*
" *Obtulit hoc Cæsar tertius Otho sibi.*
" *Tempus vterque comit clara virtute sophiæ,*
" *Gaudet & omne seclum, frangitur omne reum.*

» *Clauigeri instar erat, cœlorum sede potitus,*
» *Terna suffectus, cui vice pastor erat.*
» *Iste vicem Petri postquam suscepit, abegit,*
» *Lustrali spatio sæcula morte sui.*
» *Obriguit mundus discussa pace triumphus,*
» *Ecclesiæ mutans dedidicit requiem.*
» *Sergius hunc loculum miti pietate sacerdos,*
» *Successórque suis compsit amore sui.*
» *Quisquis ad hunc tumulum deuexa lumina vertis,*
» *Omnipotens domine, dic, miserere sui.*

Ergo quis de Siluestro dubitare audeat, & fidem tanto mendacio adhibere? cùm legerit hunc locum Ditmari grauissimi optimíque scriptoris, qui illis ipsis temporibus, quibus Gerbertus pręerat sedi Romanæ, in Germania viuebat? Superius, inquit, de vniuersali Papa, Brunone disputás, » cùm successorem eius Gerbertum tantùm nominarem, vt » de eo latius aliquid scribam, non incõgruum est. erat is na- » tus de occiduis regionibus, à puero liberali arte nutritus, » & ad vltimum Remensem vrbẽ ad regendum iustè pro- » motus: optimè callebat astrorum cursus discernere, & cõ- » templatores suos variæ artis notitia superare. Hic tandem » à finibus suis expulsus, Othonem petiit Imperatorem, & » cum eo diu conuersatus, in Magdaburg horologium fe- » cit, illud rectè constituens, considerata per fistulam qua- » dam stella, nautarum duce. Hæc quidem Ditmarus histor. lib. 6. atque huius fabulæ inuentorem suspicor Bennonem presbyterum Cardinalem. Is enim odio Hildeprandi multa quoque de prædecessoribus eius fingit, quos ob mathematicas disciplinas velut maleficos damnat, & hanc de Siluestro fabulam narrat, pontificatum eius breuiorem

faciẽs quàm fuerit. quinquennio enim vt Sergius testatur Episcopatum gessit. Igitur de Siluestro nihil aliud dicam, nisi quòd legi codicem epistolarum eius ad Robertum Regem Francorum, Othonem tertium, & alios illius temporis præstantissimos viros, quæ aliquando erumpent in lucem. eruditæ enim & rerum verborúmque elegantia instructæ sunt, vt nihil aliud quàm legi & videri velint. Cõstitutiones quidem eius neque à Gratiano citantur, neque ab vllo illius vel superiorum temporum scriptore, præter vnam quam Ademarus monachus sancti Martialis Lemo-
» uicensis recitat in hunc modum: Vvido Vicecomes Le-
» mouicensis capto Grimoaldo Episcopo pro monasterio
» Branthomiensi, quod ab eo exposcebat, in turre Lemo-
» uica eum captiuum tenet. Sed dimissus iuxta conditio-
» nem Vvidonis, Romam adiit, & Gerbertum Papam Sil-
» uestrum nuncupatum interpellauit. Ibi Vvido euoca-
» tus est ad iudicium coram Papa: causa ipso die Paschæ vẽ-
» tilata, à Papa, senatúque iudicatum est, vt omnis qui Epi-
» scopum captiuaret, equorum indomitorum ad colla pe-
» dibus ligatus, disrumperetur, & demum à feris lacerare-
» tur. Vvido autem Comes Episcopo Grimoaldo traditur
» ad custodiendum, post diem tertium tradendus ad pœ-
» nam, sed inter se concordantes amici facti sunt, & ante
» diem condictum clam Roma egressi, reuersi sunt ad pro-
» pria.




IOANNES XVIII. *vulgò* XIX. & IOANNES XIX. *vulgò* XX.



SEQVVNTVR duo Ioannis nomine insignes Episcopi, quorũ primus menses quinque, dies XV. in Pontificatu vixisse dicitur, alter quinquẽnium & aliquid amplius in eo exegisse. Sed illa tẽpora maximè illustria fecit Roberti Frãcorum Regis nota pietas, nota religio, nota sapiẽtia, cæteræquè virtutes quæ illũ inter mortales immortalem certè faciũt. De hoc Ioanne nihil reperi preterquam Fulberti Episcopi Carnutum viri celeberrimi epistolam in hunc modum. Domino sancto & vniuersali Papæ Ioanni Fulbertus Carnotensium humilis Episcopus orationum fidelia. Gratias omnipotenti deo, qui more benignitatis suæ tuam pater humilitatem respexit, & summo vt docebat dignitatis apice sublimauit. Proinde totus mundus ad te conuertit oculos, téque vnum omnes beatissimum prædicant. Contemplantur altitudinem tuam sancti viri, & gaudent quòd eis similitudine omnium virtutum alludis. Respiciũt persecutores ecclesiæ, districtionis tuæ baculum formidantes: suspiciunt ij qui flagellãtur ab impiis, & respirant sperantes adhuc restare sibi consolationis remedium. De quorum numero sum ego magnæ & præclaræ ecclesiæ pusillus Episcopus, qui tibi pater de angustiis meis querimoniam scribens, auxilium tuæ pietatis imploro. Est enim quidam Comes malefactor nomi-

» ne Rodulph⁹, nimiũ vicinus nobis, qui res ecclesiæ nostræ
» per iniustam occasionem inuasit vnum de clericis nostris,
» suis manibus interfecit, duos alios captos sacramentis illi-
» gauit: & de his omnibus appellatus in curia regis, & coram
» plena ecclesia sæpe vocatus, non propter hominem, nec
» propter deum ad iustitiam venire dignatus, à nobis tãdem
» excommunicatus est. Nunc verò ad limina sancti Petri cõ-
» tẽdit, tanquam ibi possit accipere de peccatis absolutionẽ,
» vnde venire non vult ad emendationem. Vnde rogamus
» te dilectissime, pater cui totius ecclesiæ cura commissa est,
» vt eum de sanguine atque iniuria filiorum tuorum ita ar-
» guere & castigare memineris, sicut meritum esse tua proui-
» dentia nouit: nec tua sanctitas iniustè in communionem
» recipiat, quem diuina auctoritas sicut ethnicum alienat.
» Vale bone pastor, euigila super nos, ne per incuriam tuam
» grex domini detrimẽtum sustineat. Hæc quidem Fulbertus ad Ioannem scripsit, nósque doctissimi illius Episcopi libellum epistolarum nondum ęditum nuper misimus in lucem.




SERGIVS IIII.



ERGIVS quartus Ioanni successit: si patriam requiris, Romanus: si honestam & religiosam vitam, magnopere cõmendandus. certè enim virtus Christianos Pontifices sola commendat, éstque Pontificatus in virtute, non in nitore vestium. Id catalogus Episcoporũ vrbis indicat, quem ex Viennensi antiquissima to-

tius Galliæ ecclesiæ nos habuisse suprà diximus, vbi virtutis eius & pietatis mentio fit. Huic Sergio visum & Cardinalibus principibúsque viris vrbis Romæ Imperium Germanicæ gēti tribuere, quòd ea natio afflicta Hispania, galliáque ad nouos Reges recens translata omnium Europæ prouinciarum potētissima videretur: decretúmque vt imposterum dignissimus tantùm eligeretur, & quē Romana ecclesia probaret: electionem verò in septemuiros eiusdē gentis contulere, qui nunc quoque summam eius rei potestatem habent. Id verò non crederem ab Italica gente factū, quæ semper magnos viros habuit, nisi Ricordanus Hetruscus & grauis & antiquus scriptor, id in commentarios suos retulisset, quem & Ioānes Villaneus sequutus est. Huic Sergio ante Pōtificatum indecorum nomē erat. Ditmarus enim ait Chronicorum libro sexto Ioanni successisse Sergium, qui vocabatur Bucca porci. id verò nomen tam deforme & horrendum non puto impositum fuisse puero, maximè tam Christianis temporibus, id enim impium & iniquum fuisset, alienúmque à parentum voto, si quidem pulchra infātibus suis nomina appetunt. Attamē in Victoriano annali id quoque narratum ab auctore video, túncque institutum, vt omnes qui in reliquum tēpus vrbis Episcopi designarētur, in cōsecratione nomina mutarēt. Licet enim, inquit, aliquorum nomina fuerant mutata, nō tamen omnium, nec hoc erat ex institutione generali: Ratio autē huius institutionis fuit triplex. Vna quia dominus beato Petro in apostolū electo nouū nomē imposuit. Secunda quia mutari debent in perfectione vitæ & famæ, ideò & in nomine. Tertia quia turpe esset eū qui ad tam decorum eligitur officium, aliquo nomine turpi & inho-

& inhonesto vocari. Hos igitur auctores secuti, præcipuè Ditmarũ, qui Sergio æqualis fuit, Sergio quarto mutationem nominis tribuimus, non superioribus qui Sergio cognomines fuerunt.




BENEDICTVS VIII.



HIC quoque Leonis testimonio vtemur: Defuncto, inquit, Sergio Papa quarto Benedictus octauus patria Tusculanus ex patre Gregorio Pontifex ordinatur. Petrus Damianus vir integerrimæ vitæ Benedicti quoque huius meminit. ab hoc Episcopo Romano duos Cæsares corona imperij redimitos cõstat. id enim memoriæ proditum est, Henricum primùm Baioariæ ducem, & Cõradum qui & Conon, ex eadem Germania virum strenuum, quem Ricordamus anno millesimo decimo quinto corona imperij donatum scribit in Annalibus Hetruriæ. At Benedictus primus omniũ inuenit aureum orbem, quò Cæsares pro maiestatis insigni vti cõsuerant: tametsi nunc quoque visitur Romæ Adriani statua orbem manu gestãs; sed hic de quo loquimur crucem extantem habet. Itáque meritò ab illo veteri Adriani distingui potest. Glaber Rodulphus monachus Cluniacensis qui per illa tempora viuebat, de Benedicto & Henrico Cæsare déque aureo insigni tunc à Pontifice excogitato cõpiosè narrat. Et ante Glabrum Ditmarus lib. histor. sexto bellicam expedi-


tionem Benedicti aduersus Saracenos victoriámque de illis partam exequitur.



IOANNES XX. *vulgò* XXI.



CVR Leonis historici testimonium in re dubia etiam nõ proferemus? Defuncto, inquit, Benedicto octauo, Ioãnes frater eius Tusculanus ex patre Gregorio illi in Pontificatum succedit. At nõ dicit an legitimis suffragiis eam dignitatem sit consequutus, an verò corruptis è clero populóque Romano quãplurimis ad id munus quod est omniũ maximũ peruenerit. Verùm Glaber Rodulphus monachus Cluniacẽsis qui tunc viuebat, obtinẽdi Põtificatus artes aperit: sic enim ait. Erat Ioãnes cognomẽto Romanus frater illius Benedicti, cui in Episcopatũ successerat, & largitione pecuniç ex laicali ordine neophitus constitutus est præsul. Itáque prauis artibus Pontificatum adeptus, quid boni in eo gerendo facere potuit, nisi fortè ad sanitatẽ animi reuersum, nefarij illum facti pœnituit, piguítque? nec mirũ debet videri, quòd ambitione & corruptela Pontificatum appetierit. Quid est enim Romano Episcopatu aut sublimius aut illustrius? magna autem appetere probis atque improbis commune est, vt solem aspicere: sed illi bonis artibus consequi cupiunt, quod optant, isti prauis tantùm nituntur, & fœliciores sũt plerumque in obtinendo quàm boni, quòd Deus & fata sic prospexerint.




BENEDICTVS IX. SILVESTER III. & GREGORIVS VI.



IOANNE Romæ mortuo, Benedictus nepos eius patria Tuſculanus & Alberici filius ſucceſſit: id enim teſtimonio Petri Damiani cõſtat. is ſcribit nepotem illum fuiſſe Benedicti octaui, quem idcirco iuniorem Benedictũ vocat, eũdem Theophilactum antea dictum Hermanus inſignis hiſtoriæ ſcriptor refert, cùm Pontificatum nouem continuos annos ille geſſiſſet. Tuſculum patriam ei fuiſſe diximus in colle amœno ſitum loco, vt Ciceronis villam & veſtigia quædam veterum ędificiorum aſpicere poſſis, Tuſculanáſque quęſtiones inde dictas putare: ſed pubes an verò impubes Pontificatum attigerit, ſcire eſt operæpretium: hoc nullus hiſtoriarum ſcriptor præter Glabrum Cluniacenſem monachum tradit, à quo dicitur nondum pubes fuiſſe cùm electus eſt. Itáque ſiquid criminis in corrũpendis comitiis fuit, id non ei ſed amicis & conſanguineis procurantibus tribuendũ cenſeo: & cenſebunt omnes ij qui in tam tenera ætate dolo malo locum non eſſe ex iuriſconſultorũ diſciplina ſcire volent. Hic verò adoleſcentulus Pontifex ne puerum dicam, cùm annis duodecim apoſtolicæ ſedi præfuiſſet, à Romanis iam pertęſis vecordiæ ſuæ tandem eiectus eſt, & Ioannes Sabinẽſis Epiſcopus ſuffectus in eius locum. At quomodo ſuffectus? corrupti ciues ab homine Romano allectíque pe-

cuniæ dulcedine Siluestrum eum nominauere: tribus menſibus rexerat eccleſiam vrbis, cùm Benedictus iterum adnitentibus propinquis ſuis Tuſculanis proceribus ſedi illi reſtituitur. At ſemel eiectum diu ferre Roma non potuit. Itáque Ioanni archipreſbytero Lateranenſi, religioſo vt videbatur viro, & in populi Romani opinione valido, vltrò Epiſcopatũ tradit, ac ſe Tuſculũ recipit, quaſi excuſſo freno cupiditates ſuas pro arbitrio impoſterũ exequuturus. AC Ioannes quidem mutato nomine, Gregorium ſextum ſe appellari iubens, amplius biennio populum Romanum rexerat, cùm Henricus Cæſar ex Germania in Italiam profectus Sutri reſtitit, habuítque Epiſcoporum concilium frequens mederi Eccleſiæ cupientium. Et vocatus ad eam ſynodum Gregorius, ſimoniæ conſcius ſibi conuictus eſt: ipſéque ſponte ſummi ſacerdotij infulis ſe exuit, humíque proſtratus à Cæſare & conuentu collegarũ demiſſiſſimè veniam petiit. HÆC Leo Oſtienſis inſignis hiſtoriæ ſcriptor narrat; ne quis fortè, vt ſunt humana ingenia ad redarguẽdum prona, hæc à me ficta arbitretur, qui nihil fingere ſcio (veritas enim mihi metipſi amiciſſima eſt) & ſi fingere ſcirem, nollem tamen fictionibus dedecorare hiſtoriam nutricem veritatis.



CLEMENS. II & DAMASVS II.



VINQVE Pontifices qui ordine ſequentur, Germania vrbi imò orbi ipſi dedit. Exauthorato enim Gregorio cùm Hěricus ſecũdus Romã ingreſſus eſſet, haberẽtque ſecũ omnes Epiſcopos qui ſynodo Suttinæ interfuiſſent, clerum populúmque Romanum ad eligendum vrbi Epiſcopnm vocauit: nec quiſquam ex Italica gente dignus Henrico viſus eſt ad id munus obeundũ. Sed ſiue ita eſſet, quod credi vix poteſt, nũquam enim ſub Italico cœlo magnorum virorum copia defuit, ſiue: Cæſari diſplicere Romani verebantur, ſi alium quàm Germanũ deſignarent, Bambergẽſis Epiſcopus è Saxonum prouincia quam Albis clarum flumen interluit, in Romanum Põtificem deligitur, Clementíque ei impoſitum nomen, & ſi inuito, & dignitatẽ illam refugienti, vt Hermanus in Chronico refert. Quo auctore etiam illud eloquimur Clementem nono promotionis ſuæ menſe vita functum mandaſſe vt in Germania in Epiſcopatu olim ſuo cui Bambergæ nomen, conderetur. His confectis rebus, & aliis quarum cauſa venerat, Henricus de reditione in Germaniam cogitat: cúmque domum reuerſus eſſet Gregorius, Pontificatu exutus eſt: ſed reſtitui priſtinæ auctoritati cupiens leuem exercitum inſtruit, Clementémque vrbe pellit, prædia eccleſiæ & iura occupat, cum Cæſare denique bellum gerit, nec ab illo vincitur. quod eius factum multi nõ probant.

Pontifices enim debent omnes bellum odisse. nam etsi iustum, at minimè est. Cæterùm euentus docuit, ne id quidē Deo displicuisse. nam cùm humanū sanguinem etsi iustissima de causa fundi mandasset, prædonésque & grassatores militarium viarum vt reipubl. pestes extinxisset, moriens in basilica apostoli Petri se sepeliri optauit. At presbyteri Cardinales qui suprema eius verba audierant, indignum esse dicebant eiusmodi sepultura virum qui sanguinarius fuisset: Saltem, inquit, cadauer meum pro foribus basilicæ ponite, forésque ipsas claudi iubete, & fiet quod Deus iusserit. Id cùm ita factum esset, adaperta repentini turbinis impetu ostia patuere: ex quo intellectum est pœnitentiam anteactarum rerum à Gregorio actam, & exequiæ illi magnificæ sunt peractæ. Hæc de Gregorio Leo narrat. De morte autem & bellis eius Ricordamus in eum quem diximus modum loquitur:
„ Cognita autem eius morte, Benedictus Tusculanus, qui de-
„ siderio Pōtificatus tenebatur, Romam rediit, vrbísque ec-
„ clesiam per octo continuos menses rexit: donec missus è
„ Germania Damasus ille iussu Cæsaris suffectus est, & intra
„ vigesimum diem apud Preneste vita excessit, tantáque au-
„ ctoritas breuissimum illi gaudium attulit. Plúsque ei existimationis Damasi nomen comparauit, quàm Popionis Treuirorum Archiepiscopi: qua dignitate ante summum sacerdotiū fungebatur. Ac necessaria huic mutatio nominis fuit. quomodo enim Popionis vocem illam planè barbaram suauissimi Italiæ populi ferre potuissent? Ac ne quis putet à vero abesse narrationem meam, sciant Othonem Frisingensem libro sexto, mihi harum rerum testem esse. His quoque temporibus obiisse Odilonem Cluniacen-

sium Abbatem, numero quartum ab eodem Victoriano annali edocemur. Cui successit Hugo vir miræ religionis & sanctimoniæ. Hic est ille Odilo de quo Fulbertus Carnutum Episcopus epistola quinquagesima loquitur. quod si curiosi scire cupiunt, qui Pontifices vsum insignium argumentorum in Italiam tulerint, sciant à Clemẽte & Damaso id factum, postea à Leone cuius gentilitium insigne erat Leo niger in scuto octo liliis exornato. Leonem sequutus est Victor, deinde Stephanus qui cùm & ipsi propria insignia in Italiam detulissent, hunc morem successoribus reliquere. Veteres namque Pontifices eiusmodi rebus caruere. Quin idem Leo publicis operibus à se fieri iussis inscribi iubebat hãc Dauidis sentẽtiam, eúmque omnes successores postea sunt sequuti, electis similibus è propheta & diuino verbo sententiis.

misericordia Domini plena est terra



LEO IX.




ON impar Leoni magno ad Episcopatum vrbis Leo nonus ascendit, cùm esset Episcopus Tulli Leucorum ad Mosellam flumen, & Brunonis nomen ferret, esśétque ex Regia stirpe Francorum ortus. Quas ob causas Romani tãti viri fama accensi, illum sibi à Cæsare Episcopum dari petierunt. Henricus itáque honoraturus Apostolicam sedem, & ingenti beneficio Italiam, imò orbem affecturus, eum Romam ire iussit. Quò cùm venisset,

cognita sanctimonia & integritate vitæ eius, cœpit clero ac populo acceptus esse: quinquennio autem tantùm rem ecclesiasticam administrauit, sed ita vt immortalem ex rebus gestis laudem atque gloriam sit assecutus: ídque epistolæ eius satis ostendunt, plenæ grauitatis, plenæ eruditionis ac scientiæ rerum diuinarum. Illis Michaelem Constantinopolitanum Episcopum arguit, quòd se Oecumenicum Patriarcham inscriberet, & Ioannem prædecessorem à beatis Pontificibus Pelagio & Gregorio ait digna perculsum esse excommunicatione. Insuper reprehendit quòd omnes Latinorum basilicas clausisset, donec Græcis viuerent institutis. Atque illud adiicit, cùm intra & extra Romam plurima Græcorum reperiantur monasteria siue ecclesiæ, nullus eorum adhuc perturbatur vel prohibetur à paterna traditione siue sua cõsuetudine, quin potius suadetur & admonetur eam obseruare. Ad Petrum & Ioannem Africanos Episcopos scribens ait, olim in Africa fuisse ducentos quinque Episcopos: cæterùm illa ætate vix quinque in tota prouincia superesse. Scribit quoque ad Constantinum Monomachum Græcum Cæsarem, & adhuc in extrema Italia aliquid possidentem. Ex quibus literis locus ille est imprimis obseruandus: " Et quia abundante iniquitate, & refrigescente charitate, sancta Roma" na ecclesia & apostolica sedes nimium diu obsessa fuit à " mercenariis & non pastoribus, à quibus sua, non quæ sunt " Iesu Christi quærentibus, deuastata iacebat miserabiliter, " hactenus diuinum consilium voluit meam humilitatem " suscipere tantæ cathedræ pondus: quo licet plurimum mi" hi prægrauentur & deprimantur humeri, non parum mi" hi subest sanctæ spei; quandoquidem ex vtroque latere ta-

» les astant filij religione & potentia præclarissimi. Hi autem erant Constantinus Monomachus, & Henricus Cæsar Latinorum. Quantam autem vexationem à Normãnis acceperit, qui tum in Italia bellum aduersus Græcos gerebant, eadem epistola etiam continetur his verbis: Suffultus ergo comitatu, qualem temporis breuitas & imminẽs necessitas permisit, gloriosi ducis & magistri Argyroi fidelissimi tui, colloquium & consilium expetendum censui, non vt cuiusquam Normannorum, seu aliquorum hominum interitum optarem, aut mortem tractarem, sed vt saltem humano terrore resipiscerent, qui diuina iudicia minimè formidabant. Interea nobis eorũ pertinaciam salutari admonitione frangere tentantibus, & illis ex aduerso omnem subiectionem fictè pollicentibus, repentino impetu comitatum nostrum aggrediuntur: sed adhuc de victoria sua potius tristantur, quàm lætantur. Sicut enim tua pietas scribere curauit ad nostrãm consolationem, pro ista sua pręsumptione, maiorem in proximo expectant sibi superuenturam indignationem, post illam, quam experti sunt, suæ cateruæ diminutionem. Nos quoque diuinum adiutorium nobis affore, & humanũ non defore credentes, ab hac nostra intentione liberandæ Christianitatis non deficiemus; nec dabimus requiem temporibus nostris, nisi cum requie sanctæ ecclesiæ periclitantis. Ad quã acquirendam & obtinendam, habemus maximum ex diuina pietate solatium & præsidium, charissimũ atque clarissimum filium nostrum Imperatorem Henricum, cuius de die in diem expectamus promissum & proximum aduentum, vt potè cum procinctu & expeditione Imperiali properantis ad nostrum subsidium. Ad quod etiam super-

na gratia tuam serenitatem animauit, vt hinc inde vobis duobus velut totidem brachiis, inimicam gentem ab ecclesia Christi propellentibus & procul effugantibus, afflictæ nunc Christianitatis releuetur decus, & Reipubl. reformetur status. Huius autem Pontificis sanctitatem populus Romanus vel ex eo fatebatur se deprehēdisse, quòd quamdiu Romæ moram faciebat, singulis noctibus à Lateranensi basilica ad limen Petri Apostoli priuato habitu nudísque pedibus cum duobus aut tribus clericis psallendo & orando progrediebatur: cuius rei auctorem idoneum nominare possum Leonem Ostiensem. Cùm verò annis quinque & aliquanto amplius ecclesiæ res iure administrasset, Romæ decessit è vita, 13. Kal. Maias 1054. nō sine opinione apud ciues recōditæ potius quàm erumpentis sanctitatis. Illud verò memorabile est, quod Hildebrandi monachi Cluniacensis hortatu, vt libertas ecclesiæ in electione Pontificum Romanorum renouaretur, purpuram deposuit, peregrinique habitu Romā veniens consilio Hildebrandi à clero & populo in summum Pontificem eligitur. quarum rerum Othonem Frisingensem Episcopum laudo auctorem, is enim libro sexto hæc de Leone nono breuissimè exponit. Lanfrancus quoque in libello de sacramento Eucharistiæ, tempore Leonis Papæ » ait, Berengarij hæresim ad Apostolicam sedem delatam » esse, ab eóque damnatam: mox declaratam fuisse synodū » Vercellensem, eodémque præsidente Pontifice mense Se» ptembri celebratam, ad quam vocatus Berengarius non » venit. Quæ Leonis sentētia nōn effugit successorem suum fœlicis memoriæ Papam Victorem; denique in concilio Turonensi, cui Victoris interfuere legati, data est Beren-

gario optio defendendi opinionem ſuam, quam cùm defendendam ſuſcipere non auderet, cõfeſſus eſt coram omnibus communem eccleſiæ fidem.




VICTOR II.




ICTORIS Epiſcopi, qui Afer fuit, nomen ab hoc Victore ſecundo ſumptum eſt, cùm tot intermedij Pontifices, nomina aut alia habuerint ab ineũte ætate, aut Epiſcopi vrbis deſignati, iam recepto more impoſita ſibi reliquerint, vt illuſtriores eiuſmodi mutatione redderẽtur. Geberardus Aiſteſtẽſis in Germania Epiſcopus antea vocabatur. Hunc Romani Leone mortuo antiſtitem ſibi dari magnopere petebant, eiúſque rei cauſa Hildebrandum ſubdiaconum Romanæ eccleſiæ ad Hẽricum Cæſarem miſerant: duæ petendi cauſæ erant, prudentia, qua vir ille excellere dicebatur, & diuitiæ, omnium enim Epiſcoporum Germaniæ potentiſſimus, & in Cęſaris gratia validiſſimus erat. Itáque in Italiam iit, exceptúſque eſt magno populi Romani concurſu lætitiáque, cùm annus ab obitu Leonis ferè exactus eſſet. Deceſſori ſuo moleſtus aliquando fuerat, atque impedimenta ei maxima dederat. Quoties igitur aliquid moleſtiæ à ciuibus Romanis patiebatur, dicere erat ſolitus, quod fecit Saulus, Paulum pati neceſſe eſt, neque ad vindictam vltrà accendebatur. Quarum rerum idoneum teſtem habeo Leonem

hiſtoricum. At Ricordanus, & qui diligenter eum legerat Ioannes Villaneus, ciues Florentini, anno milleſimo quinquageſimo octauo ſynodum à Victore habitam tradunt Florentiæ Tuſcorum; in qua plurimos Epiſcopos vel ſimoniæ labe vel fornicationis vitio aſperſos Epiſcopatu mouit. Atque inde profectum ſcribunt in Germaniam viſendi Cæſaris gratia: vbi cùm magnificentiſſimè ab illis populis ſuſceptus fuiſſet, illum obiiſſe narrant anno initi Pontificatus Romani ſecundo, menſe tertio.



STEPHANVS IX.



TEPHANVM qui Federicus antea fuerat, patria Lotharingum, non Florentiæ Tuſcorum, vt Ricordanus memorat, ſed Romæ, ob eximias eius virtutes ſcimus electũ fuiſſe: à Leone enim ſyncero hiſtoriarum ſcriptore qui antiquior Ricordano fuit, ita memorię proditũ eſt, & Romanis placuiſſe, vt quia ſolẽni feſto diui Stephani electus eſſet, ipſius quoque nomen ferret. In templo Petri Apoſtoli, quod à vinculis eius nomẽ habet, hæc electio facta eſt: vnde deductus in Lateranum, comitante clero ac populo Romano, & conſequuto die, in Vaticano conſecratus traditur. Vt autem erat ingenio propenſo ad pietatem, ita ſimiles ſui optabat. Itaque Petrum Damianũ tunc ſolitariam vitam agentem, & magnum ſine dubio virum ſtatim euocat ab eremo in qua erat: pręficítque Oſtiẽſi eccleſiæ, vt à vicino bono ſemper aliquid boni acci-

peret. Sed de Damiano postea. Nunc ad Stephanum redeo, cuius quàm breuis fuerit Pontificatus, tempus ostendet, quo illum sedisse referunt, menses nouem & aliquid amplius nón excedens. Florentiam postea profectus Reipubl. causa, ibi vita functus est quarto Cal. Aprilis 1057. vtar enim Lamberti insignis historici testimonio: sepultúmque in templo Reparatæ Ricordanus Florentię natus scribit, ossáque eiusdem Pontificis in loculo reperta anno millesimo trecentesimo quinquagesimo tertio ad aram Zenobij Boninsegnius in Florẽtina historia tradit. Verùm ante adeptum Pontificatum Abbas Cassinensis fuit. Itáque illi familiæ D. Benedicti illustre est tantum Pontificem ex suo ouili temporibus illis proferre potuisse, qui cùm præsentiret tacitum cleri ac populi consensum; Episcopatũ, quęso mihi ne dederitis Quirites, illo enim magistratu indignus sum, & sine Dei voluntate gradum illum mihi nec dare, nec auferre potestis. Scripsit autem Guilielmo Remensi Archiepiscopo epistolam vnam: eam vnà cum Nicolai & Alexandri ad eundem Remensem epistolis, in veteribus membranis habeo, quam hic apponere cupio propter historiæ lucem & rerum fidem, ea enim sic habet: Stephanus Episcopus seruus seruorum Dei Guilielmo Archiepiscopo salutem & apostolicam benedictionẽ. Promotioni nostræ, sicut nobis subscripsisti, non ambigimus te congratulari, amicitiam quoque sinceram & volumus & optamus inter nos fore perpetuam. Porrò obedientiam fidelitatémque quam nobis polliceris te integerrimè seruaturũ, si vt debes, & vt te decet seruaueris, facis quod faciẽdum optimè scis, quòd principalẽ & cõmunem matrem non modò nos, reuereris in nobis. De concilio

» autē Remis habendo, quid aliud dicēdum, nisi quod beatę memoriæ Domnus Victor Dei iudicio hinc est raptus, & quòd tu sicut inter vos conuenit, non remandasti an in hoc esset regis consensus? Sed & de Bituricensi Archiepiscopo, quia dilectus filius noster Hildebrandus, cui illius causa maximè nota est, abest, hoc tantùm respondemus, quòd eo reuertente, & te cum illo ad nos veniente, tam ex hoc quàm ex aliis ecclesiasticis negotiis tuum consiliū habebimus. Ne deficias, aut frangaris, si aduersarios pro fidelitate sanctæ Romanæ ecclesiæ, immò pro sanctorum canonum defēsione pateris, sciens secundum apostolum quòd in hoc positus sis. Auxilium enim nostrum & consilium tibi pro iustitia agonizanti tempore nostri Pontificatus, ad quem nullo meo merito videor assumptus, non deerit, & secundum quod oras, orabimus dominū Iesum, ne à bono proposito aliquando decidas. Cæterùm Romæ quinto die post sanctum pascha synodum celebraturi, tuā fraternitatem cum suffraganeis eius volumus & auctoritate apostolica iubemus interesse absque ineuitabili necessitate.

BENEDICTVS X.



VNCIATO Stephani obitu qui in Hetruria decesserat, Gregorius Tusculanus comes sociis quibusdam proceribus Romanis armata manu Lateranum noctu ingreditur, & Ioannem Veliternensem Episcopum, cui Zeno cognomen erat, vt in annali Victoriano reperi,

Pontificem designant, eique Benedicti nomen impo-nunt. Id Petrus Damianus vir sanctissimus cùm resciuisset, obsistere eorum voluntati cum presbyteris Cardinalibus cœpit. Sed arma fugam illi & piis hominibus imperauere, coactúsque est Archipresbyter Ostiẽsis ecclesię absente Episcopo hoc portentum consecrare. At decem tantùm menses Pontificatum tenuit, deiectúsque illo altissimo dignitatis gradu turpiter est mortuus.

NICOLAVS II.



Vivs libri qui ordine quartus est, finem faciam in eo Põtifice, quem cõstat successisse Benedicto decimo decessori. Is fuit Nicolaus secundus, Episcopus Florentiæ Tuscorum, in ea sede ex qua Fœlix sub Constantino magno & Miltiade apud Lateranum synodo aduersus Donatistas interfuit, vt supra demõstratum est. Gerardo illi nomen initio fuit, patria Burgundo. Id enim à Ricordano ciue Florentino scio memoriæ mãdatum: nec in illa ciuitate electus est, sed in Senensi admodum vicina, in quam presbyteri Cardinales, & ij quorum intererat, fortè conuenerant. Nicolaus autem inito magistratu cogitauit Berengarij errorem noxium Christianæ reipubl. futurum, nisi maturè comprimeretur, ipsúmque Romam ad synodum venire iubet, efficítque bene monendo, vt errorem abiuraret. Damnatam sanè eius do-

ctrinam à beatæ memoriæ Nicolao totius Christiani nominis summo Pontifice, & à centum tredecim Episcopis Romæ, Lãfrancus Cantuariensis narrat in libello de sacramẽto Eucharistiæ, Berengariúmque accenso igni libros à se æditos coniecisse in eum tradit. Videtúrque mutuatus argumenta aduersus Eucharistiam ex capite vigesimo quinto orationis tertiæ libri quem de capitibus legis Mosaicæ cõscripsit Iosephus Albo Iudæus secta, valdéque nomini Christiano ac pietati infestus. eadem enim omnino in Eucharistiam dicit, quæ Berengarius sectatorésque eius postea vomuerunt. Hæc igitur Nicolai synodus non inutilis Reipubl. Christianæ fuit. Adelmus ex scholastico Leodiensi Episcopus Brixiensis, de veritate corporis & sanguinis domini in Eucharistia epistolam ad Berengarium scripsit, in qua collectaneum eum vocat, propter dulcissimum illud contubernium quod cum adolescentulo in academia Carnotẽsi sub venerabili sene Fulberto iucundissimè duxerat. Deinde obsecrat vt per suauissimam memoriam ipsius Fulberti catholici & christiani hominis pacem catholicam diligat, neque conturbet Rempubl. Christianæ ciuitatis bene compositam à maioribus, pro qua sancti doctores bella ciuilia ab hæreticis commota salutaris eloquentiæ fluminibus restrinxerunt. Roberto verò Apuliç & Calabriæ possessionem vt illarum regionum Duci Græcis ereptarum, primus Episcoporum vrbis confirmauit, ea lege vt se & successores suos Apostolicæ sedi fidelis fore testaretur, cẽsúmque annuum prçstaret, iuga boum singula & denarios duodecim. Cuius rei auctorem habeo Leonem rerum veritate præstãtissimum scriptorem. Decessit autem Florentiæ peractis in Pontificatu


catu

catu annis duobus cum dimidio. Superſunt eius aliquot epiſtolæ ad Guilielmum Remenſem Archiepiſcopum. Quarum vna Hildebrandum ſibi chariſſimum fuiſſe teſtatur in hunc modum. Nicolaus Epiſcopus ſeruus ſeruorum Dei, Guilielmo venerabili Archiepiſcopo ſalutem cum benedictione apoſtolica. Licèt de veſtra fraternitate quędã ſiniſtra nec ſine diſcuſſione dimittenda peruenerint ad Apoſtolicam ſedem, ſcilicet quòd eius inuaſoribus fauerit, quòd Pontificales actus poſtpoſuerit; tamen quia teſtimonio non leuis perſonæ defenderis, ſcilicet potius de fidelitate ſancti Petri laudaris, præmiſſa tranſimus; vt & verum ſit de vobis teſtimonium optamus. Vos autem omni conamine ſtudete ita viuere, vt veſtri non habeant inimici vnde nos poſſint in vos contriſtare. Scitis enim quàm benigna vobis fuerit communis mater ſancta Romana eccleſia, quámque de te magna ei fiducia vt tua ſolertia Francorum poſſet ſuccurrere penè lapſæ eccleſiæ. Proinde agere ſtude quod de te ſperauit apoſtolica ſedes, & veſtrum regem glorioſum caſtiga, precare, ammone ne prauo nitatur peſſimorum conſilio, qui noſtra diſcordia putant ſe apoſtolicam cenſuram euadere: caueátque ſacris canonibus, immò beato Petro reſiſtere, nóſque qui eum ſicut pupillam volumus amare oculi, contra ſe mouere. Satis enim mirari poteſt, ſi pro aliquo ſtulto, ſicut eſt, quem voluit ordinari Matiſconenſis Epiſcopus vult dominum & ſanctum Petrum offendere, veſtram charitatem atque ſynceram dilectionem circa ſe paruipendere. An putat aliquis membrorum antichriſti, quòd plus non poſſit ei prodeſſe gratia beati Petri, quàm omnium impiorum perfida fidelitas? Agat itaque glorioſus Rex vt libet contra

nos, quamuis pro illo eiúſque exercitu Deum ſemper preccari parati ſumus. De duce verò Gotofrido, nemo vos terreat, cùm fuerit opus vos venire Romam: quia non tantùm vobis impedimentum non faciet, ſed etiam fideliter ſeruitium impendet. Salutant vos chariſſimi fratres noſtri Cardinales Epiſcopi, nec non humilitas chariſſimi filij noſtri Hildebrandi. Cęterùm Nicolaus deceſſit anno milleſimo ſexageſimo tertio: cui rei fidem facit Lamberti teſtimonium in libro quem inſcripſit, De rebus geſtis Romanorum. Nec illud præterire debeo, annis duobus ante obitum menſe Aprili ſynodum Romæ habitam in baſilica Lateranenſi, in qua de electione Romani Pontificis actum eſt.

NOMINA PONTIFICVM, QVORVM VITA EXPLICATVR LIB. V.

Alexander II.
Gregorius VII.
Victor III.
Vrbanus II.
Paschalis II.
Gelasius II.
Calistus II.
Honorius II.
Innocentius II.
Cælestinus II.
Lucius II.
Eugenius III.
Anastasius IIII.
Adrianus. IIII.
Alexander III.
Lucius III.
Vrbanus III.
Gregorius VIII.
Clemens III.
Cælestinus III.
Innocentius III.
Honorius III.
Gregorius IX.
Cælestinus IIII.
Innocentius IIII.
Alexander IIII.
Vrbanus IIII.
Clemens IIII.
Gregorius X.
Innocentius V.
Adrianus V.
Ioannes XX.*vulgò* XXI.
Nicolaus III.
Martinus II.*vulgò* IIII.
Honorius IIII.
Nicolaus IIII.
Cælestinus V.
Bonifacius VIII.
Benedictus XI.
Clemens V. *quem idcirco reiicimus in sextum librũ, quia cis alpes Pontificiam dignitatem sedémque primus habuit è septem Gallis Pontificibus qui ordine sequentur.*



LIBER QVINTVS.

ALEXANDER II.




INSVBRVM clariſſima ciuitas Mediolanum, Anſelmum genuerat, in tenui fortuna Lucenſem Epiſcopum, ſed quem è minori luce ad ſummum ſplēdorem peruēturum in fatis erat. Cùm enim Heldebrādus archidiaconus Romanæ eccleſię, cuius potiſſimum opera electus eſt, diſſenſiones inter Romanos ſuper Pontifice eligendo deteriores quotidie fieri videret, tempore enim creſcere potius quàm minui ſolent, auctor fuit Cardinalibus presbyteris & nobiliſſimis ciuibus vt elapſis iàm ab obitu Nicolai menſibus ferè tribus, Anſelmum renuntiarēt Epiſcopum, eíque Alexandri nomen imponerent eius qui à Petro ordine ſextus fuit, quíque à Lucenſibus in magno precio habetur: & verò obſequuti ſunt omnes bene monentis auctoritati conſilióque, ipſúmque Alexandrum omnibus ſuffragiis elegerunt, vt Otho doctiſſimus Germanorum in librum ſextum hiſtoriæ ſuæ retulit. Libertatémque eccleſiæ tum demùm reſtitutam fuiſſe ait. Cæterùm cùm Henricus Cæſar nuntium huius rei accepiſſet, ipſe filiúſque eius grauiter ſuccenſere Romanis quòd ſe in-

consultis Pōtificem deligere ausi essent. nec mora Cadulū Parmæ Episcopū ornari illa dignitate magistratúque imperant: quod à Placētino & Vercellensi Episcopis factum est die festo Simoni & Iudæ apostolis. Mox cum exercitu Romam mittitur ad Alexandrū capiendum, si quo modo fieri posset. nec defuere ex Romanis qui factionē Cæsaris sequerentur, arcémque Adriani ad expugnandam vrbem hosti proderent. AT FRVSTRA HVMANVM INGENIVM PVGNAT CVM DEO, ET CVM IIS QVI DIVINA SORTE AD SACROS MAGISTRATVS VOCANTVR. Cadulus enim nomine ipso infœlix & bis victus in turpissimam fugam se dedit, atque eo die quo Pontificis nomen sortitus erat ab omnibus Germanicis & Italicis Episcopis dānatus est. Quarum rerum testem habeo Leonem Episcopū Ostiensem. Ricordanus insuper narrat ab Henrico & Alexandro cùm Mantuam cōuenissent, discordias omnes penitus sublatas atque extinctas, sic vt nihil in reliquū tempus impedimenti Alexander habuerit quominus annis vndecim ecclesiam Romanam résque eius iure administraret. Is tandē Romæ mortuus est anno millesimo septuagesimo tertio, vt Lambertus scribit eloquentissimus Germanorum, cùm Lucēse municipium singularibus priuilegiis decorasset: atque in Laterano sepultus est. Extat epistola eius ad Remēsem archiepiscopum Guilielmum, in qua Caduli miseriarū

» mētionem facit his quidem verbis: Alexander Episcopus
» seruus seruorum Dei charissimo confratri Guilielmo Re-
» mensi archiepiscopo salutem & apostolicam benedictio-
» nem. Visis fraternitatis tuæ literis euidenter intelleximus
» eam matris suæ sanctæ Romanæ ecclesiæ sinceram com-
» passionem exhibere, ipsámque si facultas daretur præsen-

» tui corporis velle visitare & quia sollicitudinem tuam eius-
» dem prosperitate lætari, quemadmodũ de infortunio cõ-
» tristari non dubitamus: annunciamus tibi diuina suffragã-
» te clemẽtia, Caduli præsumptionem extollentem se aduer-
» sus apostolicã sedem, tanto amplius ad maiorem sui igno-
» miniam deuenisse, quãto ipse sperauerat altioris superbię
» culmen ascendisse. Si quidem proprij nominis ethymolo-
» giam euidenter intelligens, ad reparandam pecuniã in pe-
» riculum capitis sui à fautoribus suis distributam, cuiusdã
» turris pręsidio gemebundus seruatur. Vnde per misericor-
» diam Dei speramus nullo modo posse euadere, donec quic-
» quid contra sanctum Petrum nequitia sua præsumpsit, sa-
» tisfecerit, digna eius dãnatione est. Quod igitur simoniacę
» hæreseos pestẽ quæ in partibus illis vires adhuc obtinet, e-
» ius dolos velle insequi significasti, non parum deuotionis
» tuæ studio cõgaudemus, in quo nimirum adeò specialem
» dilectionẽ à nobis & à filiis sanctæ Romanæ ecclesię pro-
» meruisti, vt à nonnullis te odio habentibus, odium quo-
» que nobis euidentibus indiciis exhiberi declaretur. Super
» Aurelianensem denique qui simoniacè episcopatum obti-
» nuisse, & inde periurium tribus aliis sibi adhibitis incurris-
» se probatur, sentẽtiam dare Archiepiscopum Senonẽsem
» literis nostris ammonuimus: quem nimirum vt cum ipso
» conuenias & negotiũ illud pariter agas apostolica auctori-
» tate hortamur; Abbatem quoque sancti Medardi iam pri-
» dem excommunicationis vinculo innodatum, omnibus
» modis operam dare studeas, vt de abbatia quam iniustè te-
» net, eiiciatur, & alter dignè & canonicè substituatur Cęte-
» ra verò quæ in literis tuis cõtinẽtur, ad præsens detulimus,
» præsertim cùm in præsentia tui, quam desideramus videre,

» id melius fieri existimamus. non enim panis securi, neque
» arbor cultro scindi solet. De causa autem Amelrici iterũ &
» iterum te ammonemus, vt quod in apertis literis nostris
» continetur, omni studio omníque sollicitudine peragas.
Ad Alexandri tempora peruenit Petrus Damianus, isque in Germania legatus sedis apostolicæ, vir ætate & vitæ innocentia admodum reuerendus, vt Lamberti verbis vtar; ne Cæsar vxorem dimitteret spretis humanis diuinísque legibus, in publico apud Francofurtum Episcoporum ac principum conuẽtu obtinuit. Hic est ille Petrus Damianus, qui ad sinistrum Appennini latus quietissimam solitudinẽ, de qua multa cõscripsit, & quæ vetus fontis Auellanę nomẽ seruat, éstque in diœcési Eugubina perituris honoribus præferẽdam duxit, vbi non minus gloriosè postmodum latuit, quàm innotuerat primùm Romæ. Nec dedecori illi fuit alti verticis rutilum decus squallenti cilicio permutasse. sic enim de illo scribit Petrarcha libro secundo de vita solitaria: quem locum à Christiano lectore legendũ puto, atque excutiendum an solitudinem petierit Damianus ante adeptum Cardinalis nomẽ, vt Petrarcha putauit, an ex solitudine ad sumendum illum honorem iussu Episcopi Romani fuerit accitus, quod mihi verisimilius videtur. Iam tempus est explicãdæ Gregorij vitæ: illud dumtaxat amoris signum referam, quòd Alexander in Pontificis maximi dignitate nũquam dedignatus est se Romanę ecclesiæ Præsulem & Lucensem Episcopum appellare; quod magnum fuit dilectionis in Lucam vrbem monimentum.



GREGORIVS VII.



SI quis Bennonem legit, qui se archipresbyterum Cardinalem vocat, ísque odium eius in omnes retrò Pontifices vsque ad Gregorium quintum, & maximè in Hildebrandum exactè considerat, nullam ei fidem habendam existimabit. ODII ENIM NATVRA EA EST VT NEC DORMIRE CVM VERITATE NEC VIGILARE POSSIT. Ergo librum illum plenum maledictis, & à Cæsarianæ factionis homine, vt apparet, dictatū facilè respuo: ac malo sequi quotquot de Gregorio VII. scripsere, Leonē & Lambertum, milléque alios qui de eo loquūtur, vt de viro bono & amantissimo ecclesiasticæ libertatis. Primus est Leo à quo refertur defuncto Alexādro clerū populúmque romanum statim conuenisse, ac delegisse Hildebrandum sedis apostolicæ archidiaconum, Gregoriúmque ab eis appellatū: charū fuisse eū cōstat Victori, Stephano, Nicolao decessoribus suis viris certè religiosissimis. Lambertus quidem eum laudat vt virum sacris literis eruditissimum, & in tota ecclesia tēpore quoque priorū Pōtificū omni virtutū genere celeberrimū, sed inter improbos facile est probo, inimicos inuenire. Eiusmodi electio nō placuit omnibus, & in his Bennoni maledicētissimo scriptori grata nō fuit. itáque hi Henricum tertium Imperatorem impulerunt, alioqui improbum & sceleratum, aduersus infœlicem Gregorium: infœlicem inquam si casus humanos spectare voles:

les. Fœlicem autem, quia fortem & magnanimũ se in Pōtificatu præbuit, nec degenerẽ ab Italica gente, apud quam in Tuscia Saonæ in non ignobili oppido & natus & educatus esset, humili quidem ortus loco, & paruus corpore, sed ingenio pugnax, vt cum poëta loqui liceat, cúmque Victoriano annali. Primus odij impetus in illum se effudit sacra facientem in templo virginis ad Exquilias, vbi ipso natali Christi captus à filio Cincij; nam hic factionem Cæsaris sequebatur: atque in domesticã turrim munitam & excelsam perductus est. Verùm populus Romanus syncerior quàm olim fuerat, statim arma corripit, Pōtificémque pristinæ libertati restituit, Cincij filio in exiliũ misso, hanc iniuriam sibi illatam procurante Cæsare Gregorius notauit, sed eo expectante iustę vltionis tẽpus, accidit anno millesimo septuagesimo nono, vt Matildis spectatissima totius Italiæ fœmina, quæ Gotofredo Spoletanorum duci nupserat, exercitum Cæsaris metueret, qui imminere Italiæ nunciabatur, & se imparem sentiens Liguriam & Tusciam prouincias ditionis suæ Gregorio & Romanæ ecclesiæ offerret. Tũc Pontifex maiora ausurus quàm nunquam anteà, Henricum iura ecclesiæ occupantem cœtu Christianorum indignum pronũtiat, vocatis ad synodum centum Episcopis. Ea pœna tum grauis erat, quia id fulmẽ iaculari Pontifices rarò consueuerant, soláque eorum arma excommunicationes erant, sed ita valida plerumque vt genus mortalium nihil formidabilius putaret. Optimates imperij hoc pœnę genere perturbati, Cęsarem monent vt à Gregorio veniã petat, & petiit, supplicémque egit: ac detrahi iusso calciamento niues calcans, & gelu premens pacem & veniam poscebat. Quis non misereatur pœni-


tentis Cæsaris ac Imperatoriæ maiestatis veniam demississimè petentis? Gregorius in munitissima Matildis arce, cui Canosio nomen, in agro Rhegiensi se continebat. Simulata autem Henrici pietate victus & pacem & veniam dedit, ea lege vt fidelem Romanæ ecclesiæ se futurum in reliquum tempus testaretur. Irritatus tanta inclementia Cæsar contra datam fidem prestitúmque iusiurandum ecclesię aduersus infestúsque esse nõ destitit. vnde Pontifex animũ eius inquietũ cernẽs, quendã Matildis seruũ in Germaniã mittit, mandans vt coronã Imperij Rodulpho Saxonũ duci viro magnanimo offerret: suaderétque vt in Henricũ pia aduersus impium arma caperet, vti cepit: cõflixerúntque, anno millesimo octuagesimo primo. Quo in prælio fortuna, initio visa est fauere Rodulpho eiúsque exercitui; & mox mutata in deterius facie, eum eiusquè omnes copias miserè trucidari passa est. Quæ victoria Episcopos vrbis Romæ monere debet ne vindictæ suæ, etsi iustissimæ causa principes in mutuam perniciem arma sumere iubeant. SÆPE ENIM AVT QVIA DEVS RES HVMANAS GERI SINIT, AVT QVIA IMPROBI AVDACIORES SVNT, BONIS, HI AB ILLIS VINCVNTVR, ETSI IVSTAM BELLIGERENDI CAVSAM HABVERVNT. Cæsar itáque Victor nouum exercitum instruit, memórque acceptæ à Gregorio recentis iniuriæ, Romam obsidere, ipsum capere decreuit. Sed Romanorum pro Pontificis causa inuictus animus fortissimè restitit, sic vt re infecta discedere ab obsidione sit coactus. Anno autem consecuto iterum instruit exercitum, ad vrbémque properat, & Vaticano maxima damna infert, Gilbertúmque Rauennatem Archiepi-

ſcopum imponit Romanæ ſedi à viginti tribus Epiſcopis Brixiæ, quæ Philaſtrij patria fuit, delectum & Clementis nomine decoratum non ſuo: verùm auxiliaribus copiis Roberti Guichardi, quas ille ex Apulia Calabriáque ſtatim paratas habuit, adiutus, Cæſaré Senas cum Gileberto ſatis inclementi Pōtifice fugere cōpulit, ipſe tamē implacabilē hoſtem Henricum metuens cum Roberto diſceſſit, Salerníque eſt mortuus; multam de ſe famam, pietatíſque & religionis veſtigia relinquens, ſimul vocem illam egregiam & memorabilē, Dilexi iuſtitiam, & odi iniquitatem, proptereáque in exilio morior. quam quidem vocem Otho veritatis amans ſolus memorat libro ſexto. Quo magis miror Bennonis ingeniū, ſi quis hoc nomine vnquam fuit, cui Gregorius Mathematicarum artium, vt ait, peritus pro malefico, pro ariolo, pro crudeli, denique pro ſcelerato, habetur: plus fidei habiturus, ſi non tam acriter inſectari, pij hominis memoriam voluiſſet. A quibus ergo laudatur Gregorius? à Leone, Ricordano, Lamberto, Othone, aliíſque Italis externíſque ſcriptoribus: vituperatur etiam ab aliis aut mercede conductis, aut qui ſuam ipſi operam pręſtare Cæſari voluerunt; quibus ſanè nulla fides adhibenda, aut exigua. non enim cuiuis hiſtorico credendum, ſed eis ſolùm qui remoto omni odio, omníque perturbatione animi & corruptela ſcripſere. Lamberti autem locum illum ad annū milleſimum ſeptuageſimum quartum præterire non debeo, quo teſtatur Gregorium cum Epiſcopis Italiæ in frequenti ſynodo decreuiſſe, vt iuxta antiquos canones preſbyteri vxores non habeant, nec quiſquam omnino ad ſacerdotium admittatur, qui non in perpetuum vitam cœlibem profiteatur. hic enim locus ad eiuſdem Gregorij lau-

» dem & immortalitatem videtur pertinere. Statim enim
» cæteræ gentes synodo paruerunt: soli sacerdotes Germani
» vt vinũ, ita vxores dimittere nolebãt, FACILE ENIM SERPIT
» PECCANDI CONSVETVDO, NEC FACILE REPRIMITVR: ET
» RECTA CONSILIA APVD EBRIOS NON VALENT. Ac ne qui
» putẽt Gregoriũ ab Hẽrico temerè abalienatũ, legat has eius
» pro eo missas ad Saxoniæ principes literas, quæ extãt. Gre-
» gorius Episcopus seruus seruorũ Dei, Vvozelino Magde-
» burgẽsi Archiepiscopo, Buchardo Halberstetẽsi Episcopo,
» & Electori Marchioni, cæterísque Saxoniæ principibus, sa-
» lutem & apostolicam benedictionem. Quanta violentia
» quantáque fratrum impulsione, vniuersalis ecclesiæ mul-
» tis perturbationum fluctibus concussę, & penè quasi quo-
» dam naufragio periclitante, onus & regimẽ suscipere sim
» coactus, occultum vobis & inauditum esse non credimus.
» Testis enim mihi est conscientia mea, quàm imparem me
» tanto ponderi iudicauerim, & quanta solicitudine nomen
» apostolicæ dignitatis euitare concupiuerim. Sed quoniam
» via hominis non in manu eius, sed illius est dispositione, à
» quo gressus hominum diriguntur, impossibile mihi fuit
» contra diuinam volũtatem concepta vota defendere. vn-
» de mihi sollicitè vigilandum, atque pensandum est, qua-
» liter ea, quæ ad profectum ecclesiasticæ religionis, & salu-
» tem dominici gregis attinẽt, adiuuante Deo, annunciare,
» & fideliter administrare valeam, vrgente me præ omnibus
» tum eo timore ne susceptæ me apud supernum iudicẽ ne-
» gligentia dispensationis accuset, tum debito amore Apo-
» stolorum principis, qui me ab infantia mea sub alis suis
» singulari quadam pietate nutriuit, & in gremio suæ cle-
» mentiæ fouit. Verùm inter cæteras curarum anxietates ea

» nos maximè sollicitudo coarctat, quòd inter vos, & Henricum Regem, vestrum videlicet dominum, tantam discordiam, & tam inimica studia exorta esse cognouimus, vt exinde multa homicidia, incendia, deprędationes ecclesiarũ & pauperũ, ac miserabilẽ patriæ ruinam fieri audiamus. Qua de re Regi misimus, exhortantes, vt ex parte Apostolorum Petri & Pauli, eũ admonentes vt interim sese ab armis, & omni bellorum infestatione contineat, donec tales ad eum ab apostolica sede nuncios dirigamus, qui tantæ dissensionis causas & dilige̅ter inquirere, & annue̅te Deo, ad pacem & concordiam æqua valeant determinatione perducere. Atque itidem vos exoratos, & apostolica auctoritate commonitos esse voluimus, vt ex vestra parte, omni motione sopita, easdem pacis inducias obseruetis, nec aliqua occasione vobis, cum Dei adiutorio, astruendæ pacis impedimentum opponatis. Cùm etenim (vt scitis) nobis mentiri, sacrilegium; deserere iustitiam, animæ sit naufragium: neminem vestrum dubitare volumus, quin super hac re, veritate discussa, quicquid æquum videbitur, prouidente Deo, decernere, & stabili pactione studeamus efficere: & quamcumque partem iniurias, & conculcatæ iustitiæ violentiam pati cognouerimus, illi proculdubio, omni timore, & respectu personalis gratiæ posthabito, fauorem & apostolicæ auctoritatis præsidia conferemus.

Data Romæ decimo quarto Cal. Ianuarij 1073.




VICTOR III.



REGORIO Victor tertius successit, Desiderio ei nomen erat, patria Beneuentus, genus vitæ solitarium; quippe qui in Cassinensis familiæ disciplinam se adolescens dederat. Parentes quoque nobiles & genere claros habebat. Verùm hæc omnia parum ad Pontificatum obtinẽdum profuere, soliúsque vitæ testimonium integerrimè actæ tantam illi dignitatem attulit. electus enim est nolens atque inuitus, & ad culmen summi sacerdotij tractus, vt constat testimonio Othonis nobilissimi è Germania Episcopi sapientissimíque, quod ne Lutherani quidem negabunt. Spectantibus in eo cunctis virtutem & pietatem, quæ mirabiles edere fructus solent, duodecimo Cal. Aprilis Victoris nomẽ sumpsit, ídque Capuę nobili Campaniæ vrbe, in quam presbyteri Cardinales ipséque Cincius consul Romanus aduenerat. De Matilde spectata fœmina suprà diximus. ea dux belli cum exercitu Romam profecta est ad excipiendum Victorem adhuc absentem. Cuius aduentu cognito Pontifex classem ingressus ostia Tyberina breui attigit, ac sese nobilissimæ fœminæ & sociorum fidei committẽs, in Vaticanum peruenit, menséq; Iunio in æde Apostoli solẽnia sacra fecit. At Rauennas Henrici Cęsaris viribus adiutus vrbem totam adeò turbauit, vt in templo Apostoli ipsius festo die nullus omnino sacra fecerit. Mirum dictu est, quàm passa sit Romana

ecclesia sub hoc Cæsare immiti & barbaro. Cui Rauennas coronam imperij imposuit Romæ, cùm prius ad viginti hominum millia diuersis Italiæ locis pro Pontificis nomine causáque cecidissent. Ac sciebát Itali à viro bono se stare aduersus duos maximè impios: nec terrebantur minis eorum ac cædibus, sed sperabant post eam tempestatem Deum ecclesiæ suæ auxilium petenti non defuturum. Reuersus autem Cassinum Benedicti antiquam sedē, & mortem sibi imminere præsentiens, Cardinales monuit, vt de se actum putarent, vtque Othonem Ostiensem Episcopum successorem sibi esse vellent, hortatus est, quem ea sede dignissimū existimabat. Decessit autem decimo sexto Cal. Octobris, anno à partu virginis millesimo octuagesimo nono: atque ibi in augustissimo templo Benedicti Cassinēsis sepultus est victo quàm victori similior. duos enim potentissimos hostes superstites reliquit. Nec alium auctorem sequutus sum in eius vita explicanda quàm Leonem Marsicanum, qui Cassinensem historiam vsque ad illius obitum diligenter exposuit.



VRBANVS II.




ERRACINAM, quod est oppidū Italiæ appositum mari mediteraneo, conuenere quorum intererat Episcopum Romanis dare: & quarto Idus Martias, anni proximè insecuti Othonem ex decessoris iudicio Romanum Pontificem dixere, indicto prius tridui ieiunio, precibúsque ad Deum fusis, vt pastorem gregi daret

qualem illa tempora poſcebant. Sanè presbyteri Cardinales in electione ſummi Pontificis debent vtilitatem publicam præ oculis habere, vt rectè à Baldo ſcriptú legi, & habuere quidem in Vrbano deligendo. maxima enim cura virum prudentiſſimum cęteris prætulere. In æde Apoſtoli & Diui Cæſarij id actú eſt pręſente Benedicto præpoſito vrbi, & Ioanne Portuēſi; quos Clerus populúſque Romanus ad eam rem procuratores miſerat. Verùm Albanēſis Epiſcopus interrogauit cœtum illum frequentiſſimum, vellent ne illi nomen eſſe Vrbano? & acclamatum eſt ab omnibus placere. atque hæc à Petro Diacono in libro quarto Caſſinenſis hiſtoriæ narrantur. Hic Pontifex vir egregius vita & moribus fuit. hoc enim elogium ei tribuitur à Balduino Carnotēſi belli ſacri, cui interfuerat, primo ſcriptore, duáſque Reipubl. cauſa ſynodos habuit, alteram Placentiæ, cuius aliquot decreta à Gratiano citantur: alteram, apud Aruernum vrbem, Sidonij Epiſcopatu clariſſimam, quam tamen obliti antiqui nominis Clarummontem incolæ vocarunt. Eò conuenerant trecenti decem Epiſcopi vel Abbates, quorum conſenſu multa ſancita ſunt, eccleſię vniuerſæ profutura, & quæ ab eodem Gratiano etiam recitantur. Sed illud maximè illuſtre fuit, Vrbani hortatu bellum ſacrum inchoatum à generoſa Gallorum gente, breuiſſimóque temporis ſpatio coactis innumerabilibus peditum atque equitum copiis confectum, ſuperata viarum aſperitate & moleſtia, victo ad Antiochiam ingenti exercitu Mahometanæ ſectæ, eóque fuſo, Hieroſolymis fœliciter expugnatis. quam laudem & gloriam Gallis eripere conari, id verò ſit euertere omnes illius temporis hiſtorias. Menſe Nouembri anno milleſimo nonageſimo

quinto

quinto hæc ſynodus apud Aruernũ habita eſt, Balduino id ita referente: & Martio proximè conſequuto de profectione cogitatum. Sed Aruernũ municipium Vrbani beneficio nõ caret. templum enim Virginis in eo iuſſu eius exædificatum eſt magnificentiſſimum Aruernorum, in cuius veſtiario illam Balduini hiſtoriam ſeruari moneo. Notiſſimus autem erat huic Epiſcopo Iuo presbyter, multa eruditione conſpicuus, vt ex epiſtolis eius nuper editis in lucem perſpici poteſt. Iuo inquam Carnutum eccleſię ab illo paſtor deſignatus. Quo in munere quid præſtiterit, epiſtolæ indicant. Philippo enim Regi Francorum illicitas damnatáſque nuptias appetenti fortiſſimè reſtitit. Guilielmum Apulum incliti nominis poëtam tunc fuiſſe cõſtat: cuius extat ad Vrbanum ſecundum hiſtoricum poëma his annis repertũ in Lugdunenſi ſecunda, publicatúmque. In quo opere pauca de Vrbano, plura de Gregorij ſeptimi, & Leonis noni, & Nicolai ſecundi virtutibus rebúſque geſtis commemorantur. Sed finis operis eſt narratio bellorum, quæ Normanni in Apulia Calabriaque aduerſus Gręcos geſſere. Obiit autem Vrbanus Romæ, quæ illum vt Epiſcopum luxit, Gallia vt parentem: etſi in ea natus erat apud Caſtellionem in prouincia Remenſi, id eſt oppidum ſitum ad Matronam flumen. nam aliud eiuſdem nominis in diœceſi Lingonenſi ad Sequanam poſitum eſt. Epiſcopus verò Lingonum Archiepiſcopo Lugdunenſi ſubeſt. Cúmque Hugonis ſexti Abbatis Cluniacenſis diſcipulus ac monachus fuiſſet, ac domus illius antea Prior deſignatus, ad Apoſtolicã dignitatem peruenit, primúſque Pontificum Romanorum antiquam illam pietatis ſedem adiit à Guilielmo Aruernorum Comite & Aquitanorum Duce

conditam, neque vlli patrono vel Regi commendatam, nisi Deo & Petro eiúsque successoribus. Atque omnia priuilegia & iura inclito illi monasterio à prædecessoribus suis concessa lubens confirmauit, vt sacræ eius sanctiones docent, quæ adhuc in archiuis Cluniacensium & Charturio custodiuntur.



PASCHALIS II.



VRBANVS, cui locum fecerit, perspicitur ex initio epistolæ Iuonis Carnutum in Gallia Episcopi ad Paschalem summum Pontificem. Paternitatem, inquit, vestram apostolici culminis gradum ascendisse, & in locum beatæ memoriæ Papæ Vrbani successisse nostra paruitas gratulatur. Vrbanus enim non solùm Gallus, sed ex intimo regno Francorum erat. Inter epistolas quas Episcopi Remenses summis Pontificibus scripserũt, vnam reperio Geruasij ad Paschalẽ, quæ id ipsum testatur, & hũc summa humanitate pręditum, hac verborum formula. Excellentissimo patri patrum & Episcoporum Episcopo Paschali Geruasius Remensis dictus Episcopus, fidele seruitium cum exiguitatis meæ orationibus. Gratias ago diuinæ primùm pietati vestræ, etiam optime pater mediocritati, quòd non tãtum apud vos accusatorum meorum inualuit delatio, vt non veridica legatorum nostrorum admitteretur excusatio, nec Apostolica censura mihi negâ-

» ret misericordiam, in quam non sine multorũ admiratio-
» ne tãtùm inhorruerat. Gratias nihilominus ago vestrę hu-
» militati, quæ quanta principem & pastorem sanctæ Ro-
» manæ ecclesiæ decuit benignitate nostros legatos sanos
» excepit, infirmos visitauit, mortuos sepeliuit. Etsi enim
» vni tantùm apud vos infirmato & mortuo hæc visitationis
» & sepulturæ solatia impendistis, in vno tamen cæteros vi-
» sitastis, cæteros sepelistis: cui non ego qui nihil sum, SED
» TOTA REMENSIS ECCLESIA bonæ conuersationis
» testimonium perhibet. Cuius obitum cæterorúmque qui
» penè omnes obierunt, audiens incredibili tristitia sum af-
» fectus; nec vnquam non odisse valeo illum, cuius superbia
» id effecit, vt isti mitterentur. Quod vestra prudentia opti-
» mè recognoscit: propterea multo grauior angit me tristi-
» tia de obitu domini Regis: quod etiam vestram non la-
» tet prudentiam. scitis enim quantum infrenes & indomi-
» ti sunt nostrates, quorum diuisionem timeo regni nostri
» fore desolationem. ad quam euitandam vęstrum mihi cõ-
» silium & auxilium flagito, quę nulli regno, vt pote pater
» omnium, negare poteritis; præsertim cùm nostro semper
» debeatis, quod optimi viri patriæ debere censuerunt. De
» vestro aduẽtu in nostram Galliam quid animi habuerim,
» viuente domino Rege licet diffamatus sim, id noluisse satis
» vt puto significaui paternitati vestræ, & nunc in eo is mi-
» hi animus est Deo testante: Vt non tantùm eum deside-
» rem, quãto decet Petri vicarium suscipi, & Apostolicæ cẽ-
» surę per omnia cooperator existam. Dicãt aduersarij quã-
» tumlibet me infidelẽ & rebellem magistratui vestro, ego
» subiectionẽ meam vobis profiteor: & quicumque vobis
» illam negauerint, cuiuslibet ordinis sint, mihi cõmunica-

» re non poterunt. Obloquitur etiam aduersariis illa obe-
» dientia, quam sine omnium respectu suspensioni & inter-
» dictui vestro conseruant, non sine magno damno ecclesia-
» rum nostrarum & nostro. Impediuit quoque meum erga
» vos famulatum illa suspensio, ad quod restaurãdum, sicut
» recuperare possibile est, si ita ad cætera redintegranda sal-
» tim aliqua spes restauret. De tanto dolore quasi de graui
» somno resurgerem. est enim mihi animus, nec despero id
» futurum cum gaudio atque reuerentia quandoque apo-
» stolatum vestrum suscipere, tantúmque honoris vobis im-
» pendere, quantum personæ & officio vestro cõuenire ma-
» nifestum est. Nec nostris temporibus fuisse vel futurum
» esse in vestra sede aliquem credo, quem copiosius hono-
» rare desiderem. nam qui nos sic honorastis prudentia &
» sanctitate vestra, vt de regno nostro Roma eligeret quem
» sibi & mundo caput ordinaret: Nos quoque tanto hono-
» re vos dignamur, quanto dominus noster Iesus Christus
» Petrum decorauit, vbi ecclesiæ principatu illum sublima-
» uit. Deus omnipotens sanctitatem vestram ad vtilitatem
» sanctę ecclesiæ diutissimè conseruet, & auertat à prudẽtia
» vestra, ne alicuius leuis sermo gratiam vestram mihi, néve
» seruitium & fidelitatem meam vobis auferat. Vt verò superiorẽ epistolam quilibet intelligere possit, Philippo primo Frãcorum Rege mortuo, Ludouicum Crassum successisse certissimum est, Geruasíique cum Radulpho certamen, vter legitimus Remorum Episcopus esset libro tertio annalium breuiter perstrinximus. Hunc verò Geruasium fuisse Cenomanum patria colligimus ex pulcherrima cerui imagine, quam is per Orsmũdum peritũ artificẽ ex ære fieri curauit, magnitudine ceruos naturales æquan-

te, cámque vidi Remis iuxta templum virginis Mariæ sic inscriptum.

Dum Cenomanorum saltus peragrare solebat
Geruasius, ceruos tunc sufficienter habebat.
Hunc memor vt patriæ sit semper, fecit in ære.


Quin artificis ipsius fit mentio. in imo enim ventre hęc verba sequuntur:

Orsmundus me fecit.

Paschalis igitur in Hetruria natus, ex Abbate sanctorum Stephani & Laurentij ad amplissimã dignitatẽ vocatus est, cúmque iurare oportuit priusquam cõsecraretur, consuetudines Romanę ecclesię & decreta prædecessorũ suorum se diligẽter seruaturũ, vt alia eiusdem Iuonis epistola cõtinetur. Aduersarios autem habuit Henricum sæuissimum hostem Episcopotum vrbis, & Gilbertum Rauennatem, literatum quidem virum & locupletem, sed prædonem diuini iuris & ecclesiasticæ disciplinæ euersorem: quibus viperis vsque ad vtriusque obitũ tamen restitit. Verùm Henrico cognominis filius successit, Romanóque Pontifici & ecclesiæ Dei æquè infestus. Anno itáque supra mille centesimo decimo Romam petiit Henricus quartus, à Paschali Imperatoriam coronam more maiorũ accepturus: qua spe sua non excidit, Pontifice turpiter capto, & in carcerem coniecto, nec dimisso nisi ipse coronaretur, & presbyteri Cardinales iurarent se nunquam illum è pio Christianorum cœtu summoturos. Hac arte & perfidia Cæsar tunc vsus est, dolum malum præferens pietati. Sed rem totam vt acciderit Ioannes Tusculanus Episcopus literis suis ad Richardum Albanum Pontificem ita exponit. Ioannes Dei gratia Tusculanus Episcopus agens vices domini Pas-

» chalis Papæ vincti Iesu Christi, venerabili fratri Richardo » Albano Episcopo in domino salutem. Quoniam, sicut ait » apostolus, vnum corpus sumus in Christo: & si patitur v» num membrum, cætera membra compatiuntur: quæ de » capite nostro & de tota ferè ecclesia gesta sunt, fraternita» ti tuæ significamus. Cùm igitur Henricus Theutonicorũ » rex Sutrium peruenisset, legatos quosdam Romam dire» xit: qui iureiurando firmauerunt domini Papæ Paschalis » legatos securè ducere ac reducere, & Regem ipsum sacra» mento firmare, omnem ecclesiarum inuestituram penitus » abdicare, obsides etiam dare, ne ad hoc flagitium iterum » rediret, & res ecclesiasticas & regalia ac beati Petri pa» trimonia libera & quieta omnino dimittere, obsides » etiam dare pro securitate, cùm ad coronandum eum » ad beati Petri basilicam exiret. Postea ex parte ecclesiæ » à laicis viris firmatum est, si ista quæ promissa sunt » iam dictus rex obseruaret, quòd dominus noster eam » benignè susciperet, & ei diadema regni imponeret, & » coronatus si vellet vrbem intraret. Pro transitu etiam pon» tis obsides accepit, pro quibus sacramentum exhibuit, » quòd in ipso die dominico si pontem transiret, eos in libe» ram nostrorum restitueret potestatem. De his igitur om» nibus sacramentis ex vtraque parte peractis, & obsidibus » datis, cùm ad coronandum eum ad ecclesiam beati Pe» tri Papa exiret, postpositis sacramentis & dimissis obsi» dibus eum in ipsa ecclesia cum Episcopis & Cardina» libus & multis Romanis violenter cœpit, & in cap» tione arctissima detinet. Romani verò post alterum diem » collecti in hostes ecclesiæ impetum facientes de porticu » fugere compulerunt, interfectis multis de suis & perditis

» equis, tentoriis, pecuniis, & infinita supellectili. Post hæc » omnes vnanimes contra eum iurauerunt vno animo, vna » voluntate pugnare. Tu igitur prudenter vigila, & quanto » amplius necessarium conspicis, tanto magis elabora, & ma» trem ecclesiarum omnium adiuuare ne desinas. Oratio» nes pro liberatione domini nostri, immò pro ipsa ecclesia » vbicumque potueris fieri facias. Vale. Hoc autem factũ est anno domini millesimo centesimo vndecimo, indictione quarta, pridie idus Febr. in basilica sancti Petri apostolorũ princpis, die Dominica ante caput ieiunij. Ex quibus literis quanta fuerit Cæsari illius perfidia explicatu facile est. Præter hos hostes eruperunt totidem qui se Romanos Pontifices esse gloriabantur, Albertus, Theodoricus & Aginulphus. Sed Paschalis instar lucissimi solis illos veluti nimbos breui discussit, atque ita se gessit vt Pōtificatu dignum aduersarij quoque eum iudicarēt. TANTAS ENIM VIRES HABET VIRTVS, VT NE AB HOSTIBVS QVIDEM OBRVI POSSIT. Tandem anno à partu virginis millesimo centesimo decimo octauo Paschalem obiisse refert monachus Peganiensis non ignobilis scriptor. Otho quoque libro septimo multa de Paschali, déque Henrico Cæsare narrat: cuius iussu summus sacerdos Romæ captus est, atque huius maximi sceleris auctorem, vt eius verbo vtar, facit Albertum Henrici Cancellarium, quem Cæsar reuersus in Germaniam in vincula coniecit, faméque & inedia consumi mandauit.



GELASIVS II.




OANNEM Caietanum à Caieta portu mediterranei maris Virgilij versu celebri dictũ aiunt, quod in eo oppido natus esset. Tyrius nobilis scriptor elogiũ viri literati ei tribuit, quia plurimarum rerum cognitione scientiáque instructus erat, vt ille olim Gelasius primus inter doctissimos homines positus à Cassiodoro Senatore. Is vbi se electum vidit, sensit Henrici quarti in se immerentem odium, concordiámque & pacem quęrens, in patriam se recepit, quo & presbyteri Cardinales eum sunt honorificè comitati vnam maxime ob causam. Procurãte enim Cæsare aduersarius Gelasio est inuẽtus cognomine Burdinus, patria Lemouix, vt Rodericus in Hispanica historia narrat, qui se Romanum Episcopũ appellare auderet. Hæc occasio Gelasio fuit nauigãdi in Galliam, vt nostræ gentis humanitate frueretur, peterétque auxilium à Rege Francorum, sicut prędecessores eius afflictis rebus olim fecissent. nam hi sæpe ad regiam hanc perfugere, eiúsque nobilissimi hospites facti illam veluti asylum suum atque aram sensere. A Prouincia Volcarũ deductus est Lugdunum coloniam Romanam, occurrentibus obuiísque Galliæ populis, atque inde Cluniacũ peruenit, quod est monasterium situm prope Matisconem oppidũ ad Ararim, Iulio Cæsari notissimum, vbi tunc florebat Põtius Petri Comitis Mergulienis filius, & præfectus Cluniacensium

censiú ordini, qui Pontifici occurrerat in Volcis, eúmque honorificè comitatus erat. cúmque Gelasius apud Matisconem grauissima valetudine correptus esset, se Cluniacum lectica ocius perferri iubet, atque ibi mense Maio decessit, rebus iis quarum causa venerat planè infectis, anno decimo nono supra mille & cẽtum. Visitur monumẽtum eius inter Crucem, & aram quæ est post chorum magnæ Basilicæ, non marmoreum quidem illud, sed ex lapide candido, opere Tusco constructum. Petrus Pictauiensis, cui res eius notę erant, Epitaphium ei postea scripsit, non quidem excultum & politum, sed quo vitam eius contineri Christianus lector videat.

» *Vir grauis & sapiens actu verbóque Joannes,*
» *Cùm prius ex monacho pro multa strenuitate*
» *Archileuita foret, & Cancellarius vrbis,*
» *Præsule Paschali meritis ad sydera rapto:*
» *Promeruit tandem sacram conscendere sedem,*
» *Dignus post primum Gelasius esse secundus.*
» *Sed quia rege fuit non recipiente leuatus,*
» *Horrendum fremuit princeps, & filia dulcis*
» *More suo profugum suscepit Gallia patrem.*
» *Si licuisset ei (pro certo crede) sub ipso*
» *Virtus & pietas & honestas cresceret omnis,*
» *Et pax ecclesiæ toto floreret in orbe.*
» *Nam rapuit mors atra virum, cùm Pontificatus*
» *Vix ageret primum pastor venerabilis annum.*
» *Bina dies iam restabat, cùm Cluniacensi*
» *Dormiit in proprio Romani iuris asylo.*
» *Hic igitur positus dilectos inter alumnos*
» *Cum patribus sanctis requiescit, & optat vt orbis*

» *Conditor & iudex veniat quandoque potenter,*
» *Et cineres lapsos in pristina membra reformet.*
» *Fœlix inde nimis semper Cluniace manebis,*
» *Quòd pater orbis apostolicus summúsque sacerdos*
» *Ecclesiæ matrísque tuæ specialis, apud te*
» *Transiit ad superos, in te requiescit humatus.*
» *Nec minus hic etiam fœlicem credimus illum,*
» *Cui dedit ipse pius magnus pro munere Christus,*
» *Vt monachi monachum, patrem quoque pignora chara*
» *Iugiter aspicerent, lachrimísque rigando sepulchrum*
» *Sacris in precibus specialem semper haberent.*




CALIXTVS II.



VIDONEM Archiepiscopum Viennæ Allobrogum, quæ olim Prætoria fuit, ad Pontificatum peruenisse mirabile profectò est. Henrici enim quarti cõsanguineum hostis Romanæ ecclesiæ infensissimi, quæ spes erat eam dignitatem adepturum? Consanguineũ autem fuisse libro duodecimo Tyrius tradit. septem Cardinales cum decessore Cluniacum venerant, ab his & omnibus Galliæ Episcopis homo Burgundus genere, Stephani Comitis Burgũdiæ frater cis alpes & in patria sua liberis omniũ suffragiis Romanus Pontifex constituitur, & Guidonis nomen abiicere iubetur, vt Calixtus secũdus imposterum diceretur. Quòd verò Cluniaci maxima cura dele-

ctus esset, Pontium & successores illius monasterij præfectos anulo donauit, eósque imposterum Romani Cardinalis officio fungi iussit, vt in ephemeride eorum in memoriam scriptum permansit. Nemo constantius pro Paschali aduersus Cæsarem steterat, nemo promptior fuerat ad damnandam in eo perfidiam. concilio enim Viennæ ad Rhodanum celebrato, in ipsum sententiam anathematis iaculatus erat, ídque epistola eius ad Paschalem quæ adhuc extat ostenditur: nemo tamē charior illi postea fuit. mutata enim voluntate & pacem pontifici dedit, & iuri cessit, si quod habebat inuestiendi Episcopos & Abbates, quod nunquam videbatur Pontificium fore, si Germani Cæsares in pertinacia sua & odio veteri erga seccessores eorū perseuerarent. AT MORTALIA ESSE ODIA PRÆSTAT REIPVB. CAVSA. SI ENIM INIMICITIÆ IMMORTALES ESSENT, QVÆ PAX INTER HOMINES AVT QVIS CONCORDIÆ AVT QVIETI LOCVS FORET? huius pacis nuncium & consensum Italicæ gentis expectans Calixtus synodum habet, cui interfuere quadringenti quinquaginta Episcopi & Abbates, à quibus disciplina ecclesiastica ferè restituta est. Ea confecta synodo apud Remos celeberrimam vrbem Belgicæ secundæ, in Italiam proficiscitur, excipitúrque quasi numē aliquot in terras delapsum, cōcordiæ bono in animos hominum penitus illabente. Quo audito nuncio Burdimus aduersarius Gelasij Roma profugus Sutrium se recepit, obsesśúsque à lætis animi ciuibus Romanis capitur, & camelo insidens, pelléque vrsina indutus, cùm Romæ per ignominiam visus esset, ad Cauentium monasterium iuxta Salernum vrbem duci iubetur, & in illo cœnobio deinceps viuere, vt Tyrius memoriæ mādauit. Calixtus itáque

aduersario clemens & beneuolus erga omnes, cum Henricum per duos Cardinales Vvormatiæ Vangionum omni interdicto soluisset, restituisétque in gratiam mortuo illo sine liberis, cúmque ipse Romanam ecclesiam quinquennio & aliquanto amplius rexisset, relicto apud Romanos aliásque gentes ingenti desiderio sui decedit Romę, atque apud Lateranum sepelitur.




HONORIVS II.



LAMBERTVS Imolę, vt Platina refert, vel vt alij Bononiæ natus, in vrbe totius Italiæ doctissima, ex Ostiensi Episcopo Honorij nomē accepit: & fuisset oneri ecclesiæ Romanæ, nisi statim agnouisset quàm illegitimè Romanū Pontificatum esset adeptus. Sed id factum excutiens, & si fieri posset infectum volens, duodecimo post electionē die coram presbyteris Cardinalibus nomen & insignia Episcopi Romani se abiicere professus est. & verò abiecit: dicebat enim malle se Ostiensem Episcopatum iure obtinere, quàm Romanum iniuria. Quod cùm fecisset, nemo tamen fuit qui non ei agnito errore veniam dandam censuerit, pontificémque legitimum nouis & quidē liberrimis suffragiis esse iusserit. Et rectè, nam Marcellino grauius peccanti maiores ignouerant. Atque hoc illustre factum nesciremus, nisi memorię commendatum esset à Tyrio belli sacri optimo scriptore. Hac eius,

insigni pœnitentia victi Cardinales, qui D. Anastasiæ Cardinalem Theobaldum elegerant, ad Honorij pedes se abiecerunt, eúmque vt Romanum Pōtificem consalutarunt. Itáque pœnituisse illum nunquam pœnituit. Honoris enim amissio eiusdem recuperatio fuit. Huic nondum Pontifici, sed apostolicæ sedis Legato, Cæsar coacto iuxta Vormatiam Vangionum vrbem maximo principum cōuentu, inuestituram Episcoporum liberè resignauit, per eúmque ab anathematis vinculo solutus est, quantū apud Othonem libro septimo reperio. Excellētes autem viros, & ingenio doctrináque prestantes, mirificè coluit, vt Bernardum illa ætate mirabilem, ac velut quoddam sydus terris illapsum. Quod ex eius epistolis agnoscere quiuis potest. ad hunc enim Honorium scribit duas, in quibus scribendi libertatem soleo mirari. Hildebertum quoque Turonensem in Gallia nostra Archiepiscopum in pretio habuit. Extant enim literę eius, quibus cōfirmari petit decreta synodi Nannetensis, & Honorij rescriptum, quo vt sancta legitimáque confirmātur. Illa synodo duo iura Conano Comiti Britanniæ cōsentienti eripiebantur, quibus ad id tempus ipse maiorésque eius vsi erant. consuetudinis enim erat, vt decedente marito vel vxore vniuersa decedentis mobilia ad fiscum transirent, non ad filios vel legitimos successores. Qua cōsuetudine quid iniquius esse poterat? Præterea quicquid euadebat ex naufragiis, fiscus sibi vendicabat: passíque naufragium miserabilius violentia principis spoliabantur, quàm ab æstuanti pelago fuissent. Hoc Hildeberti Honoriíque beneficio Britānia obtinuit, quę veteribus Aremorica fuit, rescriptúmq; Honorij datū est Laterani decimo tertio Calend. Iunias, idémque Hilde-

bertus exceptiones decretorum in vnum volumen redegit, vt ex duabus eius epistolis cognoscimus . quod opus nondum in lucem venit. Decreuerat autem Honorius Reipubl. Christianæ causa Oecumenicam synodum Romæ habere, & cisalpinos Episcopos ei interesse iusserat, ipséque Hildebertus eius rei gratia profecturus Romã, Nobis
» illuc profecturis, inquit, tempus hyeme suspectum, niuibus
» alpes, incrementis aquæ, vinculis Imperator, seditionibus
» ciuitas, exactione palatium, sanè omnia hæc orationibus
» euacuari posse credimus, solam verò exactionem
» nec oratione nec ieiunio temperari.



INNOCENTIVS II.




RESBYTERI Cardinales mortuo Honorio dum successorem quærunt, maximarum discordiarum auctores fiũt. duos enim Episcopos creant, pars quidem Gregorium diaconum sancti Angeli ab Vrbano secũdo Cardinalẽ designatum, cui nomen Innocẽtij sanctissimi viri tribuunt: pars verò Petrum Cardinalem Leonis filium potentissimi ciuis Romani, atque hũc Anacletũ vocarũt: etsi sciebant Gregorium in vrbe natum ex familia nobili, quæ cùm Papa diceretur, non indigna certè erat vt alumnus eius Papa re ac nomine vocaretur. id enim in fatis erat vt rerum exitus demonstrauit. Quis hæc dissidia insequutus est exitus? seditio in vrbe, populus Romanus

mutua cæde concisus, templa donariis spoliata, aliáque innumera flagitiosa & scelerata euenere. Cæterùm Innocētius vicit æmulo illo prius extincto, sed post multos labores atque pericula. SVMMI ENIM MAGISTRATVS A DEO QVIDEM ALIIS VENDVNTVR, ALIIS DONANTVR. Hoc autem initium rerum Innocentij mutuor à Tyrio & à Petro Cassinensi. Cæterùm plura de huiusmodi dissensione dicemus in Alexādro tertio ex Arnuphi Lexoniorum in Gallia Episcopi ad eum epistola. Nunc tempus est dicendi Bernardum Claræuallis Abbatem in epistola ad Aquitaniæ Episcopos, cùm Innocētium tradidisset, Gregorium sancti Angeli Diaconum Cardinalem ante Pontificatum dici solitum, hæc de illa Cardinalium dissensione scribere. Duo » itáque sunt de quibus cōtenditur, quisnam eorū rectius vi» deatur Papa, Innocētius, an Petr⁹ Leonis fili⁹? quorū primò » quidē, si personas cōpares, vt neutri sanè vel derogare vide» ar, vel adulari, dicam quod dici passim reperies, & neminē » arbitror diffiteri, quia videlicet Innocētij nostri vita & fa» ma nec æmulū timet, cùm alterius nec ab amico tuta sit. De» hinc si electiones discutias, nostri itidem mox occurrit & » promotione purior, & ratione probabilior, & prior tēpo» re. Porrò de tempore constat, reliqua duo merita probant, » & dignitas eligentium. Hanc enim (ni fallor) partem sa» niorem inuenies, tam Episcopos quàm Cardinales, diaco» nos siue presbyteros, & quorum maximè interest de ele» ctione summi Pontificis & quanti in eligendo iuxta pa» trum scita, sufficiant. Quid & in consecratione? Nonne » Ostiensem, ad quem specialiter spectat, habemus? Cùm i» gitur & electus dignior, & electio sanior, & actio ordina» bilior teneatur: qua isti ratione, imò qua contentione cō-

» tra ius & fas, & vota omnium bonorum, inuitæ & reniten-
» ti Dei ecclesiæ pręficere alium, & illum deponere tentant?
» Horũ conatui tam maligno, tam indigno, tam temerario
» totis certè viribus renitendũ esse videtis reuerendissimi &
» illustrissimi Patres. quod cùm omni familiæ Dei, tamẽ vo-
» bis maximè vestrísque conuenit, si tamẽ zelus domus Dei
» comedit animas vestras, vobis, inquam, & vestris maximè
» vigilandum est & orandum ne intretis in tentationem. In
» ea sanè parte maiore opus est fortitudine & cautela, vnde
» acrior insistit aduersarius, & vis belli maior incumbit.
» Quàm sæuus & callidus hostis insurrexerit in vos, proprio
» certè agnoscitis experimẽto. Heu quàm multum iam ma-
» litia illius in illis partibus pro accepta potestate processit,
» vtroque sæuiens genere malignãdi, vi, & dolo. Apud eun-
dem Bernardum est alia epistola ab Hugone Burgundiæ
duce ad Guilielmum Comitem Pictauorum & Ducem A-
" quitaniæ scripta, in qua hæc quoque sunt: quem omnis re-
" ligio, quem regum vniuersitas receperunt, vobis quoque
" honorificum & salutiferum est vt recipiatis: domini Papę
" Innocentij & innocens vita & integra fama & electio ca-
" nonica prædicatur. Priora duo nec hostes diffitentur, ter-
" tium calumniam habuit, sed per Christianissimum Lotha-
" rium nuper falsi calumniatores in suo sunt mendacio de-
" prehensi. Is fuit Lotharius Cæsar, de quo infrà dicemus, &
quẽ epistola ad eum scripta Bernardus magnopere laudat
ob ecclesiæ liberationem pacémque regni. Reperi autem
aliquot ad hunc Pontificem Petri Cluniacensium Abbatis
epistolas, & in his vnam qua queritur non longè à Ponte
tremulo Italiæ oppido plurimos Galliæ Episcopos & Ab-
bates à synodo reuertẽtes captos esse, vulneratos, in carcerẽ
conie&tos

coniectos, petítque ab eo vt non solùm auctores sceleris puniantur, sed etiam vt in toto Lunensi Episcopatu apostolicæ vindictæ mucro resplendeat. Cōcilio quoque Pisano habito sub Innocentio Gaufredum Carnutum Episcopū, séque interfuisse alia epistola meminit: Literis insuper ad Innocentium datis, Ludouicum regem Francorum ait sacris eius manibus inunctum regémque designatum. At fuit inter Innocētium & Rogerium Siciliæ regem grauis discordia, ex eo nata quòd ille ęmuli partes factionémque noxiam fouisset, vnde secuta bella, quibus tandem finis factus, eiúsque pacis suasorem se fuisse Pisis, Romæ, & in Gallia Petrus asserit. de qua quidem pace in epistolis ad
" Rogeriū loquitur in hunc modum. Quis nō gaudeat, quis
" nō totis viribus si necesse fuerit collaboret, vt post tantos
" bellorum & malorum turbines, tam profundę pacis bonū
" adeo per vos Siculis, Apulis, Calabris multísque aliis gen-
" tibus collatum conseruetur, augeatur, dilatetur? Quis ec-
" clesiæ Dei se membrum agnoscens de tantarum ecclesia-
" rum inconcussa & stabili pace per vos vt dixi & restituta &
" conseruata in domino non exultet? Lothario autem Cæsari laus restituti Innocentij certè debetur, idémque administrati sapienter Imperij elogio dignissimus, ab Innocentio Romæ diademate Imperij exornatus est. Cùm autem in Gallia esset Innocentius, precibus Trecassini Episcopi Paracleto insigni postea monasterio virginum præficitur Heloysa fœmina, illius ætatis doctissima, quæ vxor Petri Abaelardi fuerat execti procurante Fulberto Canonico Parisiensi, cuius illa neptis erat, ídque Abaelardus recitat in historia calamitatum suarum, quæ in bibliotheca mea adhuc latet. Quàm autem misero illi aduersus extiterit

Bernardus, quàm propicius Petrus Cluniacensis, ex epistolis eorum facilè cognoscitur. Hos tres viros illa ætate Gallia doctissimos alebat, vnum Burgundionem, alterum Aruernum, tertium Aremoricum. Abaëlardus enim Brito erat, præceptis philosophię ac theologiæ instructus mirandum in modum. Sed quid necesse est plura de eo dicere, cùm in Annalibus nostris, id quoque ex Petrarcha copiosè exposuerimus? etsi autem Abaelardus erat nobili genere ortus, apud Palatium oppidulum agri Nannetensis ad Ligerim flumen, & gloriabatur ex quacumque difficili sententia sensum à se vno elici posse, vt Accursius notauit ad L. quinque pedum C. finium regundorum, Innocentij tamen programma in eum tale fuit. Innocentius Papa Episcopis Galliarũ. Dolemus quod in Petri Abaëlardi pernitiosa doctrina Arrij, Manichæi, Nestorij, Eutichiani & Dioscori hæreses pullulare cœperunt, vnde vniuersa ipsius Petri peruersa dogmata cum suo auctore damnamus, vniuersos quoque erroris sui sectatores & defensores à fidelium consortio sequestrandos & excõmunicationis vinculo innodandos esse censemus. Quod quidem programma adhuc extat in Bibliotheca incliti monasterij Diui Victoris ad vrbem Lutetiam Parisiorum, & apud Bernardum in epistolis reperiri moneo. Porrò legantur Bernardi plurimæ ad Innocẽtium epistolæ plenæ rerum gestarum, quę sunt breuitatis causa prætermittendę. Administrati autem Pontificatus anno ferè decimo quarto fœliciter Romę excedit è vita.



CÆLESTINVS II.



IN Hetruria natus apud Thiphernum, id eſt, in caſtro cui fœlicitas nomen, obſcuro admodum genere, parentibúſque pœnè incognitis, Cæleſtinus ad ſummum ſacerdotium fœliciſſimè peruenit. Guido anteà vocabatur, electus à patribus eo ipſo die quo deceſſor obierat, cùm plurimi ſucceſſorum nō niſi poſt aliquot mēſes, quidam etiam poſt aliquot annos, fuerint deſignati. quod interdum accidit, cæleſtium occulto latentíque iudicio, interdum ſola electorum nequitia conſentire nolentium. Huius amicus fuit Cluniacenſium Præfectus. Itaque paulò poſtquam eſſet Pontifex renunciatus, ſcripſit ad eum epiſtolam, qua cōtinetur ipſum legitimè electum initio Pontificatus omnia Romæ pacata habuiſſe, cùm octo deceſſores eius vſque ad Innocentium pacem tam citò non potuerint videre. Extat Bernardi ad eum quoque epiſtola, quam curioſorum erit quærere. Ego verò vbi indicauero Pontificatum Cæleſtini contineri ſex ferè menſibus, vt Otho hiſtoricus narrat lib. ſeptimo, cúmque Romæ in Laterano deceſſiſſe, ſubiiciam Petri Cluniacenſis epiſtolam, cuius mentio facta eſt. » Vniuerſali Pontifici & » ſpeciali Cluniacenſis eccleſiæ patri, domino Papæ Cæle» ſtino, Frater Petrus humilis Cluniacenſium Abbas, ſynce» rum amorem & plenam obedientiam. Benedictus domi» nus Deus noſter, qui memor verbi ſui in quo nobis ſpem

„ dedit more ſuo nullatenus ſe oblitum verborum ſuorum,
„ etiam hoc tempore monſtrauit, quibus ſuos ab ipſis rece-
„ dens conſolari dignatus eſt, dicens: Ecce ego vobiſcum
„ ſum omnibus diebus vſque ad conſummationem ſeculi.
„ Apparet hoc innumeris ipſius gratiæ donis, apparet
„ hoc nunc ſpecialiter & in vobis, quem his noſtris diebus
„ ſummum Pontificem, animarum noſtrarum cuſtodem,
„ totius eccleſiæ ſuæ adhuc in terris peregrinantis, hoc eſt,
„ vnicæ columbæ inter coruos gementis præſulem, propi-
„ tia mortalibus benignitas diuina conceſſit. Non hoc, (vt
„ iam nobis relatum eſt, humanus faſtus, non ſibi proui-
„ dens humana cupiditas, non Romanus turbo ſæpe audi-
„ tus, orbémque terrarum ſuo impulſu concutere ſolitus
„ effecit: Sed aduerſa pacificans, diuerſa vniens, diſciſſa redin-
„ tegrās, ſpiritus ille qui vbi vult ſpirat velut in ſibilo auræ
„ tenuis iuxta verbū domini factū ad Heliam leniter adim-
„ pleuit. Gauiſi ſumus audiētes iſta, & in immēſū cor noſtrū
„ exhilaratū eſt, agnoſcentes nō armis, non turribus, nō mi-
„ nacibus agminibus, rem diuinam tutari: ſed ſola miſericor-
„ dis domini manu & ſuaui protectione ad pacem compo-
„ ſitam eſſe. Agnouimus verè quod agnoſcendum erat, im-
„ peraſſe Chriſtum ventis & mari, & factam eſſe inſolitam
„ tranquillitatem, ſtatuiſſe procellam maris in auram, & ſi-
„ luiſſe fluctus eius. Et hoc quis non miretur? Quis inquam,
„ hoc non miretur à tempore Alexandri ſecundi Papæ per
„ Gregoriū, Vrbanum, Paſchalem, Gelaſium, Calixtū, Ho-
„ norium, Innocentium ſummos, eccleſiæ Dei ac præclaros
„ Pontifices, quantum ad eorum promotionem pertinet, ec-
„ cleſiaſticam pacem pertranſiſſe; ſed in nullo eorum prçter
„ vos quieuiſſe? nec adeo lapidei ſumus vt non ſentiamus,

» nec adeo bruti vt nō intelligamus, eum ſine cuius nutu, vt
» legitur, nec paſſer ad terram nec folium cadit arboris, non
» ſine cauſa, non ſine certo inexhauſtæ ſapientiæ conſilio,
» hanc pacem eorum primordiis ſubtraxiſſe, veſtris contu-
» liſſe: quam eſſe illam puto, & hanc vobiſcum ſemper du-
» rare cōfido, de qua Deo in pſalmis propheta, Secūdū mul-
» titudinem (inquit) dolorum meorum in corde meo: con-
» ſolationes tuæ lætificauerunt animam meam. Credo enim
» & ſpero in Deo ſalutari meo, quòd qui principiis veſtris de-
» dit tam amabilem pacem, dabit & fini ſuo tempore com-
» mēdabilem laudem. Lætabitur ſub vmbra alarum eius vo-
» bis à modo ſubditus orbis terrarū: & ſe tantos fidei ſuæ pa-
» tres apoſtolicos viros, confeſſores dico & quod maius eſt
» martyres, vel quod excellentius eſt ipſos apoſtolorum
» ſummos Petrū & Paulum, immò ipſum Chriſtū in vobis
» ſolo ſe habere gloriabitur. Gaudebit & iam ineffabiliter,
» gaudet licet nō numero, tamē virtutibus puſillus grex ve-
» ſter Cluniacenſis: qui obedientiam, qui ſubiectionem, qui
» quod maius eſt, dilectionem, quia per ſe ipſum nō poteſt,
» ore meo per has literas vobis ingerit, & ſe totum licet ab-
» ſens ſanctitatis veſtræ pedibus ſubiicit, certitudinem ele-
» ctionis veſtræ & collati à Deo apoſtolatus ſerò accepi, &
» ideo tardè reſcripſi. Nam diu variante fama, vix in vigilia
» ſancti Andreæ epiſtolam veſtram mihi & conuentui miſ-
» ſam ſuſcepi, atque die ipſa publicè in capitulo lectam tam
» literatis quàm illiteratis, quos conuerſos vocamus, expo-
» ſui. Audita eſt verè & ſuſcepta ab omnibus filiali affectu,
» quod vobis melius ore proprio vel nunciorum proximè
» per Dei gratiam indicabo. habeo enim omnimodam vo-
» luntatem veniendi ad vos, & nouum quidem patrem, ſed

» antiquum amicum amore & honore debito visitandi: faciam hoc si congruè potuero: si non per nostros quá proximè vacauerit, Christi iuuante gratia visitabo. Commendo interim paternitati vestrę negotiũ fratris pręsentiũ latoris, vt illud benignè & ad commodũ ecclesiæ eius quantum iustitia permiserit, audiatis & diffiniatis. In fine quas possum gratias ago, quòd sicut mihi relatũ est & in literis vestris legi, quasdam alias causas beatæ memoriæ prædecessori vestro directas benignè accepistis, sicque definistis vt in sententia successorum non sit nobis lugenda sancti mors prædecessoris.




LVCIVS II.



MNES retrò Pontifices vsque ad Vrbanũ binariũ in nominibus suis numerum sunt amplexi: & postpositis cæteris Lucius quoque Alberto genitus ciue Bononiẽsi ex Caccianimica familia deposito Gerardi nomine in Cælestini locũ sufficitur: vir (vti enim liceat Othonis verbo) pro mansuetudine & humilitate sui officio sacerdotali dignus: mẽsésque vndecim summæ rerum præfuit, quo temporis spatio templum sanctæ crucis Romæ refecit atque instaurauit, quia eius templi titulũ Cardinalis prætulerat. Ipse verò Lucius literas ad Petrũ Cluniacensem dedit, quibus breuissimè complexus est historiam rerum suarum, id est pactas cum Rogerio Siciliæ rege

» belli inducias. Lucius Episcopus seruus seruorum Dei, dilecto filio Petro Cluniacensi Abbati, salutem & apostolicam benedictionem. Dilectionis tuæ literas debita benignitate suscepimus, & petitiones tuas, quæ nobis & fratribus nostris rationabiles visæ sunt, libenter admisimus. De statu verò, nostro te sollicitum cognoscentes scire te volumus: quia omnipotēs dominus sua nos gratia visitauit, castigans castigauit: sed morti nō tradidit: per ipsius misericordiam conualescimus, & in pristinam sanitatem in breui nos recepturos speramus. Ad colloquium regis Siciliæ condescendimus, & quia ad honorem Dei & ecclesiæ suæ firmam pacem cum eo facere non potuimus, instanti tamen ipsius violentia nos cogente, treugam cum eo composuimus. Placet autem nobis, vt sicut literis tuis nobis significasti, tredecim de fratribus tuis quàm citius poteris ad nos transmittas. quia nos domino auxiliante eos honestè recipere, & ad honorem Dei & Cluniacensis ecclesiæ collocare curabimus. Sanctam congregationem vestram pro nobis orantem gratia diuina custodiat, & ab omnibus peccatis absoluat. Datū Laterani x. Calēd. Octobris. Luciū quidem diximus menses vndecim præfuisse Romanæ sedi, ídque non admodū repugnat testimonio Othonis, qui eum libro septimo quotidianis cruciatibus atque tædio vitæ affectum infra anni spatium Pontificatus sui diem obiisse refert. Hoc Pontifice viuebat Nicolaus titul. sancti Damasi diaconus, & Bibliothecæ Pontificiæ præfectus, idémque Hebraicæ linguæ peritissimus, ísque ad sancti Petri Canonicum scripsit de sacræ scripturæ emendatione, quem eius libellum Bessario Patriarcha Constantinopolitanus & sacrosanctæ Romanæ ecclesiæ Cardinalis mul-

tum laudat in eo opuſculo quod ab eo ſcriptum eſt ad illud Ioannis Euangeliſtæ;Si volo eum manere donec veniam, quid ad te?



EVGENIVS III.



ITAM Eugenij tertij explicaturo, neceſſarium videtur duos Rutilij veteris poëtæ verſiculos recitare:

Elide deductas ſuſcepit Hetruria Piſas,
Nominis indicio teſtificata genus.

Piſanus enim Eugenius fuit,cui Bernardo antea nomē,quod Bernardi Claræuallenſis in numerum diuorum poſtea relati quaſi filius eſſet.atque illum Cardinales præter ſpem expectationémque hominum in templo Cęſarij Romæ delegerunt. Hoc
" epiſtola ad Eugeniū Bernardus tradit. Filius, inquit,meus
" Bernardus in patrem meum Eugenium læta prorſus & v-
" tili vt ſperamus tranſlatione promotus eſt.Elegātiſſimam quoque epiſtolam miſit ad Cardinales, Epiſcopóſque eccleſiæ Romanę,plurimum rogans vt ei adſint metu,vt ait, ne homo tenui corpore,otio & quieti potius,quàm publicis negotiis deditus Pontificis maximi officia parum aptè exequatur.Eundem nihilominus virum optimum initio libri ſecundi de Conſideratione, & libri quinti ſagaciſſimum appellat.Quinque autē illi libri ad eum ſcripti ſunt, pleni grauitatis & ſcientiæ diuinę. Verùm quid impediet quominus epiſtolā ipſam Bernardi ad Cardinales & Epiſcopos

copos & paucissima ex epistola eius ad Eugeniũ hîc inserã?
» Dominis & patribus reuerendis Cardinalibus & Episco-
» pis omnibus qui sunt de curia, puer sanctitatis eorum.
» Parcat vobis Deus, quid fecistis? Sepultum hominem re-
» uocastis ad homines, fugitantem curas & turbas curis de-
» nuo implicuistis, & immiscuistis turbis. fecistis nouissimũ
» primum, & ecce nouissima illius periculosiora prioribus.
» Crucifixus mundo: & qui elegerat abiectus esse in domo
» Dei sui, ipsum vos in dominum omnium elegistis. Cur
» consilium inopis confudistis? Cur pauperis hominis &
» mendici & compuncti corde iudicium perturbastis? Cur-
» rebat benè. Quid vobis visum est, sepire vias eius, auerte-
» re semitas, gressus inuoluere? Quasi descenderet de Hieru-
» salem, & non magis ascenderet de Hierico, sic incidit in la-
» trones. Et qui se tanquam violentis quibusdam diaboli
» manibus, carnis illecebris, & gloriæ seculi potenter excus-
» serat, non tamen valuit effugere manus vestras. Num id-
» circo Pisam deseruit, vt reciperet Romam? Num qui in
» vna ecclesia non sustinuit vicedominatum, dominatum
» in omni ecclesia requirebat? Quid igitur rationis seu con-
» silij habuit defuncto summo Pontifice repentè irruere in
» hominem rusticanum, latenti inijcere manus, & excussa
» è manibus securi & ascia vel ligone, in palatium trahere,
» leuare in cathedram, induere purpura & bysso, accingere
» gladio ad faciendam vindictam in nationibus, increpa-
» tiones in populis, ad alligandos reges eorum in compedi-
» bus, & nobiles eorum in manicis ferreis? Sic non erat in-
» ter vos sapiens & exercitatus, cui potius ista conuenirent?
» Ridiculum profectò videtur, pannosum homuncionem
» assumi ad præsidendum Principibus, ad imperãdum Epis-

» copis, ad regna & imperia disponenda. ridiculum an mira-
» culum? planè vnum horum. non nego, non diffido posse
» fuisse hoc etiam opus Dei, qui facit mirabilia magna solus,
» præsertim cùm audiam vsquequaque ex ore multorum,
» quoniam à Domino factum est istud. Sed nec ego oblitus
» sum iudiciorum Dei antiquorum, & scripturæ plurimos
» recensentis ex priuata seu etiam rusticana vita olim assum-
» ptos in voluntate domini ad regẽdum populum eius. De-
» nique nonne (vt vnum è pluribus memorem) tali quodam
» modo elegit Dauid seruum suum, & suscepit eum de gre-
» gibus ouium, de post fœtantes accepit eum? ita, inquam,
» ita & de nostro Eugenio in beneplacito domini potuit
» contigisse. Non sum securus tamen, quoniam filius deli-
» catus est, & tenera verecundia eius assueta potius ocio &
» quieti, quàm tractandis quæ foris sunt: timendúmque ne
» non ea auctoritate qua oportuerit sui apostolatus officia
» exequatur. Quid putatis gerere animi nunc hominem il-
» lum, qui de secreto internæ contemplationis, & amica so-
» litudine cordis tamquam infans è gremio & sinu matris
» subitò perturbatus, tractum se ad medium videt, & quasi
» ouem ad victimam ductum ad tam insueta & insuauia?
» nisi dominus supponat manum suam, heu, necesse est ob-
» ruatur & opprimatur onere insueto & nimio, quod & gi-
» gantinis, vt aiunt, vel ipsis quoque angelicis humeris for-
» midabile videatur. Verumtamen quia sic factum est, & si-
» cut multi dicunt, à domino factum est, vestra interest cha-
» rissimi, vestris feruentibus studiis fidelibúsque obsequiis
» solicitè confouere quod vestris manibus constat elabora-
» tum. Si qua ergo consolatio in vobis, si qua virtus chari-
» tatis in domino, si qua miseratio pietatis, si qua compas-


» sionis viscera, assistite & collaborate illi in opere ad quod
» assumptus est per vos à domino. Quæcumque sunt vera,
» quæcumque pudica, quæcumque iusta, quæcumque san-
» cta, quæcumque amabilia, quæcumque bonæ famæ, hæc
» ei suggerite, hæc suadete, hæc agite, & Deus pacis erit vo-
» biscum. Amantissimo patri & domino Dei gratia summo
» Pontifici Eugenio, Bernardus Claræuallis vocatus Abbas,
» modicum id quod est. Auditum est in terra nostra & cele-
» bri sermone vulgatum verbum hoc, quod factum est de
» vobis à domino. presseram stylum hactenus, rem tacitus
» considerabam. Expectabam enim literas vestras, & prȩue-
» niri à vobis in benedictionibus dulcedinis. Expectabam
» virum fidelem qui veniret à latere tuo, qui diceret cuncta
» per ordinem, quid, quomodo, vel qualiter actum esset.
» Expectabam si quis fortè de filiis meis reuerteretur,
» qui leniret dolorem patris, qui diceret: Ioseph fi-
» lius tuus viuit, & ipse dominatur in tota terra Ægypti.
» Hinc est quòd literæ istæ non sunt voluntatis, sed necessi-
» tatis, & amicorum extortæ precibus, quibus negare non
» possum modicum illud quicquid residuum est vitæ meæ.
» Quia tamen semel cœpi, loquar ad dominum meum. Iam
» enim filium dicere non audeo, quia filius in patrem, pater
» mutatus est in filium. Scripsit postea ad Eugenium Petrus
Cluniacensis familiæ præfectus pro Archiepiscopo Bi-
suntino, quem accusabát vilissimi quidam sacerdotes cùm
laudaretur à fide dignis sanctísque hominibus. Viuebant
ergo Eugenij tēporibus duo illi præstātissimi viri & splē-
didissima renascentis ecclesiæ lumina, vterque genere cla-
rus erat, sed ille Burgundus, hic patria Aruernus: qui cùm in
Hispania versaretur, per Petrum Toletanum Arabicæ lin-

guę peritissimum, & Petrum Pictauiensem scribam suum latinè doctũ, Alcoranum Mahometis in Latinum sermonem conuerti curauit, vti epistola ad Bernardum ipse est testis, ad quem liber ille ex Hispania refutandus mittebatur. Cùm autem plures epistolas Bernardus ad Eugenium scripserit, vnã etiam ad Romanos dedit, cùm illi ab eo defecissent, dignam profectò quæ à Christianis lectoribus posterísque Romanorum ciuium qui tunc erant, diligentissimè legatur. Floruit etiam sedente Eugenio Gratianus, patria Hetruscus: Clusij enim in Hetruria natus erat. Sed Bononiæ in monasterio sancti Fœlicis Codicem decretorum scripsit, vtilissimum generi sacerdotũ. quod opus omnes docti plurimi facere ac laudare cogũtur. Præmium quod ab Eugenio vir ille mitissimus accepit, mihi adhuc ignotũ est: quàm verò apud omnes adeptus est immortalitatem nominis, hoc solidum esse testimoniũ virtutis & gloriæ semper existimaui. Denique Eugenius primũ quidem Iordani præpotenti ciui Romano inuisus, & Senatoribus vrbis, ipsi populo Romano gratissimus tamen fuit. Cúmque Tybur in amœnum secessum se contulisset, moritur vir iustus & religione insignis: quod ei elogium tribuit Otho libro secundo de vita Friderici primi, Romæque in basilica Apostoli conditum ferunt, etsi templum Virginis in Exquiliis exornari curauerat, vt inscriptio, hæc capitalibus literis adhuc ostendit, quam egomet adolescẽs legi de plano in vestibulo templi:

Tertius Eugenius Romanus Papa benignus
Obtulit hoc munus Virgo Maria tibi.

Gessit autem Pontificatum annis octo, mensibus quinque, diebus viginti: ac decessit anno millesimo centesimo

quinquagesimo secūdo, pace cum Romanis facta: & fuisse eum iustitiæ cultorem pietatísque amātissimum Victoriani Annales testantur.




ANASTASIVS IIII.



ONSENSV Cardinaliū in Episcopum Romanum promotus est Conradus, homo veteranus & in consuetudine Romanę curiæ exercitatus, id est experiētissimus. his enim verbis Othonem historicum vsum scio libro secūdo de vita Friderici Imperatoris. Nec primò sibi impositum Cōradi nomē retinuit, sed Anastasius dici voluit, retento monasterij sui nomine in diœcesi Veliterna, vel quòd iam Pōtificium atque Imperatorium fuisset, vt iure Eugenio successisse videri posset, qui ex Abbate monasterij diui Anastasij in vrbe Pontifex maximus renunciatus esset. Anastasium enim Eugenio proximè successisse testatur Innocētius tertius apud Gregorium nonū libro primo. Is patria Romanus ciuibus suis acceptissimus fuit. quid ni fuisset, vir non sibi natus, sed pietati & patriæ commodis? Igitur anno primo Pontificatus sui ædes magnificentissimas apud Pantheon Agrippæ quondam opus exædificari curauit, vt successores commodius habitarent: multáque donaria obtulit Lateranensi templo, & priuatis passim beneficiis ciues suos vrbémque ipsam affecit. Quæ autem sunt eius in Rempublicam merita? Si nulla ab hi-

ſtoricis commemorari dixero, nemo requirat ampliorem narrationem vitæ eius. Rogerij Siciliæ regis obitum illo anno accidiſſe, hæredémque regni Guilielmum ab eo relictum memoriæ proditum eſt. itáque Anaſtaſius pacis & quietis publicæ amantiſſimus initio anni ſecundi in patria deceſſit, conditúſque eſt in æde Laterani.



ADRIANVS IIII.




BENEFICIA DEI IN HOMINES QVO EXCELLENTIORA SVNT AC MINVS EXPECTATA, EO IN ADMIRATIONEM SVI MAGIS RAPERE DEBENT EVM IN QVEM COLLATA FVERINT. Quis ex vltima Britannia Nicolaũ ex vico Albano inopem & à ſuis relictum crediſſet ad apicem eccleſiaſticarũ dignitatum vmquam eſſe peruẽturum? Hic enim in patria ſquallidus ac miſer certè fuit, & quidem pater eius Canonicorũ ſectæ apud Albanum addictus, ipſum admodum puerum ad monaſterium venientem verbis ſæpe caſtigans abegit, vt coactus in Galliam ſe receperit, externæ virtutis præ cęteris Europæ regionibus admiratricẽ. Erat acri ingenio, expedita facundia, eleganti corpore, faciéque læta & hilari. atque vtinam has Adriani notas, quæ notæ eſſe incipiũt, in cæteris Romanis Epiſcopis eloqui poſſemus. multum enim iſtæc minuta faciũt ad explicandam hominum vitam, nec Suetonius vmquam ea præterit. Itáque in Gallia iuxta Valentiam Cauarũ, quam

vrbem Rhodanus flumē adluit in templo Rufi quod nuper à Caluinianæ sectæ defensoribus euersum est, Abbatis munus liberis monachorū suffragiis obtinuit. Verùm eos contineri in disciplina vbi voluit, veluti infrenes equi pertæsi pacis bellum ei sponte indicunt, deferúntque ad Eugenium vrbis Episcopum. At is inspecta hominis modestia, prudētiáque in respondendo, Tantum virum, inquit, tam vili gregi eripiendum censeo, & ereptum illis ad Episcopatum Albanum promouit. Alba autem non procul abest ab vrbe, vt quoties se nominari audiret, esset memor gentis & patriæ suæ, ac non multo post ad populos immanitate barbaros & disiunctissimas Danorum & Noruegiorum nationes legatum misit, qua legatione prudentissimè confecta Romam reuertitur, suscipitúrque à Pontifice comiter, ac Cardinalibus collegis atque ab omni populo Romano. Successerat Eugenio Anastasius, illo breui decedente summo concursu & lætitia omnium fit Pontifex, Adrianúsque nomen accipit. Itáque locus ille Innocentij tertij apud Gregorium nonum, quo ait Alexandrum successorem Anastasiij officio legationis in Hispania functum, sic intellige, non proximū successorem, sed Adrianum fuisse, ídque Christianus lector reperiet libro primo Gregorij noni, vbi agitur de in integrū restitutione. Hactenus Neubrigensis optimus scriptor historiarum illius ætatis, súntque apud Arnulphum Lexouiorum in secunda Lugdunensi Gallia, Episcopum epistolæ quatuor ad Adrianum Pontificem maximum, quibus eum laudat: sed locum illum quo Saxo Grammaticus vir eloquens in decimo quarto Danicæ historiæ libro ait, Nicolaū Cardinalem è Dania Romam reuersum decedente Eugenio


maximum Pontificem ſubrogatum eſſe ita ſumendũ moneo, vt Eugenij proximum ſucceſſorem putes fuiſſe. Anaſtaſius enim anteceſſit. Lothariũ Henrico ſucceſſiſſe certũ eſt, illi Cõradum, cuius bellica virtus enituit ſub Eugenio. Conradi locũ adeptus eſt Fridericus Æonobarbus, quẽ alij primum vocãt. hic Cæſar deſignatus Dertonam Lõgobardiæ vrbem obſederat, expugnarátque, adducto è Germania exercitu, & ea vi capta magnis itineribus Romam ferè attigerat, plenus ſuſpicionis ac terroris fuit tam inopinatus aduentus. Fridericus tamen quod optabat, obtinuit: & ſexto Calen. Iulias anni milleſimi centeſimi quinquageſimi quarti in æde Apoſtoli corona Imperij ab Adriano exornatus eſt, qui venienti Cæſari honorificè obuiam progreſſus eſt. Ligurinus enim libro tertio rerũ à Friderico geſtarum refert Adrianũ ei occurriſſe his quidem verſibus:

" *Sedis Apoſtolicæ præſul, ſummúſque ſacerdos*
" *Tunc Adrianus erat: qui fama lætus eadem,*
" *Protinus eximia cleri ſtipante corona,*
" *Occurrit.* Ab hoc quoque Pontifice & piorum cœtu monetur Guilielmus Rex Siciliæ minus obſequens monitis eius. quo facto Siculus grauius quàm antè irritatus bellum inferre auſus eſt Beneuentanis ciuibus, ipſique Beneuento Senatus Pontificij familiari domicilio: quod cùm fieri iuſſiſſet, exacerbatus Adrianus rebellionem ei fieri procurat per optimates & cõſanguineos, Cæſarémque ad occupandam Siciliam hortatur. Sed hic peſſimi conſilij exitus fuit, rebellium exitium atque calamitas, Pontificíſque ipſius obſidio, cum quo tãdem pacem fecit, ne ſi aliter fieret, cæteros principes obſeruantiſſimos ſedis Romanæ

manæ in se concitaret. Inter cæteras verò constitutiones eius vnam video recitari ab Alexandro tertio successore apud Gregoriũ nonum libro tertio, vbi agitur de decimis » & primitiis: Prædecessor, inquit, Adrianus solis fratribus » Cistercienfis ordinis & Tẽplariis & Hospitalariis decimas » laborum suorum quos propriis manibus vel sumptibus » colũt, indulsit: cæteris verò vt de noualibus suis quæ pro- » priis manibus vel sumptibus excolunt, & de nutrimentis » animalium suorum, & de hortis suis decimas non persol- » uant: quem sumus super his imitati. His rebus gestis Adrianus Anagniç defungitur Kal. Sept. & secundo Non. eiusdẽ mensis in ecclesia D. Petri, præsentibus Clero, Senatu, populóque Romano honorificè conditus est, vt Radeuicus in Frederici primi vita refert. Fertur hic Adrianus cũ onus Pontificium sensisset dixisse in familiari colloquio, se quidem per omnes gradus ad summum Pontificatum ascendisse, sed nihil vmquã fœlicitatis aut trãquillæ quietis expertum ac desiderio primæ conditionis suæ teneri: ídque in Victoriano annali scriptum est.



ALEXANDER III.



SENÆ humanissimæ totius Italiæ non protulerant quemquam Pontificiæ sedi destinatum ante Alexandrum tertium Rainutij filium. Is mortuo Adriano cùm eruditissimus & prudẽs esset (hæc enim elogia ei tribui video) sedísque Romanæ Cãcellarius, delectus est

à maiori parte presbyterorum Cardinalium ac pro Orlãdo Alexander dictus. Hanc electionem non probabant ij qui elegerant Octauianum nobilem genere & Victorem appellatum, quòd ab eo vincendum Alexandrum fortè sperarent, vt Radeuicus narrat, Octauiani epistolam & canonicorum basilicæ Petri operi suo intexens, & Cardinalium qui ipsi fauebant, itémque Alexandri epistolas. Sed aliter se res habuit, etsi Fridericus Cæsar ab Octauiano stetit, aduersariorúmque eius nomen & causam pertinacissimè defendit. Quas ob causas plena auctoritate apostolicæ sedis solemnibus cerimoniis à Christianorum communione præcisus est, vt Regina Angliæ epistola ad Cælestinum tertium tradit. Tandem post longas multorúmque annorum dissensiones illas, concordiæ sinus apertus est, paxq́ue data ecclesiæ Romanæ, ipsíque Alexandro quies & tranquillitas optata. Quamobrem Venetorum Respubl. magnopere laudanda est. humanissimè enim Alexandrum exulem & Fridericum hostem excepit, Venetiísque de pace & cõcordia actum est. vbi cùm Cæsar inclinata ceruice collum pedi Alexandri submisisset, dixissétque, Super aspidem & basiliscum ambulabis, & conculcabis leonem & dracone: Respondit Fridericus, Nõ tibi, sed Petro obsequium exhibeo. ad quam eius vocem subintulit Pontifex, Et mihi & Petro. Cuius facti historia est apud Gennadium Patriarcham Constantinopolitanum. Dum pacem sperat, in Galliam se conferre coactus est, vbi à Ludouico magnificentissimè susceptus, synodum habuit Turoni, id est municipium ad Ligerim flumen: cuius synodi capita apud Neubrigensem illius temporis historicum adhuc leguntur, & elegantes orationes ad synodum illam habitæ ab Arnul-


pho Lexouiorum in Gallia Episcopo, quæ hodie extant. Post eam synodum cõsedit in vrbe Senonum fluuio Icaunæ apposita in Sequanam influenti, annum cum dimidio. Impetrata autem pace concilium Romæ apud Lateranum habuit, in quo de electione Romani Pontificis ritè & legitimè peragenda agitur. quę synodi decreta idem scriptor in Britannica historia est breuissimè complexus. Idcirco verò sancire de ratione eligẽdi successoris placuit, ne imposterum quisquã auderet aduersus eam insurgere, neu gigantes & monstra ecclesiam vmquam labefactare conarentur, successoribus melius consultum volens quàm sibi fuisset. hoc ab eo prudentissimè est factum, pertimescenti etiam in illis noxios schismatum euentus quos ipse pertulisset. Tametsi quid necesse est decretum Pontificis Romani ex Britannica historia petere, cùm extet apud Gregorium nonũ libro primo, vbi agitur de electione? hæc enim
" Alexandri ipsius verba sunt. Licet de vitanda discordia in
" electione Rom. Põtificis manifesta satis à prædecessoribus
" nostris cõstituta manauerint; quia tamẽ sæpe post illa per
" improbę ambitionis audaciã grauẽ passa est ecclesia scis-
" surã, nos etiam ad malũ hoc euitandũ de consilio fratrum
" nostrorum & sacri approbatione consilij aliquid decreui-
" mus adiũgendum. Statuimus ergo, vt si fortè (inimico ho-
" mine superseminante zizaniam) inter Cardinales de sub-
" stituendo summo Pontifice non poterit esse plena con-
" cordia, & duabus partibus concordantibus pars tertia cõ-
" cordare noluerit, aut sibi alium præsumpserit nominare,
" ille absque vlla exceptione ab vniuersali ecclesia Rom.
" Pontifex habeatur, qui à duabus partibus concordantibus
" electus fuerit & receptus. Si quis autem de tertiæ partis no-

minatione confisus (quia de ratione esse non potest) sibi nomen Episcopi vsurpauerit, tam ipse quàm ij qui eum receperint, excommunicationi subiaceant, & totius sacri ordinis priuatione multentur, ita vt viatici etiam eis (nisi tãtum in vltimis) communio denegetur: & si non resipuerint, cum Datan & Abiron (quos terra viuos absorbuit) accipiant portionem. Præterea si à paucioribus quàm à duabus partibus aliquis electus fuerit ad Apostolatus officiũ, nisi maior concordia intercesserit, nullatenus assumatur, & prædictæ pœnę subiaceat, si humiliter noluerit abstinere. Ex hoc tamen nullum canonicis constitutionibus & aliis ecclesiis præiudicium generetur, in quibus debet maioris & sanioris partis sententia præualere: quia quod in eis dubium venerit, superioris poterit iudicio definiri. In Romana verò ecclesia speciale aliquid cõstituitur, quia non poterit ad superiorem recursus habere. Ex quibus quidem Alexandri verbis intelligimus discordiam vitãdam in electione Episcopi vrbis, déque ea fugienda iam decretum à prædecessoribus fuisse. Quin & illud assequimur ad solos Cardinales iam redactam eligendi facultatem, quæ prius Cleri populíque Romani fuit. Verùm propter insanas eorum contentiones his solis attributa est, vt citius & maiori prudentia successores renunciarentur, & si aliter sæpe factum est. nam eędem inter paucos dissensiones fuerũt, quę olim inter multos acciderant; vt videar prudentissimè dicturus, si dixero nihil in rebus humanis, inque mortalium opinionibus tàm constans esse, quàm mutationẽ & inconstantiam. Constitutio alia ipsius, Alexandri recordatione & memoria certè digna est, propter eum cuius honorem cultúmque respicit Deum opt. max. Festiuitas, inquit, san-

» ctæ Trinitatis secundum consuetudinem diuersarum re-
» gionum à quibusdam consueuit in octauis Pentecostes:
» ab aliis in dominica prima ante aduentum domini cele-
» brari. Ecclesia si quidem Romana in vsu non habet quod
» in aliquo tempore huiusmodi celebret specialiter festiui-
» tatem: cùm singulis diebus gloria patri & filio & spiritui
» sancto, & cætera similia dicantur ad laudem pertinentia
» Trinitatis. Quanto autem studio in id incubuerit Alexander vt Emanuelem Constantinopolitanum Cæsarem & Græcos omnes ad pacem & concordiam consensionémque in Latinorum ecclesia stabiliendam, facilè ostendam ex hac Alexandri eiusdem epistola. Alexan-
» der Episcopus seruus seruorum Dei, dilecto filio ma-
» gistro Hugoni, salutem & apostolicam benedictionem.
» Cognoscētes laborem plurimum, quem sustinuisti in cō-
» ponendo libro, quem nobis per dilectum filium nostrum
» magistrum Caciaredam misisti, attendentes quoque fru-
» ctum quem exinde speramus ecclesiæ Dei prouenturum,
» librum ipsum grata & lęta manu recepimus, & deuotè sol-
» licitudini & liberalitati tuę vberrimas propter hoc gratiarū
» referimus actiones: desiderium & voluntatem habentes,
» te quem hactenus relatione nostrorū, qui à partibus Con-
» stantinopolis reuertebātur, charum habebamus, de cętero
» feruentius diligendi, & multo chariorem habendi, & syn-
» cerius amplexādi. Rogamus autem prudentiam tuam sol-
» licitéque monemus, vt sicut pro deo & pro deuotione ec-
» clesiæ præscriptum librum composuisti, ita quoque cha-
» rissimum in Christo filium nostrum illustrem & glorio-
» sum Constantinopolitanum Imperatorem ad deuotionē
» & reuerentiam sacro sanctæ Romanæ ecclesiæ exhiben-

dam, & ad vnitatem ipsius ecclesiæ diligentius prouoces monitis, & exhortatione inducas, vt sicut esse debet, vnũ fiat ouile, & vnus pastor. Data Troiæ Idibus Nouemb. Ad Hugonem Eterianum Etruscum genere, & insignem illis temporibus Theologũ Philosophúmque Alexander scribit, ad quem etiam præfatio scribitur ad librum de hæresibus Græcorum in hunc modum: Alexandro, primæ sedis verè digno Pontifici, patri amantissimo suo, atque finium terræ domino, Hugo Eterianus famulatum cum omnimoda subiectione. Ad laudem & gloriam Alexandri etiã pertinet Alexandria vrbs Insubrum sub eius nomine condita, cui & Episcopum dedit. hodie enim id municipium in Italia clarum habetur. At nescio an laudari possit ex eo quòd Iudaici generis seruos habebat Pontifex Christianus. Reges enim ac Põtifices sæpè miseri sunt non tam sua culpa, quàm quòd assectatorum suorum peccatis ac criminibus premuntur. Itáque impuræ damnatæque sectę & cœlo quoque ipsi inuisę seruos habere nõ debuit: tametsi videtur non aliam ob causam eos aluisse, quàm vt Christum colere secum discerẽt. Iudęos enim oderat, ídque in Lateranensi concilio perspicuè declarat. decretum enim eius extat apud Gregorium nonum libro secundo in hunc modum: Testimonium quoque Christianorum aduersus Iudæos in omnibus causis (cùm illi aduersus Christianos testibus suis vti præsumant) recipiendum esse censemus. Et anathemate decernimus feriẽdos quicumque Iudęos Christianis voluerint in hac parte pręferre: cùm eos Christianis subiacere oporteat, & ab eis pro sola humanitate foueri. Habuisse verò Alexandrum Iudaici generis seruos ostendit Beniaminus Iudęus in Itinerario suo his quidem

» verbis. Romæ erant Iudęi ducenti ferè honesti viri, nulli » mortalium tributum pendentes, ex quibus aliqui Alexan» dri Papę ministri sunt, Pontificis maximi totius religionis » Christianę. Erant autem ibidem doctissimi viri, imprimísque Dauid magnus, & Iehiel Papę minister, iuuenis elegãs » & prudens, frequẽs in domo ipsius, vtpote domus & vni» uersę rei familiaris pręfectus. Denique Alexander anno vicesimo tertio Pontificatus sui, mense Augusto Romę decessit, vt Tyrius libro vicesimo secundo annotauit. Ac ne quid auidi antiquarũ rerum lectores à nobis omissum de Alexandro putent fuisse, moneo extare epistolam Arnulphi Lexouiorum Episcopi ad eum datam, simul Rescriptũ Alexandri, in qua agitur de dissensione inter se & Octauianum Cardinalem. Quam verò hic impius fuerit, ostendit breuis epistola Petri Blesensis ad Guilielmum Papiensem sacrosanctæ ecclesiæ Romanæ Cardinalem. nec omitto Saxonem Grammaticum: is enim omnium eloquẽtissimè de huiusmodi dissensione loquitur Danicæ historiæ libro decimo quarto.



LVCIVS III. & VRBANVS III.




ONFECTVS senio & mediocriter doctus ex Episcopo Ostiensi Hugobaldus summi in vrbe sacerdotij dignitatem obtinuit, altero post Alexãdri obitum die: ac Lucius tertius fortasse dici voluit, allusione ad Lucam Tusciæ vrbem, in qua ipse natus erat. Hugo Eterianus Hugobaldi Ostię ac Bernardi Portus magno-

rum Pontificum, Ioannis quoque sanctorum Ioannis &
» Pauli reueredi Cardinalis meminit, temporibus Emanue-
» lis Constantinopolitani Cæsaris & Alexandri tertij præfa-
» tione libri primi in librũ de hæresibus quos in Latinos græ-
» ci reiiciunt. Is itaque Hugobaldus ex Ostiensi Pontifice
» Romæ vita functus est, quatuórque annis sũmæ rerũ præ-
» fuit, pietatis & pacis cultor obseruantissimus, tametsi pau-
» cissima eius decreta à Gregorio nono recitantur, sed illud
» precipuum ex epistola eius ad Archiepiscopũ Turonẽsem,
» in qua quid potuit præclarius dicere? non in sublimitate
» graduũ, sed in amplitudine charitatis acquiritur regnũ Dei,
Ac dum christianæ reipub. causa Veronæ moram facit vir optimus, in Catulli patria moritur, anno à partu virginis millesimo centesimo octuagesimo quinto, septimo Cal. decembris. Tum verò Mediolanum Iusubrum vrbs clarissima produxit in medium vnum è ciuibus suis Lambertũ, ísque placuit collegis Cardinalibus, & dignus est habitus qui è sede Ambrosij illius veteris & sanctissimi viri in Lucij demortui locum vocaretur, acciperétque Vrbani nomen. apud Gregorium nonum libro secundo, cùm agitur de testibus, Lucium Papam prædecessorem suum Vrbanus vocat, quòd in eius locũ suffectus esset. De electione eius reperio epistolam Bernardi Cãtuariensis ecclesiæ ministri, plenam elogiorum eius virtutúmque testem, in hanc quæ
» sequitur formam. Sanctissimo patri Vrbano Dei gratia
» summo Põtifici Bernardus Cãtuariensis ecclesiæ minister
» salutem & debitum deuotionis obsequium. Domus Dei
» quæ in lapide adiutorij super fundamentum apostolorum
» & prophetarum stabilita est à Petro & successoribus eius,
» formam semper eruditionis & statum incolumitatis ac-
cepit.

» cepit. Quod enim stipiti rami, quod capiti membra, quod » radij soli, quod fonti riuuli: hoc apostolicæ sedis eminen- » tiæ debent ecclesiæ omnes quas vbique terrarum religio » Christiana fundauit. Inde est quòd beatæ recordationis » Lucio tertio Papa viã vniuersę carnis ingresso (morti enim » tributarij omnes sumus, mortísque responsum habemus, » & fœdus cum ea percussimus) erant & lugebant filiæ a- » pud nos sine sponso. Cúmque munus exequiale defuncto » & pios affectus impenderent, electionis vestræ nuncius su- » peruenit, qui nubilũ publici mœroris auferẽs, corda om- » nium festiuiore lætitia serenauit. Communis enim fama » est, quòd dominus qui (iuxta verbum Osee) suscitat de » filiis prophetas, & de iuuenibus Nazaræos, ipse in specula » celsitudinis apostolicę talem nũc de filiis suis per gratiam » suam collocare dignatus est, qui prodesse velit & præesse » sciat; qui prudentia & moribus pręeminẽs, cathedram san- » ctorum meritis implere sufficiat. In commune itaque de- » siderium cedit, verbóque celebri & votiua gratiarũ actio- » ne publicè recẽsent, qualiter Dei sapiẽtia suauiter vniuersa » disponẽs, vos de gradu in gradum, de virtute in virtutem, » de honore in honorem promouit. Nec illud deesse per- » mittit ad plenitudinem gaudiorum, quòd tanta fuit eligẽ- » tium vos vnanimitas, nullúmque sustinuit rete Petri scis- » sionis, aut rupturæ dispendium: sed (iuxta verbum Isaiæ) » quod dominus exercituum decreuerat, quis poterit infir- » mare? Nec variat casualis euẽtus, quod consilij cælestis al- » titudo disposuit. Quia ergo ex hominibus assumpti estis à » domino Pontifex, & pro hominibus constituti in his quæ » sunt ad Deum, ipsi qui vos elegit, cum multa gratiarum a- » ctione preces affectuosas offerimus: quatenus is qui segre-

» gauit & vocauit vos ad dandam ſcientiam ſalutis plebi e-
» ius, ipſe in bonis dies veſtros cōtinuet;atque in faciem te-
» ſtamenti ſui reſpiciens eccleſiam ab omni errore purgatā,
» ſub veſtra prouiſione trāquillet. Ad hæc non quantas vo-
» lo, ſed quātas valeo vobis gratiarum referens actiones, mi-
» norem me profiteor cunctis miſerationibus veſtris: Nam
» meorum exigentiam meritorum multipliciter veſtrorum
» beneficiorum magnitudine præueniſtis. Non ſufficio tan-
» tæ gratiæ reſpondere ad meritum. Ille pro me reſpondere
» dignetur, qui ſecundum diuitias bonitatis ſuæ ſuorum in-
» ſufficientiam ſupplet. ego enim vir videns paupertatem
» meam pro munificentia & magnificentia indultæ mi-
» hi gratiæ veſtræ me vobis totum debere profiteor,
» quicquid debet ſeruus domino, magiſtro diſcipulus,
» filius patri poteſt. Precor igitur vt imperfectum meum vi-
» deant oculi veſtri, & in ea plenitudine poteſtatis quæ vo-
» bis cœlitus data eſt, meam inſufficientiam ſuſtentare veli-
» tis. Iuuate me Pater orationibus veſtris: vt quod poſſibili-
» tas noſtra nō obtinet in hac adminiſtratione veſtrę oratio-
» nis & eruditionis ſuffragio ſuppleatur. HOC Epiſcopo Chri-
ſtiani nunciū acceperūt omniū luctuoſiſſimum, qui ante annos octoginta octo ab oriente in Europā peruenisset, maximæ acceptę cladis Hieroſolymæq́ue Saladino deditę turbini Mahometanæ ſectæ immaniſſimo. qui nuncius Chriſtianarum gentium animos grauiter afflixit, maximè Gallorū, quorum ſanguine regiones illæ patrum memoria domitæ fuerant. Huius quoque calamitatis triſtiſſimo nuncio afficitur Vrbanus, moriturque vir eximiæ pietatis Ferrariæ ad Padum flumen.




GREGORIVS VII. & CLEMENS III.



LBERTVM Patres elegerunt Cancellarium decessoris sui, virum & sapientia & vitæ sinceritate conspicuũ. hoc enim elogium ei tribuitur mortuo à Neubrigensi historico veritatis amanti. Bernardus Põtificiæ vitę satis accuratus scriptor, & eo antiquior Gerardus Fralques Dominicanus literatum eum & facundum dicunt fuisse, sed sanctitate vitæ animíque integritate præclariorem. Hęc illi testimonia ferunt de Alberto patria Beneuẽtano, quem iidem patres Gregorium appellari iusserũt, quòd vigilem eum in calamitate Christianæ gentis esse oporteret. Is vbi se ritè electum Ferrariæ vidit, cõtinuò dedit literas ad omnes Europæ reges ac principes viros, quarum exemplum Neubrigensis operi suo inserit: Illis commemorat Christianam cladem, omnésque pios ad sacrũ bellum excitat, lituúmque eius se facit, & reuera ipse Pisas confestim profectus est, vt inueterata Pisanorum & Genuensium odia cõponeret, eáque Reipubl. Christianæ causa & tam necessario tempore prorsus extingueret: & extinxit, atque non multò pòst ipse clarissima lux orbis extinctus est, Pisísque conditus: CLEMENTE successore patria Romano, cui Paulo nomen erat. is Gregorij vestigia sequut⁹ ferè omnes Italię populos ad arma aduersus Mahumetanos capienda hortatus est, fecítque vt maximi Europæ principes cum ingentibus copiis transirent in

oriētem, etsi spes exigua supererat recuperandi ea quæ Saladinus occupasset. Tradunt illius temporis scriptores Laterani ædes non mediocri impensa sumptúque à Clemente fuisse restitutas. Quis verò belli sacri exitus fuerit, docēt singularum nationum historię, vt nihil necesse sit ex eo vitas Pontificum texere. At constitutionum eius apud Gregorium nonum duas tantùm reperio, vnam de auctoritate & vsu pallij, alteram de obsequio quo quisque astringitur, nec potest cōstitutio illa breuius dici: Omnes, inquit, principes terræ & cæteros homines Episcopis obedire beatus Petrus præcipiebat. Quæ quidem sobriè accipiēda est; nec vti Bonifacius octauus, qui se Imperatorem orbísque dominum imprudenter sanè appellabat. etsi enim sacerdotiū maius est imperio, eo etiam minus est si iurisdictionem & imperium in obsequentes attendere velimus. Mortuus autem Pontificatus anno tertio iam elapso, in basilica Laterani sepelitur, successore Cælestino tertio, qui bonæ memoriæ Clementem Papam prædecessorem suum agnoscit apud Gregorium lib. primo, vbi agitur de ætate & ordine præficiendorum.



CÆLESTINVS III.


SVB Anastasij & Alexandri tertij Pontificatu Cęlestinum qui Episcopus Romanus postea fuit, in Hispania legatione functū à Gregorio nono docemur. Hiacintus initio appellabatur, sed iam pridē intermissum Cælestini nomen ab electoribus est accipere rogatus. ídque ita factum.

Igitur Cælestinus, quod fœlix faustúmque videbatur, sacro paschatis die, decimo octauo Cal. Maias in basilica Petri apostoli vir quidẽ nobilis & senex consecratus est, cùm electus esset eo ipso die quo decessor obierat. Porrò iam acciderat Pontificibus aliquot qui antè fuerant. Biduo post Henricum Sueuum Oenobarbi filium Romæ in eodem templo corona Imperij exornat. is nondum vxorẽ duxerat: regnum Siciliæ mortuo Guilielmo rege Cõstantiæ debebatur. vnum erat impedimento, quòd illa inter dicatas Deo virgines Panormi educata erat. iámque attigerat annum ætatis quinquagesimum: nihilominus permittente id fieri Cælestino in matrimoniũ collocatur, nubítque Cæsari. ísque ex ea prętet opinionem omnium genuit Fridericum secundum Pontificij nominis hostem acerrimũ: Deo in Episcopos Romanos nõ iniuria sæuiente, qui damnatum matrimonium tamen probassent: Philippũ autem Frãcorum regem meritò arguit, cùm is Daniæ regis filiam legitimámque vxorẽ reliquisset, ab eáque diuortio facto separari vellet. Itáque bene monẽdo fecit vt regina Isburgis reciperetur in gratiam. Meminit Cęlestini, atque huius facti Innocentius tertius successor epistola ad Parisiensem
» Episcopum his verbis: Qui quanto charissimum in Chri-
» sto filium nostrum Philippum Francorum regem illustrẽ
» purius diligimus, & speciali quodam priuilegio intendi-
» mus amplius honorare, tanto infra nos ipsos fortius con-
» tristamur, quòd charissimam in Christo filiam nostram
» Francorum reginam illustrem, quanto in eo fuit, à se mi-
» nus licitè nixus est amouere. Ad cumulum præterea no-
» stri doloris accedit, quòd cùm vniuersi progenitores eius
» veri fuerint religionis Christianæ cultores, inter quos illu-

» ſtris memoriæ Ludouicus quōdam Rex Franciç pater eius
» præ cęteris ſui tēporis pręcipuus diuinæ fuit legis amator,
» regia ſerenitas quam ipſi vellemus nō minus in obſeruan-
» tia mandatorum domini, quàm regni hęreditate ſuccede-
» re, contra ſalutem & famam ſuam dictam reginam à con-
» ſortio thori remotā in remotis partibus regni Francorū
» (licet inter religioſas, priuatas tamē perſonas) vitę ſuę cur-
» ſum implere compellit. Licet autem fœlicis recordatio-
» nis Cæleſtinus Papa prædeceſſor noſter apud eum potue-
» rit obtinere, vt reginam ipſam in gratiam & beneuolentiā
» ſuam receptam ad regni conſortium reuocaret: nos tamē
» non de meritis noſtris, ſed diuina potius miſeratione ſpe-
» rantes, & de puritatis tuæ ſolicitudine confidentes, quem
» literaturę, honeſtatis, & conſanguinitatis intuitu eſſe cre-
» dimus, in eiuſdem regis oculis gratioſum, precum noſtra-
» rum primitias, per te ipſe ex parte noſtra porrectas, ab ipſo
» confidimus tanto libentius admittendas, quanto amplius
» de ipſius ſumus ſalute ſoliciti: & per eius & apoſtolicæ pe-
» titionis effectum, non tam noſtris commodis quàm inte-
» gritati ſui nominis conſuletur. Rogamus igitur fraternita-
» tem tuam, monemur, & exhortamur in domino, ac per a-
» poſtolica tibi ſcripta mādamus, quatenus eundem regem
» ex parte noſtra diligentius moneas, & inducas, & in remiſ-
» ſionem ei peccatorum iniūgas, vt prædictam Reginam in
» plenitudinem gratiæ regalis admiſſam, maritali ſtudeat
» affectione tractare: vt ad mentem reuerſus, in laudem do-
» mini cum Petro decantet: Nūc ſcio verè quia miſit domi-
» nus angelum ſuum, & tulit me de manu Herodis, illius
» ſcilicet, qui, ſicut olim animam pueri eius, hactenus ſan-
» guinem ſitiebat. Verendum ſiquidem ei credimus, ne prę-

» ter offensam diuinam, & humanam infamiam, irrepara-
» bilem etiam iacturam incurrat. Cùm enim ex ea, quam
» cōtra interdictum ecclesiæ superduxit, legitimam nequeat
» sobolem procreare, si fortè, (quod absit) vnicus eius
» filius rebus eximeretur humanis, regnum eius ad extra-
» neos deueniret. Qui quoniam eidem Reginæ sui nega-
» uit corporis potestatem, ipsius promerentibus culpis,
» multis angustiis irruentibus numquam optata potuit
» fœlicitate gaudere, sed præter alias afflictiones tota
» Gallicana Prouincia famis fuit sterilitate percussa,
» & nisi quantocius resipiscat, flagellum Dei con-
» tra se potest grauius formidare. Bernardus Dominicanus Cælestinum testatur fuisse virum magnanimum & generosum, eximiáque humanitate præditum, qui in Vaticano Pontificias ædes magno sumptu construxerit. Inter epistolas Petri Blesensis, qui illis temporibus vixit, reperio Reginam Angliæ ternas ad Cælestinum literas dedisse, quibus queritur filium in sancta peregrinatione ac defensione Romanæ ecclesiæ à filio Frederici captum vinctúmque detineri, quas epistolas, quia nimium prolixæ sunt, non putaui exscribendas vt hic inse rerentur. Obiit verò Cælestinus anno millesimo centesimo nonagesimo septimo, sexto Idus Ianu. ac Laterani sesepultus est. Cui rei fidem facit locus ille ex epistola Inno-
» centij tertij ad Hierosolymitanum Patriarcham. Sanè fœ-
» licis memoriæ Cælestino patre ac prædecessore nostro
» sexto Idus Ianuarij viam vniuersæ carnis ingresso, & in La-
» teranensi basilica sepulto, tanta fuit inter fratres nostros
» super Pontificis substitutione concordia, vt eo cœlitus ip-
» sorum desideriis aspirante, qui facit vtraque vnum, & con-

» currentes parietes in se angulari lapide copulauit: omnes
» vniuersaliter vnum saperent, & idem singulariter postula-
» rent: Nos in summum Pontificem ipso die depositionis
» eiusdem prædecessoris nostri vnanimiter assumentes. Ex quo quidem loco facile cognitu est Romanos Episcopos citius tunc funerari solitos quàm nũc soleant. Quid ille Innocentij tertij apud Gregorium nonum de electione ad clericos ecclesiæ sanctæ Agathes, perspicuus nónne facit locus? vt Cælestinum tertium proximè ante eum fuisse pu-
» temus? Querelam quam G. tituli sancti Vitalis presbyter
» Cardin. per Oeconomum ecclesiæ vestræ, cuius idem
» Card. est gubernator, contra P. presbyterum ecclesiæ san-
» cti Saluatoris, super ecclesia ipsa proposuit, Cælestinus
» Papa prædecessor noster nobis in minori officio constitu-
» tis, audiendam commisit. Verùm cùm prædecessorem dicit hoc loco decessorem tantùm studiose lector intellige. interdum enim Romani Põtifices non solùm eos qui proximè Episcopi fuere, sed plerumque disiunctissimos illo nomine complectuntur. At Cælestinum constat Clementi successisse, eósque Innocẽtius ordine sequutus est, vt vidẽtur verba illa apud Gregorium, quo loco disputat de in integrum restitutione, satis indicare, quibus ait bonæ memorię Cælestinum nescio quid donasse. Cùm vero ægrotare cepisset Cælestinus, vocatis ad se Cardinalibus indicauit se quidem Pontificiũ honorẽ vltro abiecturũ, si modò admittere vellent Ioannem presbyterum Cardinalẽ sanctę Priscę, quẽ ipse sibi successorẽ destinarat, quod nulli Cardinaliũ placuit. nõ debere enim Põtificẽ dicebant nouo exẽplo, & posteris fortè pernitioso, tãto magistratu spõte seexuere, idque factum Victoriani annales sibi memorię mandauerunt.



INNOCENTIVS III.



NAGNIA exiguum Italiæ oppidum magnanimos Pontifices Romæ dedit. ex eo numero fuit Innocẽtius, qui cùm annos triginta tãtùm natus esset, & Lotharius antea appellaretur, vt ipse ait in libello de miseria cõditionis humanæ, Innocentius tamen ab ijs qui illum Põtificem crearunt vocitatus est: ac sanè summum sacerdotium obtinuit, cùm admodum iuuenis esset, sed egregiè prudens atque eruditus, mirabili consensu omnium Cardinalium, etsi inter eos plures erant prouectioris ætatis, & hoc munere, vt ipse ait, digniores. Decesserat Cælestinus sexto Idus Ianuarias, & in Lateranensi basilica honorificè tumulatus fuerat: qua cerimonia de more peracta conuenere, quorũ intererat successorẽ designare, Lothariúmque nobilem genere, & quantum illa ætas ferre poterat eruditum, vt monimenta ostẽdunt, ad tantæ dignitatis apicem promouere. Extat initio epistolarum eius de legitima sui electione oratio, breuis illa quidem, sed quæ modestiam prudentiámque singularem in eo indicat fuisse. Ineffabilis sapientia conditoris sic omnia, quæ alto consilio simul ab æterno præuidit, per labentium temporum vices mirabili quadam dispositione dispensat, vt nec error in ordine, nec in opere sit defectus: cùm diuina scriptura testante cũcta fecerit in numero, pondere, & mensura. Licèt ergo nihil in terra sine certa causa, propriáque ratione disponat,


» imperfectum tamen conditionis humanæ non solùm in
» causis operum deficit perscrutandis, verumetiam in ipsis
» causarum opibus vix sufficit admirari. Quod vtique con-
» siderans Apostolus exclamabat: O altitudo diuitiarum
» sapientiæ, & scientiæ Dei, quàm incomprehensibilia sunt
» iudicia eius, & inuestigabiles viæ eius. Quamuis enim vni-
» uersæ viæ domini misericordia & veritas, & omnia opera
» eius iudicia sunt, testante Propheta, vsque adeò tamen
» successus hominum humiliationem & exaltationem eo-
» rum dextera domini, licet iusta, occulta tamē ratione pro-
» curat, vt causa nobis non modici stuporis existat, quod in
» regimine potestatis, iuniores quandóque senioribus ante-
» ponit. Vt iuxta Prophetam, filij nascātur pro patribus, qui
» super omnem terram principes constituti, dominici no-
» minis recordentur: sicut de nobis ipsis à domino factum
» est, & est mirabile in oculis nostris. Sanè fœlicis memo-
» riæ Cælestino patre, ac prædecessore nostro, VI. Id. Ian.
» viam vniuersæ carnis ingresso, & in Lateran. basilica (sicut
» moris est) honorificè tumulato, fratres nostri, videlicet
» Episcopi, Presbyteri & Diaconi, Cardinales, & nos ipsi cū
» eis simul in vnum secessimus, vt tanto licentius & tutius
» de substitutione Pontificis tractaremus, quanto tractatus
» ipse maiorem deliberandi copiam, & amplioris circunspe-
» ctionis consilium requirebat. Cúmque missarum solem-
» nibus in honorem sancti spiritus celebratis requisitæ fuis-
» sent omnium voluntates, ad insufficientiam nostram ocu-
» los extenderunt: humano forsan æstimantes arbitrio, in
» sacculo Beniamin scyphum argēteum inuenire. Licèt plu-
» res ex ipsis, ætatis, ordinis, & meriti ratione potuissent ad
» tantæ dignitatis apicem digniùs euocari. Cuius si quidem

» dignitatis onus cum insufficentia nostra penitùs recusaret,
» vt potè nostris debilibus humeris importabile, sub illius
» tamen confidentia & exemplo, qui infirmitatem beati Pe-
» tri trina priùs negatione probatam, post trinę confessionis
» vocem in gubernatione suarum ouium cōfirmauit. Quòd
» personæ nostræ multiplex imperfectio denegabat, in ip-
» sius contulimus voluntatem fratrum nostrorum acquies-
» scentes instantiæ: ne reluctatio diuturna dissidij pareret
» detrimentum, aut dispositioni diuinæ videretur aliquate-
» nus obuiare: sperantes quòd ille, qui dat omnibus affluen-
» ter, & nō improperat: qui nouissimum fratrem virum vti-
» que secundum cor suum in Regem de post fœtātes assum-
» psit, de lapidibus suscitabit filium Abrahæ, vocans ea quæ
» non sunt, tamquam ea quæ sunt: vt infirma eligens, fortia
» quæque cōfundat. Nos igitur ecclesiasticę prouisionis so-
» licitudinem assumentes, & non modicum confidentes de
» vobis, quos nobis Dominus ad tantæ difficultatis onus le-
» uiùs perferendum solicitudinis nostræ voluit esse partici-
» pes: Vniuersitatem vestram rogamus, monemus, & exhor-
» tamur in domino, quatenus insufficientiam nostram ve-
» stris orationibus apud dominum adiuuetis: & circa com-
» missam nobis dominici gregis custodiam diligēter, & vti-
» liter vigilantes, defectum nostrum humiliter supplere ve-
» litis: & iniunctam nobis ecclesiastici oneris grauitatem vi-
» gilanti studio comportare. Nos enim vos tamquam prin-
» cipalia membra ecclesiæ honorare intendimus, & in neces-
» sitatibus vestris (quantùm dominus permiserit) àdiuuare.
» Datum Lateran. quinto Id. Ianuarij. Consecratus autem
» est illo ipso mense, quò D. Petrus sedisse Romæ dicitur.
» Postero die Petrus præfectus vrbi in consistorio Latera-

nensi palam testatus est se ac successores suos fideles ecclesię Romanę futuros, & ab eo accepit donatiui nomine vas argẽteum. Hoc nos nullius scriptoris testimonio dicimus prӕterquam Innocẽtij, cui vt viro bono de suis rebus narranti credere ӕquum putamus. nec enim vlla de eo verior est historia, quàm quӕ epistolis eius & cӕteris operibus continetur: ac plurima ignorari necesse est, ab iis qui opera eius nescire volent. Othonem Saxonum Ducem reclamãte Philippo Henrici fratre renunciatum Cӕsarem sub Innocẽtio constat: idémque ab eo diademate Imperij exornatus est anno Christi millesimo ducentesimo decimo, vt Ricordanus refert. Sed mox cõtra datam fidem, Friderici pueri ditionem inuasit. quod cùm fecisset Otho, ab Episcopo Romano Imperio quoque motus ac infœliciter tãdem est mortuus. Synodum autem Innocentius habuit Romӕ apud Lateranum Cal. Nouemb. cui interfuere Episcopi quadringenti duodecim: cuius decreta quamplurima à Gregorio nono citantur, habitáque est in frequẽtissimo conuẽtu Episcoporum, vt nulla cogi illustrior hodie possit. Episcopos enim & antistites ex variis prouinciis ad mille ducentos & amplius adfuisse vetustissimis Pontificum annalibus continetur: extántque eius ad illam synodum duӕ conciones prӕclarę, & recens facta ex iure canonico collectio canonum eius. Multáque tum sancita sunt vtilia vel potius necessaria ecclesiӕ Dei diffusӕ per orbem terrӕ. Vrbẽ verò ipsam beneficiis singularibus affecit exӕdificata sancti Spiritus publica hospitalis domo, redditibúsque relictis ad alẽdos peregrinos, ęgrotos & orphanos. Sixti templum, quod ruinam minabatur, refici iussit. denique ad omnes penè Europӕ Reges scripsit, extantque ad

eos literæ plenæ salubrium consiliorum: sed eas omitto, quia reperitur liber epistolarum eius. Tandem cùm pacis faciendæ causa inter Pisanos & Genuenses Perusium se cõtulisset, in eo oppido mortuus est anno millesimo ducentesimo decimo sexto, conditúsque in Laurentij templo peractis in Pontificatu annis decem & octo, mẽsibus quatuor & amplius. Quantus autem Innocentius fuerit, quis melius exponat quàm Ligurinus libro tertio, qui cùm Arnoldum in concilio Romano damnatum retulisset, ab illo
» præsule, Qui numeros vetitum cõtingere nostros Nomen
» ab innocua ducit laudabile vita: aut quàm illa eius sententia penè diuina apud Gregorium nonum libro primo, Sãctius est maximè in ordinatione sacerdotum paucos bonos quàm multos malos habere ministros: quia si cœcus cœcum ducit, ambo in foueã dilabuntur: aut melius quàm Petrarcha epistola ad Ioannem Priorem magnæ Carthu-
» siæ? Reliquum est, inquit, vt petitionibus & quęstionibus
» tuis, vtcumque satisfaciam, quibus si te sequi vellem, nun-
» quid ego quoque non sat dignè subirascerer? Tantum
» nempe mihi præconium ingenij tribuis, quantum ego
» nec posco, nec mereor: & quanquam multum exprimam,
» plus tantum incomparabiliter est quod taces, tacitúsque
» pronuncias, vbi me rogas, vt de dignitate conditionis hu-
» manæ, librum ab Innocentio tertio promissum, vt dicis,
» nec ab illo editum, ipse edam, promissúmque impleam
» alterius, qui proprium implere nondum potui, quasi prõ-
» ptum sit mihi de re qualibet copiosè suauitérque disse-
» rere. Nec aduertis virum illum, quem virtus & ingenium
» ante tempus ad Romani pontificatus apicem euexerunt,
» de miseria humanæ conditionis ingressum scribere, vix

» implesse propositum, de contrario autem se scripturum
» promisisse, tantummodò non adhibitis sponsoribus quos
» se digresso, delusa posteritas conueniret. Illius fidem vt
» absoluam, tu nunc iubes, & experiar, quod illum vel no-
» luisse, vel timuisse, vel nequiuisse compertum est. Sed quis
» ego sum, aut quæ est in me facultas? vt apud Ciceronem
» ait Lęlius. Ergo ego, quod ille vir exhorruit, securus ag-
» grediar? qui etiam si Pontificatu seposito, per seipsum
» estimetur, cautus habetur omnium iudicio, vt doctissi-
» mis ascribatur, in Pontificatu autem talis fuit, vt haud du-
» biè sicut sæpe dicere magnos ecclesiæ Cardines audiui, pe-
» regrinæ nationis atque inuisæ, qui hoc non sponte sua,
» sed cogente veritate fatebantur, post illum Petri sedem,
» æquè nullus honestauerit cum hoc tali viro, tantæ aucto-
» ritatis, tàm potentis ingenij, me adeò non ex æquo partiri
» iubes hanc sarcinam, vt cum de miseria humanæ condi-
» tionis ille tacuerit, mihi de contrario sit agendum, atque
» ita quod nemo dubitat, quæ illi prona fuit, & facilis, mihi
» difficilis, & maligna materia sit.



HONORIVS III.




DECIMO quinto Calendas Augusti, anno millesimo ducentesimo decimo sexto, Perusij altero die post Innocentij obitum, Cincius ciuis Romanus in Episcopum vrbis electus est, Honoriique nomen prætulit, decessor eius qui fuerit, eloquitur apud Gregoriū successorem, vbi agi-

tur de in integrum restitutione, etenim fœlicis memoriæ Innocentium Papam prædecessorem suum vocat, hic decennio quo dignitatem illam exercuit, multa quidem piè & religiosè sanciuit, & quorum à Gregorio nono successore fit mentio: sed illud memorabile est renouatam ab eo esse Alexandri constitutionem, ne religiosi homines relicta solitudine ad discēdas leges vel physicam proficisci audeant, quòd recténe an secus ab Alexādro tertio sancitum sit, eorum erit iudicare qui hunc locum legerint. vtra enim solitario vtilior est ignorātia, an cognitio, multarúmque rerum scientia? Verùm duo sunt, quæ Pontificatum illius illustrem potissimum faciunt, coronatio Friderici secundi Cęsaris, & Petri Altissiodorensis in Constantinopolitanū Imperatorē. postea constitutionem Friderici de statutis & consuetudinibus contra libertatem ecclesiæ æditis, veluti pro vtilitate christianæ gentis æditā laudauit, confirmauítque tamquam æternum valituram. In qua cō-
» stitutione hæc omnino verba reperio, sic enim orditur. In
» die qua de manu sacratissimi patris nostri summi Pontifi-
» cis recepimus Imperij diadema, curauimus ad Dei & ec-
» clesiæ suæ honorē ædere quasdem leges, quas in præsenti
» pagina iussimus annotari per totum nostrum Imperium
» publicandas: sanè Romani Pōtifices veste admodum sim-
» plici ac modesta quotidie vtuntur, nec pretiosam induunt
» propter se, sed propter honorem dignitatis quoties diade-
» ma Cæsaribus aut Regibus imponunt, aut propter diui-
» num cultum vt Honorius fecit in coronatione Cæsarum
» & successores eius, quoties ad diuina misteria supplices ac-
» cesserunt. In victu quidem & potu & ijs quæ communia
» sunt, cæteros principes vt libet imitantur, interdum etiam

" frugaliores ſũt, quàm cùm priuati eſſent. Denique vt plu-
" rimum ætas & ſenium eos minus ſeruire voluptati iubent.
" multa enim ſenectus incommoda ſecum adfert: & ſi com-
" moda adferret, in Pontificibus tamen commodum debet eſſe cum modo. Ad hunc Honorium reperio epiſtolam qua Ioannes Rex Hieroſolymitanus certiorem eum facit Damiatæ à Chriſtianis expugnatæ: fœlicitérque domitæ: & Honorij reſcriptum ad Turonicam Galliç prouinciam, quo expugnationem illam ſignificat, Chriſtianóſque populos magnopere hortatur ad ſubſidium Ioanni & Chriſtianis in Ægypto Syriáque laborantibus tempeſtiuè ferendum. quas Ioannis & Honorij literas eſſe inter epiſtolas Petri Bleſenſis non indocti illa ætate viri Chriſtianum lectorem moneo. Etiam illud indico decretalium libro quinto contineri conſtitutionem Honorij, qua vetat ne Lutetiæ vel in vrbibus vicinis quiſquam docere vel audire
" ius ciuile audeat: & rationem afferens: quia, inquit, in Fran-
" cia laici Imperatorum legibus non vtuntur. quod quidem interdictum etiam nunc in illa academia ſeruari videmus. Dantes Aligerius in cãtu vndecimo Paradiſi, Honorij huius meminit, & ab eo D. Franciſci ordinem ſub Innocẽtio cœptum confirmatum ait; Franciſcum non procul à Tupino amne Aſſiſij natum, Petríque Bernardonis filiũ, charum Innocentio Honorióque Pontificibus fuiſſe ab eodem traditum eſt, & Dominicum ex Calagurri maritimo Hiſpaniæ oppido Fœlice & Ioanna parentibus, nouas in orbe Chriſtiano monachorũ familias inſtituiſſe, probari eas apoſtolicæ ſedi oportuit. Qua in re Honorius corruptis hominum moribus, diſciplinæquè eccleſiaſticæ penè ruenti mederi ac conſulere eſt viſus. Sed maximam labem

vi

vir pius intulisse ecclesiæ Dei, quia Episcopi & sacerdotes in sua quisque parochiali cura cōcionari soliti, his sibi succedentibus, conuersi ad otium, id munus docendi dicendíque, quod præstantissimū erat, abiicientes, sponte voluptati & genio indulgere cœperunt. Verùm successores Honorij nouas monachorum familias sæpe admittendo, nescio an deterius illo fecerint. Ac reuera publicè interest excutere consilia moresque eorum qui huiusmodi societates introducunt. sectarum enim principes inflati superbíque sunt, seu illæ bonæ, seu malæ videntur.



GREGORIVS IX.




REGORIVM cui Hugolino nomen fuit, patria Hernicum, Anagninus enim erat, ex eadem gente & familia qua Innocentius tertius, Episcopum Romanum superi fieri voluerunt, vt esset qui vestigia Honorij gentilis sui tereret, & qui Friderici Cæsaris ingratum in illam sedem animum persequeretur, vt hic fecit. iura enim ecclesiæ occupantem Honorius è piorum cœtu summouerat: atque id quidem meritò. quis enim iuxta viperā securos somnos caperet, vt Hieronymi verbo vtar? Ac nihilo mitior in eum Gregorius fuit, confirmata excōmunicationis sententia quam decessor suus tulisset: confirmasse autem & anathematis vinculo innodasse testatur Innocentius quartus de sententia & re iudicata apud Bo-

nifacium in sexto. Illud certè permitti non potest, quòd cùm Fridericus dãnatus atque hostis iudicatus esset, ob ídque implacabili aduersus ecclesiam Romanam odio flagraret, per Italiã immanissimi latronis more bacchatus est: vastauit agros, oppida diripuit, non sexui, non ordini, non ætati vlli pepercit, cæde ac sanguine complens omnia. Verùm hæc diffusè exposita à Ricordano ciue Florentino breuitatis causa omitto: ac tantùm dico Fridericum armorum strenuum, linguarum peritum, seuerum Romanæ ecclesiæ hostem, cum multis Pontificibus bellum habuisse, precipuè cum Gregorio nono, tandémque Innocentij quarti Liguris sententia excommunicatum, victum, fugatúmque, vno veluti momento concidisse, vt Beneuentus in libello de Cæsaribus Petrarchæ temporibus scripto, cui æqualis fuit, dilucidè exponit. Acerbo autem & graui in Pontifices odio exarsisse constat, ídque immeritò, ab illis enim in minori ætate seruatus fuerat: & Romæ quidẽ synodum habere, Gregorius belli sacri causa, & multarũ ecclesiasticarum rerum gratia decreuerat, proptereáque miserat in Galliam Iacobum & Othonẽ Cardinales legatos suos ad Ludouicum Regem Frãcorum. Verùm temeritate Obriaci Genuensis, dum reuertũtur, capti fuerũt pessimo exemplo, & ab immiti tyranno malè habiti: ita omnibus cõsiliis Gregorij aduersatus, impeditáque synodo effecit, vt ex dolore animi Pius Pontifex Romæ moreretur anno Christiani numeri millesimo ducẽtesimo tricesimo nono. Charus ei acceptúsque Raymundus Pœnna Barcinonensis fuit, eiúsque opera decretales Epistolæ editæ sunt, vt ex earum initio ostenditur. Quid ergo necesse est plura de Gregorio dicere, cùm quinque libros ediderit, vnde res e-

ius facilè eruantur? Hoc Pontifice inter Biturigũm & Burdigalæ Archiepiſcopos cõtẽtio fuit, vter vtri ſubeſſet, cùm ambo ſe ſuperiorem dicerent: cupiebátque huic liti Gregorius finem imponere, ne immortalis fieret, proptereáque certas eis dilationes ad cauſam conteſtandam dedit, vt ipſe teſtis eſt libro ſecundo, cùm agit de dolo & contumacia. qua in re Romani Epiſcopi ſtudium laudo, ſimul Horatianum illud iure repeto, & adhuc ſub iudice lis eſt. Verùm litem illam excutienti mihi occurrit Sidonij Apollinaris Epiſcopi Auerni municipij locus, cui Bituriges metropolitani deligendi nõ mandaſſent arbitrium, ſi tũc prouincia illa Burdegalæ Epiſcopo paruiſſet. quibus autẽ verbis Simpliciũ elegerit, in epiſtola ad Perpetuũ Turonum Epiſcopũ tradit. Quia ſententiam paruitatis meę in hac electione valituram eſſe iuraſtis (ſi quidem non eſt validius dicere ſacramenta, quàm ſcribere) in nomine patris & filij & ſpiritus ſancti, Simplicius eſt quem prouincię noſtræ metropolitanũ ciuitati veſtræ ſummum ſacerdotem fieri debere pronunciat. Memorabilis quoque eſt relatio Dominici inter diuos propter egregiã illius viri pietatem & ſanctimoniam, de qua ideò breuiſſimè dicimus, quòd eam extare, & in Bibliotheca piorum virorum legi ſcimus. Quòd ſi res eius, & Friderici ſæuitiam penitus noſſe cupis, moneo vt Ricordanum legas fideliſſimum illius temporis ſcriptorẽ: plurimi enim de Friderico ſcripſere, ſed qui veriorem de eo hiſtoriam fecerit, equidem non inuenio. Interim facere non poſſum, quin Baptiſtæ Fulgoſi locum illum ex libro octauo factorum dictorúmque memorabilium recitem. Gregorius, inquit, nonus cùm populũ Romanum inclinare ad Fridericum Cæſarem poſtremis tem-

poribus cerneret, neque alia resistendi ratio esset: apostolorũ Petri & Pauli capita cœpit, & lachrymabili voce, sanctorum reliquias populo commendans, ita omnium animos immutauit, vt qui ante rebelles atque hostes erant, pro eo in Fridericum arma caperent. Fulgosi autem etsi non admodum antiqui scriptoris testimonio vtor, quia cum in historia veri studiosum atque amantem esse arbitror.




CELESTINVS IIII.



VATVOR Pontifices qui ordine sequentur, quaternario numero in nominibus suis delectati sunt, Cælestinus, Innocentius, Alexander & Vrbanus. Celestinum Mediolani natum ferunt decem & octo dierum Pontificem. neque enim diutius senio cõfectum viuere fata permiserunt, etsi vitæ integer fuit, plurimarúmque rerũ scientia ornatus, vt Bernardi Dominicani & aliorum testimonio constat. Itáque breuem Pontificatum eius immortalis gloria est consecuta. Cupis lector scire quod genus illi fuit, quíve tumulus? ex nobili Castellionum familia ortus, post mortem in Vaticano Romę funeratus est. Ac sine pastore grex Romanus fuit mensibus ferè vno & viginti, cùm nõ auderent Cardinales quẽquã eligere Friderici iniussu, nec tamen ei vellent assentiri. Interea vir sæuissimus occupabat prædia ecclesiæ, iuráque, ac.

plurima pessimi exempli faciebat, fecítque vt cùm Petrum Vineam Campanum, virum doctissimum auctorémque prolixi operis epistolarum, quas eius nomine ad maximos Europæ reges, principes & respubl. dedit, proditionis accusatum in carcerem coniecit, vbi ex dolore animi mortuus est, vel ipse sibi mortē cōsciuit, vt Ricordanus in Hetrusca historia narrat, & Dantes poëta apud inferos illum collocans ob genus mortis, quod sanè impium est, fidem tamen eius erga Fridericum plurimum commendans.



INNOCENTIVS IIII.




NONDVM Genuam Liguriæ Vrbem Pontificatus peruenerat, cùm Cælestinus decessit: sed euentus docuit non potuisse quemquam eligi vtiliorē ecclesiæ Romanæ quàm Sinebaldū Comitis Lauaniæ Obizonis filiū, qui inter liberales disciplinas iuri potissimū attenderat, ob ídque pater iuris appellabatur, quòd disciplinam iuris ciuilis penitus nosset, atque in ea excelleret. quod ei elogium à Durando iurisconsulto illius temporis tribui, atque ipsius cōstitutiones operáque à Bartolo summo interprete iuris sæpe citari video. Hic autē patria Genuēsis, quam vrbem Gregorius primus libro dialogi quarto inter Italicas numerat: ex familia quidem Flisca fuit vetere & honorata, electúsque est quasi amicus Friderici Cæ-

ſaris, quòd vulgò ſperarent amicitiam illam non inutilem toti Italiæ futuram. Ad cuius rei nuncium turbatus Cæſar, Amicũ, inquit, habuimus Cardinalem, at Pontificem inimicũ habebimus. nota enim ei erat magnitudo animi, cæteræque virtutes quæ in Sinebaldo elucebãt. Innocentius igitur tantum inimici faſtum potentiámque non ferens, vt ne deceſſores quidem ferre patíque potuerãt, Genuenſium claſſem euocat nauigátque Genuam atque inde in prouinciam Galliæ delatus, Lugdunum tandem peruenit in quam vrbem ſynodum generalem indixit, Fridericúmque citatum Imperio exuit, pręſente Balduino Conſtantinopolitano Cæſare ob crimen periurij, proditionis, pacis violatæ, ſacrilegij atque hęreſis. has enim cauſas Victoriani annales habent, licèt Bartolus ad conſtitutionem, Caſſa & irrita, dicit Fridericum fuiſſe ab eccleſia damnatum hæreſeos. Verùm damnandi Friderici cauſas quis melius ſciat quàm ipſe Innocentius, cuius ſententiam aduerſus Cæſarem latã Bonifacius inſerit in ſexto cap. de ſententia & re iudicata? proſpero ſanè rei exitu, non multo enim poſt Fridericus irratũ ſibi & ſuis Deum ſenſit. Extincto autem Cæſare cùm Innocentius, è Gallia vbi diu fuerat, in Italiã reuerſus eſſet, & regum Neapolitanum cum exercitu ingreſſus, Neapoli incidit in morbum, ibíque mortuus eſt. Qua in vrbe funus ei magnificè curatum conſtat anno adminiſtratæ Romanæ rei amplius quàm vndecimo, relicta apud omnes fama non modò excellentis ſciẽtiæ & exquiſitæ virtutis, ſed etiã integritatis vitę admirabilíſque prudẽtiæ. Itáque Clerus ac populus eum diu luxere. cui rei fidem faciet liber tertius Genuenſis hiſtoriæ ſcriptæ ab Auguſtino Iuſtiniano Epiſcopo Nebienſi. Biennio autem

destituta pastore Romana ecclesia fuit. quo temporis spatio Manfredus Friderici ex concubina filius rebus suis cōsuluit. Hæc Ricordanus de Innocentio tradit. Galerum verò quo Cardinales hodie vtuntur, huic vni acceptum debēt. Neque enim ante id tempus tam illustres fuerant. Auditores quoque Academię Parisiēsis vectigalibus exemit: & ne extra Lutetiam per literas apostolicas super litibus inter eos exortis trahātur, primus omnium vetuit Perusij Non. Iunij, & secundo Cal. Iun. Pontificatus anno nono, vt in Chartario eiusdem Academiæ inuenio. Ac Lugduni quidem Innocentius rosam auream solemnibus Romanæ ecclesiæ cerimoniis ritúque benedixit, & Canonicis D. Iusti hospitibus suis dono eam dedit: quem morem Pōtifices deinceps obseruauere, vt laudabili atque honesto munere clarorum & illustriorum virorum gratiam inirent. Ea quidem Innocentij rosa in noua Iusti ecclesia in colle intra mœnia vrbis procurante Iacobo Gírineta auunculo, & filio eius Clemente Diui Stephani Lugdunensis præfecto, ab æditu o ostēsa est mihi vxoríque meæ Dionysię, & Ioāni charissimo fratri, cuius opera manúque in his libris scribendis vsus sum, cùm Lugdunū & Forensium regionem à Foro antiquo ad Ligerim municipio dictam, id est, patriam meā, in oppido Germani supra vallem Dehæ modici amnis sito post decem & octo absentię annos alter quasi Vlysses inuiserem, matrémque Antoninam & Catharinam sororem Vialiósque eius filios & omnes agnatos meos humaniter salutarem, piósque cineres auunculi nostri Philiberti Girinetæ doctissimi viri & de nobis olim bene meriti aspicerem cum lachrimis, eiúsque tumulum floribus aspergerem in templo Theobaldi & Iusti, cui Equi-

tio nomen.huic enim ecclesiæ in patria natalíque solo viuus præerat:cui successit Clemens, de quo loquuti sumus. Atque inde Iuram montem & Claudij templum pietatis gratia adij,ea anni parte qua propter autumnum & vindemiales ferias ab aduocationis munere Senatus Parisiensis cessabat anno millesimo quingentesimo septuagesimo nono.



ALEXANDER IIII.




D Alexādrum patria Anagninum venio,virū doctrina,eruditione, & sanctitate insignem, ob eásque virtutes Neapoli dignum iudicatum,qui tantum magistratum acciperet.atque hic multò fortunatior fuit quàm duo superiores Alexandri : nullum quippe Pontificij imperij æmulum habuit;etsi Italia maximas factiones Guelphorū & Gibellinorum ferre coacta est, Ecceliníque horrendam sanè ac penitus detestandam immanitaté, quam superi incitante Alexādro egregiè vlti sunt, vt in Gerardi ciuis Patauini historia exponitur. Genuensium quoque & Venetorum odia penè funesta mœstissimus vidit, & Manfredus paterno ingenio erga se aduersus Pontificij ausus sacratissimam sedem turbabat. Quibus malis mederi per legatos conatus est: nec per eum stetit, quominus Respublica tranquillitate frueretur. Fridericum Cæsarem sublatum extinctúmque

ctúmque diximus: filium eius Cõradum Imperatoris nomine & insignibus donari nolebat Alexander: extántque literæ ad Archiepiscopum Moguntinum, quibus id fieri vetat: electus tamen est Alexandro repugnante. Sed Manfredus Conradi frater eum veneno sustulit, vt Siciliæ imperaret. Erat tunc temporis Ludouicus Francorum Rex in hostium potestate, amicissimus Romanæ sedis. id verò incredibilem dolorem Alexandro piisque omnibus attulit, quòd propugnatorem Christiani nominis captum fusúmque exercitum eius accepisset. Hæc tamen Christianæ gentis incommoda sapienter tulisse semper est visus, eidem Ludouico petenti ne cui liceret interdicendi iure vti in Regno Francorum, libentissimè concessit, dato ad
» eum rescripto in hunc modum: Alexander seruus seruo-
» rũ Dei charissimo in Christo filio Ludouico Illustri Regi
» Franciæ salutem & apostolicam benedictionem. Cùm si-
» cut ex parte tua nobis extitit intimatum, fœlicis recorda-
» tionis Innocentius Papa prædecessor noster per suas tibi
» concesserit literas, vt nullus in terram tuam excommuni-
» cationis vel interdicti sententiam proferret: Nos eiusdem
» prędecessoris vestigiis inhærentes, excellentiæ tuæ aucto-
» ritate pręsentium indulgemus, vt nullus prædictam ter-
» ram vniuersaliter ecclesiastico subiicere valeat interdicto
» sine mandato sedis apostolicæ speciali. Nos enim decer-
» nimus irritum & inane si quid supra hæc contra huiusmo-
» di nostræ concessionis tenorem contigerit attentari. Nulli
» ergo omnino hominum liceat hanc paginam nostræ con-
» cessionis & constitutionis infringere, vel ei ausu temera-
» rio contraire. Si quis autem hoc attentare præsumpserit,
» indignationem omnipotentis Dei, & beatorum Petri &

» Pauli Apoſtolorum eius ſe nouerit incurſurum. Datum » Anagniæ Cal. Octob. Pontificatus noſtri anno primo. Hic eſt Ludouicus ille quem Bonifacius octauus poſtea inter diuos retulit. Idque reſcriptum in actis Senatus Pariſienſis continetur, vnde illud exſcripſimus, & poteramus exſcribere Clementis, Nicolai, Martini & Clementis ſexti ſimilia ad Reges Francorum reſcripta, quod breuitatis cauſa non fecimus. Cùm autem Alexander ad ſeptimum ferè annum Pontificatus ſui perueniſſet, Viterbij Faliſcorum vita functus eſt, eo die qui diuo Vrbano feſtus eſt. In Chartario Pariſienſis academiæ inuenio epiſtolam datam ſexto Non. Octobr. milleſimo ducenteſimo quinquageſimo quinto, ad Alexandrum Pontificem, qua Academia eadem queritur ſingularem ſibi iniuriam illatam à Gregorio ſedis Apoſtolicæ nuncio, qui venerandum virum magiſtrum Guilielmum à ſancto Amore Pariſiis in Theologica facultate regentem (his enim verbis epiſtola compoſita eſt) apud Regem & Pariſienſem Epiſcopum diffamaſſet in gratiam Dominicanorum, eundémque Gregorium citatum vt in Epiſcopali iudicio compareret, ſi quid aduerſus Guilielmum probare vellet, & poſſet legitimè probaturus, non fuiſſe auſum, ſed malè ſibi conſcium Lutetia diſceſſiſſe, Epiſcopum cùm nec accuſator nec denunciator aliquis appareret, præſentibus auditorum quatuor millibus, reum abſoluiſſe. quam epiſtolam, quia nimium prolixa eſt, nolo huic operi inſerere. Alia quoque epiſtola ad Epiſcopos Galliæ data milleſimo ducenteſimo quinquageſimo tertio eoſdem Dominicanos vti ingratos homines accuſant, quòd conniuentibus Cancellario & Epiſcopo Pariſienſi ſolemne magiſterium, &

magistralem cathedram vnam sibi attribuissent: vti enim liceat Academiæ verbis potius quàm meis.



VRBANVS IIII.



RICASSES clari Galliæ populi Iacobum tulerunt, humili quidem genere ortum, sutorísque cognomine Pantaleonis filium (vt hodie quoque in vrbe Tricassina constans fama est) verùm animi magnitudine, scientia, consilio, morúmque grauitate cæteris eminentem. Quibus virtutibus pontificiam dignitatem adeptus est etsi nihil tale cogitans, nam Patriarcha Hierosolymitanus tunc erat. adeo PLERVMQVE BENEFICIORVM SVORVM LARGITOR DEVS TRANSMISIT IN EOS QVI NE SPERARE QVIDEM IPSA AVDEBANT. Hic autem statura mediocri, venusta facie, grato aspectu & suaui, animóque ingenti, vocatis ad concilium quàm plurimis Episcopis exposuit eis, vt Ricordanus ait, quàm turpiter Romani Pontifices Manfredo seruirent Friderici quondam naturali filio. quam seruitutem abiiciendi, asserendæque Romanæ ecclesiæ in meliorem statum, hoc vnum esse remediũ, si Carolum Ludouici Francorum Regis fratrem magnanimum principem, & diuini cultus obseruantissimum, dicere placeret: magno omnium consensu acclamatum est, placere: decretúmque eius rei in Franciam missum nuncio summi honoris Simone, quem tunc nesciebant Roma-

num Pontificem aliquando futurum. *Hæc Ricordanus* de Vrbani Pontificatu tradit. Cæterùm tantæ lætitiæ particeps Vrbanus non fuit, eadem nocte vita functus, qua dirus cometes, qui temporibus illis fulserat, disparere cœpit. Regem Francorum honoris & dignitatis plenissimo nomine, principem inclita deuotione præclarum, Christianissimum præcedentium meritorum, athletam Christi strenuum, & solicitum fidei Christianæ defensorem vocabat, sequutus morem maiorum. Innocentius enim quartus Catholicum Principem & Christianissimum Regem: Gregorius nonus Christianissimum inter omnes Christianos: Gregorius primus Regem Catholicum, & præcellentissimum filium suum appellarat. Exegit autem in Pontificatu annos tres & paulò amplius, Perusiíque obiit, anno millesimo ducentesimo sexagesimo quarto, nullo in patriam relicto grati animi testimonio, præter templum diui Vrbani, quod in vrbe Tricassium, in qua natus erat, exædificari iussit in solo paternarum ædium, relicto ibi tenui collegio canonicorum, quod erat futurum locuples & opimum si diutius viuere potuisset. Antherum fratris filium patruus Cardinalem instituit, cuius studio vita eius diligentissimè à Gregorio decano ecclesiæ Baiocassium in Lugdunẽsi secunda & à Theodorico Vallicolore illius ætatis poëta perscripta est, eámque in templo à se exædificato archiua custodiunt, vnde ad nos à canonicis spõtè missa est. Laudabili exẽplo & quod nepotes Põtificij vt regulã sequi debuerũt, ne exuuias patruorũ aut auunculorũ tãtùm deprædati dicerẽtur, & otiosam ex relictis opibus vitam instituisse, vti plurimi eorum fecere, non patruorũ dedecore sed suo. Vixit ea ætate Thomas

Aquinas excellenti vir ingenio: nã in opere quod ſcripſit contra errores Græcorum ad Vrbanum Pontificem maximum, ait libellum ſibi ab eo exhibitum diligenter à ſe euolutum, ac Græcorum errores refutatos. Iſque ſplendor illius ætatis inter Cardinales meritò referri debuit ab Vrbano, qui quatuordecim Cardinales elegit, & in his Guidonem eximium iuriſconſultum conſiliariúmque regis Francorum, qui Vrbano mortuo in Pontificatu ſucceſſit. Sed Thomam etſi præſtantiſſimum virum nõ elegit, quia gentiles eius nimium addicti Imperatoribus fuerunt. Feſtum diem Euchariſtiæ Chriſtianæ Vrbanus quidem inſtituit Romæ, verùm non tam citò is dies in Gallia obſeruari cœpit. nam in vetuſtis annalibus quos auctor anonymus in Gallia ſcripſit anno milleſimo trecenteſimo vigeſimo octauo traditũ eſt coli eum diem cœpiſſe anno ſupra mille trecenteſimo decimo octauo, id eſt multo poſt obitum Vrbani, à quo is dies feſtus inſtitutus eſt, Thoma ad eam rem adhibito, qui ſolemnem hymnum, & preces eius diei compoſuit. Fuit vir vitæ venerabilis Iacobus nomine, qui ab ipſo pueritiæ ſuæ tempore cor gerens ſenile iuxta ſui interpretationem nominis peccata & vitia ſupplantauit, & virtutes in ſe plantans & inſerens, & gradatim de virtute in virtutem aſcendens, ad ſummi Pontificatus apicem meruit peruenire, cuius vitæ progreſſum credens exemplo poſteris profuturum, ipſum breuis ſtili officio annotaui. Huic ſiquidem de catholicis orto natalibus Trecarum ciuitas nomini proprio cognomen adiecit: quæ ciuitas famoſa populorum frequentia, & nemoribus & pratis amœna, dulcem habitatoribus exhibet ſuis amœnitatibus incolatum. Idem vir dilectus deo & hominibus, dum

» adhuc esset puerulus, Parisius mittitur, vt ibi armariolum » puri pectoris scholasticis imbueret disciplinis. Vbi sic lau- » dabiliter primò in liberalibus artibus, postmodum in sciẽ- » tia iuris canonici superni numinis benedictione profecit, » quòd in vtrisq; cathedrali promeruit titulo insigniri. cúm- » que ipsius excellẽtis ingenij altitudo maiorũ profunda re- » quireret facultatum, ad theologiæ studium se conuertit. » In qua sic laudabiliter dignoscitur profecisse, quòd lingua » eius scribæ calamus prædicationis verbo singulos confo- » uebat. Solum natale tandem repetens eius eximiæ sapien- » tiæ & ordinatę vitæ fama laudabilis ad vicinos euolat & » remotos. Itáq; honorabilis pręsul Laudunẽsis ecclesiæ eũ » in suum Archidiaconum euocauit. in qua ecclesia laudabi- » liter vixit, & honestæ conuersationis habitum studuit cõ- » seruare. Cúmque ipsius fama crebresceret, & continuum » susciperet incrementum, de eadem Laudunensi ecclesia ad » Archidiaconatum Leodiensis ecclesiæ est trãslatus: post- » modum verò Virdunensis ecclesiæ obeunte Pontifice di- » ctus vir deo plenus, in eiusdem Virdunensis ecclesiæ Epis- » copũ honorabiliter est assumptus, cui Virdunensis eccle- » siæ cum aliquãtis temporibus famosissimè & vtiliter præ- » fuisset, odor eius bonorum operum montes transiliens & » mare perlustrans, ad partes vltramarinas peruenit: vbi sic » corda incolarum de illis partibus commouit, & suauitate » morum refecit, quòd ecclesiæ Hierosolymitanæ, Trecen- » sis Iacobus beato Iacobo fratri domini in tam eximio pa- » triarchatu successit. In quo quidem patriarchatu sic patri- » archis pręfuit & profecit, quòd peregrini & incolę ipsarũ » partium patrem & pastorem amabilem se habere gaude- » bant. Porrò cùm pro terrę sanctæ subsidio & eiusdem Hie-

» rosolymitanæ ecclesiæ vtilibus & arduis negotiis idem pa-
» ter necesse habuisset sedis apostolicæ limina visitare, naui-
» gij subsidio maris pelagus nauigauit, & ad ciuitatis Vene-
» tiarum littora veniens, & ad ciuitatem Agnaniensem, vbi
» tunc sedes apostolica residebat, se transtulit: in qua à bonę
» memoriæ domino Alexandro Papa quarto, qui tunc Ro-
» manam regebat ecclesiam, ab eius fratribus dominis Car-
» dinalibus & tota curia honorificè susceptus & benignè trà-
» ctatus in eadem ciuitate aliquantis temporibus cōquieuit,
» subsidium terræ sanctæ & negotia ecclesiæ Hierosolymi-
» tanæ prædictarum fœlici consilio promouens & procu-
» rans. Eodem verò Alexandro Papa in ciuitate Viterbiensi,
» ad quam cum tota curia & eodem patriarcha se transtule-
» rat, diem claudente extremum, ipsa Romana ecclesia tri-
» mestri vacauit, eisdē Cardinalibus inimico homine super
» semināte discordiā nō valētibus cōcordare. Sed cùm Dei
» sapiētia ab ęterno alto prouidisset cōsilio, eundem Iacobū
» quem Archidiaconū Episcopū & Patriarchā iam fecerat,
» summi Pōtificatus fastigio honorare eorundē Cardinaliū
» corda sic disparia ad tantam concordiam & paritatem ad-
» duxit, vt concordi voto, voce & animo eundem Iacobum
» in summū Pōtificem acclamarēt, quem iidem Cardinales
» ad tantæ dignitatis sic promotum apicem Vrbanum Pa-
» pam quartum cum ingenti gaudio vocauerunt. In cuius
» promotione gaudet Clerus & populus, lætatur ma-
» ter ecclesia, & cuncti fideles iubilant & exultant. O ma-
» gna Dei patris prouidentia! O altitudo diuinæ sapientiæ,
» quæ tāto & tali pastore suam sponsam matrē ecclesiam il-
» lustrauit! Sanè cùm idē dominus Vrbanus eandē Romanā
» ecclesiam videret satis in numero Cardinalium diminutā,

» volens defectum huiusmodi reparare, vt Vrbanus nomine
» vrbanitatem in verbo & opere demonstraret, duas ordi-
» nationes, vnam in Decembri, aliam in Maij mensibus fe-
» cit, in quibus Cardinales quatuordecim ordinatos osten-
» dit, huiusmodi numero mysticéque per eosdem Cardina-
» les ex pręceptorum legis & quatuor euangeliorum doctri-
» na fidelium cordibus deberet inseri, & inserta fideliter cu-
» stodiri. Huius temporibus cùm quidam Manfredus no-
» mine Friderici quondam Imperatoris filius, vt dicebat, cō-
» tra mandatum ecclesiæ, & violenter, pro qua etiam violen-
» tia idem cum suis fautoribus fuerat excommunicatus, re-
» gnum teneret Siciliæ occupatum, & sua potentia terram
» patrimonij beati Petri intenderet occupare, pro cuius oc-
» cupatione quendam magnum exercitum Saracenorum
» & quàm plurium infidelium vsque ad castrum Arronis
» Spoletanēsis diœcesis destinauit. Idem dominus Vrbanus
» venerandus Pontifex, sicut erat prouidus, verbo prædica-
» tionis per se proposito, in cuius ore tantam Deus gloriam
» infundebat, quòd quilibet ipsum deuotè audiens verbum
» recipiebat, & radicabat introrsum, Christianorum multi-
» tudinem tam ingentem per suam pręedicationem conuer-
» tit, quòd contra prędictum exercitum infidelium innume-
» ra fidelium cruce signatorum ad se multitudo accurrit, &
» cum magna equorum armatorum & apparatu rerum in
» bello vtilium copia eisdem infidelibus obuiātes, sperabāt
» cunctis in bello congredi, & dictæ ecclesiæ vincere inimi-
» cos: sed omnipotens suam & ecclesię suæ causam agi con-
» spiciens, nō in viribus hominum, vel equorum victoriam
» habere voluit, sed potius elegit se dominum magnis & mi-
» ris prodigiis demonstrare. Nam dux exercitus eorundem

infi-

» infidelium Perceuallus vocatus de Auria, cùm magnas mi-
» nas faceret contra Deum, & ipsum Christum in suis confa-
» bulationibus blasphemaret, ac cum quodam fastu quandã
» paruam aquam & in profunditate modicam pertransiret,
» in magno destrario phaleris & multis superstitionibus de-
» corato, vt eandẽ patrimonij terram intraret, diuina facien-
» te clementia destrarius ipse subitò in eadem aqua cecidit,
» & mox sessor eiusdem tam miro modo est nequiter suffo-
» catus, quòd idem Perceuallus nec eius destrarius videri po-
» stea potuerint, vel etiam inueniri. quod mirũ eius exerci-
» tus & gens videns, statim eorum cordibus virtute diuina
» commotis se dederunt in fugam sine duce & ordine, vnus
» alterum non expectans, die & nocte per deuia fugientes
» ad eiusdem regni terminos non sine magno timore &
» metu corporum redierunt. quos cùm prædicti fideles &
» cruce signati insecuti fuissent, ceperũt innumeros, & quã-
» plures armis & gladio peremerunt. O mira misericordia
» Dei patris, quæ sic suam defendit ecclesiam, quòd nõ bel-
» lo, sed tantis reddit eximiis victoriis insignitam! Præfatus
» itáque dominus Vrbanus summus Pontifex de huiusmo-
» di victoria non elatus, sed reddens in omnibus laudem
» Deo, eiusdem Manfredi, qui de stirpe viperea originem
» traxerat, astutias & malitias cogitans, & attendens quòd
» dictum regnum contumaci superbia detinebat, nec vole-
» bat ipsum dimittere, sed nitebatur cum diuitiis & bonis
» quę de ipso regno carpebat, dictam ecclesiam impugnare,
» sapienter prouidens ad eiusdem regni regimen nobilem
» virum dominũ Carolum Andegauiæ, Prouintiæ & Cœ-
» nomaniæ Comitem natũ, fœlicis memoriæ domini Phi-
» lippi regis Francię, nunc eiusdem regni regem Siciliæ fere-

» nissimum euocauit. Cuius regis euocatio licet eiusdem do-
» mini Vrbani Papæ tempore finem perfectum non habue-
» rit, quia eundem dominum Vrbanum amara mors nimis
» immaturè peremit, sed tamẽ cùm quod ipse super dictum
» regnũ inceperat fœl. record. dominus Clemẽs Papa quar-
» tus, qui eidem domino Vrbano in papatu successit, profe-
» cerat, cùm laudabile principiũ dederit, est idem dominus
» Vrbanus super hoc merito cõmendandus. Sanè idem Co-
» mes per manus venerabilis patris domini Simonis tituli
» sanctę Ceciliæ presbyteri Cardinalis tunc in partibus Frã-
» ciæ apostolicæ sedis legati dicti regni Siciliæ collatione in
» ciuitate Parisiẽsi suscepta, marino nauigio de Massilia Ro-
» mam venit, vbi etiam factus extitit vrbis dominus & Se-
» nator. in qua vrbe in festo pẽtecostes in basilica apostolo-
» rum principis vna cum spiritus sancti gratia de manibus
» quinque dominorum Cardinalium ad hoc destinatorum
» vnctione regali percepta eiusdem regni sceptrum & coro-
» nam recepit: & mox se accingens ad pugnam dicti regni
» cum ingenti exercitu Fontes per pontem Cepeium intra-
» uit: dictum Manfredum, qui se ad defensionem parauerat
» & eius exercitum impugnãdo: qui cum ad mœnia ciuita-
» tis Beneuentanẽsis fugientes in iisdem mœniis eodem co-
» mite iam rege & sua militia in parte vnà & præfato Man-
» fredo cum innumera multitudine Saracenorum de Nu-
» ceria & aliorum infidelium in parte altera in aciebus scala-
» ribus ordinatis se ad inuicẽ hostiliter sunt aggressi: & bel-
» lantes aliquamdiu subitò virtute diuina dictus Manfre-
» dus & innumera multitudo de eius parte perierunt in bel-
» lo, & omnes de eius exercitu absque defensione ab ipso re-
» ge capti sunt & deuicti. O mira circa ecclesiam Dei pie-

» tas! quæ equum & aſſenſorem ſic triumphaliter cum
» triumpho deiecit, quòd vno die & quaſi in ictu oculi
» præfatus Rex poſſeſſionem pacificam ſui regni obtinuit,
» & inimicum deuicit in bello, in quo quãtum auri pondus
» & bonarũ rerum ac pretioſorum lapidum dictus Rex cum
» ſuis habuerit, quia numerari nõ poſſent, cenſui relinquen-
» dum. Hácautem victoriam cùm nobiles viri Theutonici,
» egregius vir dominus Henricus natus Regis Caſtellæ, qui
» dictæ vrbis tunc temporis contra voluntatem Romanæ
» eccleſię Senatum tenebat, moleſtè tuliſſent, & ex hoc quẽ-
» dam puerum Corradum nomine nõdum annorum quin-
» decim filium quondam Corradi nati Friderici Imperato-
» ris prędicti ſibi aſſumpſiſſent in ducem, aſſerentes quòd ex
» ſucceſſione hęreditaria ei regnum debebatur præfatum, &
» cum ingenti multitudine præfati regni fines per diœceſim
» Marſicanenſem intrare cœpiſſent, quia eis quidam de ipſo
» regno ſicut proditores fauebant, dictus Rex quamuis nõ
» magnum haberet exercitum in numero, & tamen de pru-
» dentia militiæ Gallicanæ & Dei bonitate confiſus, in eoſ-
» dem Theotonicos, Hiſpanos, Lombardos, Romanos &
» alios inſurgens, & dimicans contra eos, omnes deuicit in
» prælio. Ita quòd in loco belli fluuius magnus ſanguinis &
» mons apparuit de corporibus occiſorum. Gaude ergo &
» iubila fœlix Francia, quæ diuino ſuffulta præſidio contra
» tales & tantos tam glorioſam victoriam habuiſti. Prædi-
» ctus itáque Pontifex quia deceſſor eius Alexander Papa
» quartus in feſto beati Vrbani martyris obiit, & ipſe eiuſ-
» dem martyris nomine eſt vocatus, in ciuitate ſupradicta
» Trecenſi in domo paterna eccleſiam in honorem eiuſdem
» beati martyris Vrbani conſtruere & ædificare cœpit viuis

» lapidibus & politis, in qua duodecim canonicorũ nume-
» rus & decanatus dignitate ordinatis eam decentibus pos-
» sessionibus prædotauit: & intendebat si vixisset pluribus
» augmentare: Ipsam nihilominus eximens, & immediatè
» ad Romanam ecclesiam suis magnis & miris priuilegiis
» spectare declarans. Hanc autem ecclesiam venerabilis pa-
» ter dominus Antherus tituli sanctæ Praxedis presbyter
» Cardinalis eiusdem domini Vrbani Papæ nepos, quem e-
» tiam idẽ dominus Papa ad dignitatem Cardinalatus pro-
» mouit, in reuerentia magna suscipiens, vt ipse per omnia
» erat reuerendus, Deo charus & hominibus gratiosus, pro-
» texit. In omnibus priuilegiis gratiosissimus, multísque pã-
» nis pretiosis & imaginibus ac aliis iocalibus aureis, argen-
» teis, sericis & eburneis, nec non & libris pretiosissimis ho-
» norabiliter decorauit. in qua ecclesia sacrificia & laudes do-
» mino pro viuis & defunctis innumerę offeruntur. HIC Vr-
» banus patrum pater, mitis, pius, benignus, munificus, gra-
» tiosus & omni bonitate refertus, rexit ecclesiam Roma-
» nam annis tribus, mensibus duobus, & obiit in ciuitate Pe-
» rusina, & quiescit in ecclesia cathedrali ciuitatis eiusdem
» quæ beati Laurentij ecclesia est vocata. In cuius obitu quia
» mirè vixit, & miraculosè in ecclesia Dei, vt dictum est, ha-
» buit incrementa, magnum mirum apparuit. nam per tres
» mẽses antequam de hoc mundo migrasset ad dominum,
» quædam stella cometes cõtinuè vsque ad diem obitus ho-
» minibus est ostensa, qualis nũquam visa dignoscitur tem-
» poribus retrò actis, quæ dicto Pontifice in domino dor-
» miente vlterius non est visa per aliquem. per quod si-
» gnum creditur & speratur quod ad cœli transierit sanctas
» mansiones, propter quod sidus dignoscitur miraculosè

commotum. Quisquis ergo hæc scripta perlegerit tantorum bonorum habeat memoriam, & rogo pro eodem vrbis & orbis patre sanctissimo, vt, Rex qui cūcta videt, paradisi regna sibi det. Amen.

PRÆFATIO THIERRICI VALLICOLORIS AD VENERABILEM PATREM dominum Antherum tituli sanctæ Praxedis presbyterum Cardinalem, nepotem domini Vrbani Papæ 4.

O venerande pater, quem Christi munere mater
Roma vocat fratrem, nos reuerendo patrem:
Assistens primo mihi sis, & carmen ab imo
Pectore dictatum suscipe quæso ratum.
Hoc celebri festo solito iucundior esto,
Inclita de patruo do tibi gesta tuo.
Quod potui feci, frustra superaddita ieci,
Florida detineo codice scripta meo.
Non impune ferent tamen omnes, & mihi quærent,
Fortè stylo plano cur ego tanta cano.
Ille metrum facile laudabit, erit quoque vile,
Istis in biuio sic titubare pio.
His replicans clarè tres causas explico, quare
More leonino dicere metra sino.
Nasonis mores sequor hic fugiendo colores,
Vt sit nostra breuis fictio, vera, leuis.
Ergo pater si quis hæc carmina rodat iniquis
Morsibus, excuses vix quoniam meus es.
Gregorius prosam fecit, versus ego, glossam

» *Qui volet apponat, sic mea musa sonat.*

» *GEsta patris patrum totum veneranda per orbem*
» *Qualicumque potes carmine musa refer.*
» *Non detractorum numerus te terreat, imò*
» *Cornibus elatis surge, resiste, cane.*
» *Quis fuit, aut quis erit venerabilis ille poëta,*
» *Cuius non rodat carmina liuor edax.*
» *Res immortalis est æmula, quæ licet obstet,*
» *Nobis vera tamen scribimus alta satis.*
» *Iste fuit, cuius nec stella comata silere*
» *Indicio potuit tristia signa necis.*
» *Tanta quidem tanti describere principis acta,*
» *Sufficiens minimè tantulus actor erat.*
» *Sed qui describant ea de tot vatibus vnus*
» *Non reperitur, onus hoc mihi sumo graue.*
» *Occupat interdum studiis absente magistro*
» *Discipulus cathedram, discipulósque docet.*
» *Ergo summe pater, cui tota potentia posse,*
» *Principiis nostris annue posse tuo.*
» *O verbum patris, à quo sapientia præstes,*
» *Insipiens cùm sim quod sapienter agam.*
» *Spiritus alme dator bonitatis quod bona possim*
» *Promere, metra bene, da bonitate tua.*
» *Illius intuitu, cuius moderamine, cuius*
» *Nutu consistunt cuncta creata simul.*
» *Vrbani festo naturæ debita soluit*
» *Quartus Alexander summus in orbe pater.*
» *Vnde pater mundi solùm pendebat in octo*
» *Fratribus, ipsorum nomina scire potes.*

" *Isti Pontifices prior Odo, Stephanus alter,*
" *Gallicus iste fuit, Vngarus alter erat.*
" *Tótque sacerdotes genuisse Sabaudia primùm*
" *Dicitur, Hugonem qui Iacobita fuit.*
" *Alter quem fouit Cistercius ordo, Ioannes*
" *Nomine, natalis Anglia terra sibi.*
" *Isti Leuitæ Richardus & Octauianus,*
" *Progenie clarus fulsit vterque satis:*
" *Romanus primus, Tuscus fuit Octauianus,*
" *Hic aberat mundi fata sequente patre.*
" *Romanus patria ternus Leuita Ioannes,*
" *Ottobonus quartus Ianua terra sibi.*
" *Sanguine progenitus præclaro fulsit vterque:*
" *Hi sunt qui poterant octo patrare patrem.*
" *Sed quia diuersi censent, diuersa voluntas,*
" *Horum non potuit accelerare patrem.*
" *Sic opifex rerum tantas in idonea lites*
Tempora distulerat, cuncta futura sciens.

DE ELECTIONE ET CORONATIONE DOMINI VRBANI Papæ quarti.

" *Omnipotens igitur pater orbi compatiens non*
" *Vlterius patitur patre carere gregem.*
" *Hic mundi patres perfundens pneumate sacro,*
" *Horum mollificat corda, fugítque rigor.*
" *Hi patri Iacobo Hierosolyma, quam patriarcha*
" *Tunc habuit sedem, corde dedere pari.*
" *Horum qui precibus lachrimis consensit obortis,*
" *Ecclesiæ mutum séque dat ipse Dei.*

» *Vrbanúsque sibi nomen sine nomine nec res*
» *Extabat, nec ei re sine nomen erat.*
» *Interea domini sub luce sequente corona*
» *Imponitur capiti regia, more patrum.*
» *Huius enim non est hic prætermittere dignum,*
» *Mores atque suos specificare gradus.*

» DE NATIONE DOMINI VR-
» BANI, STATVRA, FORMA ET
» moribus eius.

» *Iste fuit Iacobus venerabilis vrbe Trecensi*
» *Natus, Laudunum postea fouit eum.*
» *Hic hilaris vultu, mediocris corpore, corde*
» *Fortis, in aspectu dulcis, honoris amans.*
» *Venustus facie, clara quoque voce, peritus*
» *Cantu, quem gratum musica vóxque dedit.*
» *Officij Christi deuotior, assiduúsque*
» *Qualibet in missa fletibus ora rigans.*
» *Huius enim fama celebris, facundia prompta,*
» *Compositi mores, vitáque munda fuit.*
» *Blandus in affectu, diuini præco fidelis*
» *Verbi, vir vigilans & studiosus erat.*
» *Ecclesiæ tutor, animosus ad omnia miles,*
» *Quæ libertatis, iuris, honoris erant.*
» *Quos animi virtus, morúmque scientia, fama*
» *Extulit, hos voluit multiplicare bonis.*
» *Dispositórque domus semper prouisus agendis,*
» *Solicitus factis ingenióque docens.*
» *Transcendendo modum vigilans, patiensque laboris,*

Vix

» *Vix poterant eius tempora tanta pati.*
» *Intendens precibus per tempora certá, tot eius*
» *Virtutes, quas tu corde notare potes.*
» *Diuersósque status transcendens iste gradatim,*
» *Summi Pontificis dignus honore fuit.*
» *Sic Deus omnipotens Christus mundíque redemptor,*
» *Istud disposuit cum ratione tamen.*
» *Expediebat enim mundi pérque omnia patrem,*
» *Plurima vidisse, plura docere suos.*
» *Vt dominus factus dominari sciret, & eius*
» *Compatiens seruis sciret vtramque viam.*
» *Præsulis hic primò Lauduni clericus, inde*
» *Parrochiæ dictæ rector in vrbe fuit.*
» *Post hæc canonicus Lauduni factus, in illo*
» *Quæ fiunt opera fert sua fama satis.*
» *Corde tenus domini lex, eius pássio, primò,*
» *Colloquiis eius virgo beata fuit.*
» *Canonicum post hæc suscepit & Archileuitam,*
» *Lucdunum tanti nouerat acta viri.*
» *Dogmate virtutis cùm sic radiaret, ad aures*
» *Summi Pontificis venerat eius odor.*
» *Hinc Pomerania,* Liuonia, *Prussia póscunt*
» *Legatum, cuius prouida vita foret.*
» *Vnde pater mundi priuato cui nocumenti*
» *Imposuit nomen, corde notauit ea.*
» *Ipse volens huius vitam famámque probare,*
» *Officium tanti ponderis addit ei.*
» *Qualiter in tanto se gesserit officio cur*
» *Dicam, tæderet enumerare nimis.*
» *Lites sedauit, pacem stabiliuit, ab omni*

» *Muneris excutiens accipiente manus.*
» *Theutonicos fines iteratò visere iussus,*
» *Mittitur intendens pacificare viros.*
» *Nam Rex Vvillermus electus in imperiales*
» *Sedes, hos scuos senserat atque feros.*
» *Qui dum commissis iuris intendere vellet,*
» *Mancipat hunc quidam nobilitate potens.*
» *Carcere qui clausus est passus vincla, labores,*
» *Nec tamen omnipotens immemor huius erat.*
» *Sed monstrans in eo miracula, liberat illum,*
» *Clam sic ad propria tecta reuersus adest.*
» *Post hæc Lauduni fuit Archidiaconus, inde*
» *Prædictus* Papa *pontificauit eum.*
» *Primóque Virdunum se dignum præsule tanto*
» *Sensit, qualiter hic vixerit, acta probant.*
» *Exemplo, verbis clerum correxit, ouésque,*
» *Tradita multiplicat quinque talenta sibi.*
» *Exonerauit enim prædictæ debita multa*
» *Ecclesiæ, quibus hæc plurima damna tulit.*
» *Contra magnates patriæ solitos per abusus,*
» *Carpere prouentus ecclesiæque bona,*
» *Restitit, ecclesiæ terras & castra potenter,*
» *Eius defendit virga potente manu.*
» *Indéque defuncto memorato præsule summo,*
» *Quartus Alexander pastor in orbe fuit.*
» *Iste tibi patrem Hierosolyma tradidit, vt tu*
» *Tanto tanta fores irradiata viro.*
» *Qui tamen inuitus parens, aliquotque per annos*
» *Officij vero tramite rexit onus.*
» *Qui dum floreret in tantis sustulit ille,*

» *Ecclesiæ membrum nobile Papa suæ.*
» *Sic patriarchatum nudans sanctique* Ioannis,
» *Hierusalem dederat illud idem fratribus.*
» *Vnde pater Romam petiit, pontique procellas,*
» *Non timet ecclesiæ iura fidémque tuens,*
» *Qui licet egregiè Papam fratrésque rogasset,*
» *Non tamen obtinuit iura petita sibi.*
» *Qui postquam cathedram Romanæ sedis adeptus,*
» *Reddidit ecclesiæ quod sibi iuris erat.*

» DE PACE RESTITVTA INTER CI-
» VES ROMANOS ET REFORMATIONE
» ſtatus vrbis Romæ.

» *Extremo siquidem præfati præsulis anno*
» *Inter Romanos lis grauis orta fuit.*
» *Hi fratri regis Anglorum iura Senatus*
» *Richardo dederant, vndique Roma fremit.*
» *Inde Tarentinus princeps Manfredus ab illis*
» *Eligitur, sic pars vtraque iura probat.*
» *Nec Romæ renouat discordia furta, rapinas,*
» *Vt nullus propria tutus in æde foret.*
» *Compatiens igitur tamquam pastor pius vrbi,*
» *Inuenit varias pacificando vias.*
» *Vrbis maiores mandat pacíque priori*
» *Vrbem restituit. pax venit, ira iacet.*

DE DVABVS ORDINATIONIBVS CARDINALIVM, QVAM FECIT IDEM dominus in primo promotionis suæ anno.

Presbyteri plures fiunt, vt apostolus inquit,
A domino, quòd lex sacra negatur eis.
Sanè cùm dicti fratres à Cardine pauci
Essent, his sedem multiplicare placet.
Vera salus vbi consilium: quare pater istos
Coniunxit lateri, cùm fuit ordo prior.
Isti Pontifices Radulphus, hic Ebroicensis
Præsul consiliis, moribus aptus erat.
Huic archipræsul Narbonæ nomine Guido,
Cui successit ei secula iure regens.
Presbyteri bini Simon Paduanus: & alter
Simon, cui patria Gallica terra fuit.
Hi tres Leuitæ. Gotifredus Iacobúsque,
Tertius Hubertus, clarus vterque fuit.
Atratum primum genuit, Sabella secundùm,
Alter Lombardus nomine, stirpe potens.
Continuit fratres hos prima creatio septem,
Altra tot quorum nomina cerne loca.
Ebredunensis tunc Archiepiscopus hic fit
Præsul, & Henricus nomine dictus erat.
Huius contulerat prædicto Pontificatum
Hugoni Papa, qui benè cessit ei.
Hícque sacerdotes, Antherus in vrbe Trecensi
Progenitus Papæ sanguine, corde nepos.
Burgundus patria fuit, & Cistercius abbas,

» *Alter promotus, Guidóque nomen ei.*
» *Huius enim titulum retinebat primo Ioannes,*
» *Præsul de Portu postea factus adest.*
» *Guilielmus Remis tunc archileuita, decanus*
» *Laudunj factus tertius inter eos.*
» *Hannibal huic quartus, genuit quem Roma, duóque*
» *Leuitæ qui sint carmina nostra docent.*
» *Jordanum genuit vrbs Terracina, Mathæum*
» *Roma, tot Vrbanus fecit in orbe patres.*
»

DE CANONIZATIONE BEATI RICHARDI QVONDAM EPISCOPI Ciceſtrenſis.

»
» *Vndéque cathalogo sanctorum præsul ab ipso*
» *Astrictus gaudes sancte Richarde pater.*
» Tu *Cicestrensis confessor, tertia cuius*
» *Aprilis celebrat inclita festa dies*
» *Huius erant opera patris hæc, qui culmen adeptus*
» *Sedis in ecclesia pergraue vidit onus.*
»

DE SOLVTIONE DEBITORVM ERGA FLORENTINOS ET SENENSES ET alios præter Romanos.

»
» *Nam per Pontifices summos onerata priores,*
» *Expendit multa iura tuendo sua.*
» V*nde petebantur marcharum soluere centum,*
» *Cum quinquaginta millia fortè magis.*
» *Cur mercatores Romani siue Senenses,*

" Et Florentini debita tanta petunt.
" Conijciens igitur præfatus Papa, quòd vltra,
" Sortem legitimam plura darentur eis:
" Consuluit super his prudentes, veráque soluit
" Debita, dans cuique quod sibi iura darent.
" Quid loquar? ecclesiam dominus præfatus in anno,
" Liberat augendo non minuendo sua.
" Verùm Romanis nil soluit, fœdus inire
" Pacis cùm nollent sub ratione tamen.
" Qui triginta licet librarum millibus vltra,
" Sortem perceptis debita prima petunt.
" Vnde nec accessit dominus prædictus ad vrbem,
" Quamuis nollet eis iura negare sua.
" Non tamen ipsius domus ista grauamina sensit,
" Sed cunctis solito portio maior erat.
" Pauperibúsque duplex elemosyna ritè dabatur,
" Et satiauit eos vestibus atque cibis.

" DE LIBERATIONE ECCLESIÆ RO-
" MANÆ ET TERRIS OBLIGATIS PRO
" oneribus debitorum.

" Sanè Pontifices guerras habuere priores,
" Cur erat ecclesiæ damna necesse pati.
" Obligando suas terras & castra, sed iste
" Non solùm redimit illa, sed auget ea.
" Inter quæ primo castrum venerabile Chesæ,
" Nobilium manibus eripit, auget idem.

DE RECVPERATIONE TERRARVM ET IVRIVM ECCLESIÆ CONTRA RAYnaldum Rubeum, & primò de recuperatione Castri Trebarum, Ferentini, & Vallis Petri.

Porrò *Raynaldus Rubeus de sanguine quarti,*
Natus Alexandri progeniéque nepos,
Pro certo pretio quorundam nobilium ius
Emerat in castris sub ditione sua.
Quorum nomina sunt hæc, Ferentinúmque, Trebémque,
Et Vallis Petræ *castra repleta bonis.*
Et quamuis esset satis hæc possessio magna,
Ecclesiæ parcè pars erat illa minor.
Sed quoniam maius sequitur minus ecclesiæ ius,
Præ*dictus patruus contulit omne sibi.*
Turribus & muris qui statim muniit illa,
Contra quosque sibi perpetuare putans.
Nobilibus patriæ deiectis, qui dominatum
Vendere de castris non voluere suum.
Ipsorúmque domos & agros destruxit, & ipsos
Pro*uocat ad guerram suppeditare volens.*
Sic pro velle suo contra ius illa tenebat,
A Pa*pa dicens illa tributa sibi.*
Cùm prædicta sibi sic vsurparet, eundem
Præ*fatus dominus præmonet, inde citat.*
Hinc sua damnat eum sententia mensibus octo,
Attamen in factis perstitit ille suis.
Sed cùm sit licitum ferrúmque retundere ferro,
Et vim pellere vi, sic pater egit idem.

» *Ac in eum surgens armis animóque virili,*
» *Perdita restaurat cuncta potente manu.*
» *Ecclesiæque Dei non spontè redire coëgit,*
» *Ad gremium quem sic senserat ante ferum.*
» *Exaltans humiles sic debellánsque rebelles,*
» *Ecclesiæ tantus debuit esse pater.*

» DE TVRRI ÆDIFICATA IN CA-
» STRO TREBII SITO IN DIOECESI
» Spoletana.

» *Exclusum quoniam lupus intrat ouile frequenter,*
» *Muniri foribus credo necesse gregem.*
» *His dictus pastor vigilans in valle Spoleti,*
» *Castrum construxit nobile forte satis.*
» *Huic Trebium nomen, quod structum mansit Asylum*
» *Ecclesiæ, terror hostibus eius erat.*
»
» DE DESTRVCTIONE CASTRI ÆDI-
» FICATI IN FVNDO SEMPRONIANO ET
» de emptione quarundam possessionum ab
» Abbate sancti Anastasij de vrbe.
»
» *Sicut construere quod prodest credo necesse,*
» *Sic ego destruere quod nocet esse reor.*
» *Verùm Ranucij Nicolaus, deinde potentes*
» *Ipsius fratres nobilitate viri,*
» *In fundo pariter emerunt Semproniano,*
» *Pro certa summa fortificata loca.*
» *Huius Anastasij sancti possessio fundi*

Tunc

» Tunc erat Abbatis quem modò Papa tenet.
» Hoc igitur fundo prædicti nobile castrum,
» Fortè quod ecclesiæ grande grauamen erat.
» Aduertens igitur pater hæc incumbere damna
» Ecclesiæ, fortes congregat inde viros.
» Hunc dictum castrum fecit vincentibus armis
» Funditus euerti, vendicat inde sibi.
» Prædictósque viros quia senserat esse fideles,
» Ecclesiæ semper pacificauit ita.
» Nam pro prædicto quæcumque grauamina fundo
» Sustulerant, largo munere reddit eis.
» Admirando virum qui post absynthia mella,
» Post guerram pacem distribuebat ita.

DE RECVPERATIONE CASTRI MARCHÆ CONTRA PETRVM DE VICO.

» Et cùm de Vico Petrus ob ius ecclesiæ, se
» Diceret expensas sustinuisse graues.
» Huic prædecessor tribuit pro pignore castrum,
» Marchæ sex annis cui dominatus erat.
» Contra quem Iacobus & fratres bella mouentes
» In cineres redigunt quas potuere domos.
» Vnde timens dominus amitti funditus illud,
» Emit ab vtroque quicquid habebat ibi.
» Dicto P. libras septingentas dedit ipse,
» De Perusinis dicta moneta fuit.
» Quingentas Iacobo fuit illa moneta Senensis,
» Hic iustè parte priuat vtrumque sua.
» Fossatis igitur firmans & turribus, illa

" *Tutatur faciens inueterata noua.*
" *In fluueo dicti quæ sit piscaria castri,*
" *Quæ ve molendina sunt ea digna satis.*

" DE LEGATIS MISSIS AD IMPERATO-
" REM PALEALOGVM AD INSTRVEN-
" dum Græcos in fide.

" *Posthæc Græcorum Palealogus imperij ius*
" *Detinuit per vim, Vacaciúmque fugat.*
" *Et quia prædicto patri se credere Christi*
" *Verè catholicam scripserat ipse fidem,*
" *Mittitur à dicto domino Cotronensis eidem*
" *Præsul, vt articulis omnibus imbuat hunc.*

" DE REPATIONE ARCIS
" MONTISFLACONIS ET DO-
" morum Palatij.

" *Cùm pater æstiuos vellet vitare calores,*
" *Montisflaconis tecta quieta petit.*
" *Inueniens igitur habitacula millia, turrim*
" *Construit, & reparat bellificando domos.*
" *Sancti Baptistæ cùm decollatio fulsit,*
" *Mirifica laude suscipit vrbs vetus hunc.*

"DE RECVPERATIONE INSVLÆ
" MARCHANÆ CONTRA IACO-
" bum de Bicquo.

" *Insula Marchana falso detenta colore*
" *A dicto Iacobo perdita penè fuit.*
" *Nam per bissenos ipsam possederat annos,*
" *Quamuis ecclesiæ ius speciale foret.*
" *Maiores repulit, vt dum feriendo potentes,*
" *Pars minor in patria subiiceretur ei.*
" *Sed pater hunc monuit, qui tanquam proditor illa*
" *Reddere promisit nil faciendo tamen.*
" *Sed fratres proprios fortem deduxit in arcem,*
" *Armatos cum queis plurima turba fuit.*
" *Ista videns dominus turbatur corde, tyranni*
" *Armis sæuitiam mollificare volens.*
" *Armatos illic transmittit qui sine marchæ*
" *Acquirunt turrim, restituúntque sibi.*

"DE RECVPERATIONE INSVLÆ
" VRBANÆ, QVÆ BIZVNTINA SO-
" lebat dici, & arce ibi
" constructa.

" *Insula præterea quæ Bizuntina solebat*
" *Dici, præclari gurgite cincta lacu*
" *Destruitur, dicto Iacobo licet Vrbeuetani*
" *Assererent illam firmiter esse suam.*
" *Hanc pater ecclesiæ reddens benè muniit illam,*

» *Vrbanámque suo nomine dixit eam.*

»

» DE RECVPERATIONE CASTRI
» VALENTANI CONTRA PANDVL-
» phum de Viterbio.

»

Porrò Valentanum tenuit pro pignore castrum:
» *Pandulphus satis hic nobilis atque potens.*
» *Reneríque nepos patris hic à Cardine dicti.*
» *Pro marchis mille qui retinebat idem,*
Sed cùm fortuitis foret illud casibus vstum,
» *Fugerunt omnes despiciendo domos.*
» *Sed pater à dicto Pandulpho liberat illos,*
» *Librarúmque duo millia soluit ei.*
» *Háncque sibi recipit, patriotas conuocat, ac de*
» *Vrbeuetanorum posse redemit eos.*

»

» DE EXPENSIS FACTIS PRO RECVPE-
» RATIONE MARCHIÆ ANCONI-
» tanæ & capitaneo.

»

» *Inde Tarentino scelerato principe multa*
» *Marchia sustulerat Anchonitana mala.*
» *Nam Perciuallus omni feritate tyrannus,*
» *Dux tanti sceleris vt sceleratus erat.*
» *Nam primo missus Corradus captus erat tunc,*
» *Monticuli castri principis ille nepos.*
» *Vnde Veronensem Manfredum destinat illuc,*
» *Electum dominus cum probitate virum.*
» *Vt si Corradum præfatum redderet ipsi.*

» *Reddita legitimè Marchia dicta foret.*
» *Qui licet expendens triginta millia vel plus,*
» *Librarum tamen hic profuit ille parum.*
» *Nam per fautores dictus Corradus amicos,*
» *Principis euasit consuluitque fugæ.*

DE RECVPERATIONE TERRÆ ARNVLPHORVM DIOECESIS Spoletanensis.

» *Cúmque Spoletani terras & plurima contra,*
» *Ius Arnulphorum detinuere diu:*
» *Dicentes dictum Renerum partibus illis,*
» *Quondam legatum cuncta dedisse sibi.*
» *Sed summi patris ipsos sententia damnat,*
» *Cùm vidisset eos iuris habere nihil.*
» *Qui contemnentes mouerunt prœlia contra,*
» *Arronæ dominos strenuitate viros.*
» *Plures ex illis capientes nomine Thomas,*
» *Vnus de captis carcere clausus obit.*
» *Hac persistentes vt Papa tyrannide vidit,*
» *Pensat vt expulsus sic probitate rigor.*
» *De Petra sancta Guischardum corde probatum*
» *Destinat vt tantis obuiet ipse malis.*
» *Qui plures terras & plurima castra Spoleti*
» *Auffert de manibus strenuitate sua.*
» *Vnde Spoletanos non spontè venire coëgit,*
» *Ad Papæ metas ecclesiæque manus.*
» *Ecclesiæ terras prædictas restituentes,*
» *Per Pligios plures reddere damna cauent.*

» *Huic pro contemptu dominus præfatus eoſdem,*
» *Condemnat marchas ſoluere mille ſibi.*

» DE CASTRO PEROCVLI QVOD SO- » LEBAT SPOLETANORVM OCVLVS » appellari.

» *Porrò Peroculi caſtrum nec ab vrbe Spoleti*
» *Diſtans, eccleſiæ vendicat iſte pater.*
» *Nam dicti ciues prædictas ſoluere marchas,*
» *Iuxta promiſſum non voluere ſibi.*
» *Quamquam prædictas electus in Anchonitana*
» *Terra res ageret, prælia dura mouens.*
» *Armatos Papa quàm plures deſtinat illuc,*
» *Præ duce Guiſchardo multa potente viro.*
» *Qui breuiter multas fecit ſuccumbere terras,*
» *Eccleſiæ domini multa ferendo tamen.*

» DE CASTRO ARSI CASTREN- » SIS DIOECESIS.

» *Cum quidam ciues emiſſent Vrbeuetani,*
» *Arſi caſtrum quod detinuere diu.*
» *Damnatos hæreſi hos præſul Aumionenſis,*
» *Ipſo priuauit tunc ibi poſſe gerens.*
» *Cui cùm ſucceſſit Leo fortis brachia, caſtrum*
» *Seruandum dicto tradidit ipſe Petro.*
» *Quod caſtrum rapuit comes Hildibrannus eidem,*
» *Cur interdicto Papa ſubegit eum.*
» *Vnde comes caſtrum prædictum reddidit ipſi,*

Saluo iure tamen si quod habebat ibi.
Sed quia processum super his minimè fuit illud,
Detinuit dominus sub ditione sua.

DE QVÆSTIONE MOTA CONTRA VRBEVETANOS PRO CASTRO AQVÆpendentis.

Insuper illud Aquæpendentis nobile castrum,
Postulat ecclesiæ restituendo dari.
Et cùm proferre ius vellet in Vrbeuetanos,
Distulit, vt peius pelleret ille malo.

DE CASTRO MIRANDÆ NARNIENSIS DIOECESIS.

Lite quidem mota castrum Fredericus iniquus,
Mirandæ rapuit vi retinendo sibi.
Qui cùm discessit Ofredusius, à patre cuius,
Gregorius nonus emerat, egit idem.
Sed patris Vrbani ligat hunc sententia, ne quid
Prætermittatur quod videt esse bonum.

DE CASTRO BLEDÆ ET ALIIS QVONDAM PRÆFECTI ROMÆ.

Interea Petrus præfectus in vrbe reliquit,
Ecclesiæ Bledam cunctáque castra sua.
Quo moriente Petrus de Vico vi rapit illa,
Cur aduersus eum quæstio mota fuit.

Sed propter guerras & magna pericula sanctæ
Ecclesiæ mansit illa soluta minus.

DE STATV IN QVO ERAT ITALIA QVANDO CREATVS EST DOMINVS VRbanus in Papam.

Quantus in Italia dissensus post Friderici,
Mortem præualuit enumerare decet.
Inuidus hic coluber zizania seminat inter,
Italiæ ciues lis in vtrisque viget.
Has habuit primò varias Florentia partes,
Gibellina prior, altera Guelpha fuit.
Ecclesiam Guelpha nutrit pars, Imperiúmque
Gebellinorum pars scelerata nimis.
Pullulat hinc hæresis, incendia, furta, rapinæ,
Partibus Italicis vnio nulla fuit.
Florüerat supra reliquas Florentia, sed nunc
Aret per partes dissociata suas.
Perfidus Hubertus Palauicinus, & inde
Manfredus Guelphis multa tulere mala.
Hostes ecclesiæ sceleratos hi scelerati
Semper fouerunt per scelus atque nefas.

DE TRACTATV HABITO INTER MANFREDVM PRINCIPEM TARENTINVM & dominum Vrbanum.

Hinc cùm tractatus simulatos dictus iniſſet
Manfredus dicto patre fauente tamen.

„ *Nil veri tenuit, imò periuria verbis*
„ *Ipsius, & fraudes actibus eius erant.*
„ *Cognoscens igitur pater hæc, orbísque saluti*
„ *Compatiens versat plurima corde suo.*
„ *Italiæ strages & bella retundere nitens,*
„ *Siciliæ regnum quod mala tanta tulit,*
„ *Et Græcos seruare fidem, conamine toto*
„ *Pensans consuluit quid faceret super his.*
„ *Ad regale genus Francorum catholicámque,*
„ *Dulciter induxit cor pietate gemens.*
„ *Magnifico Carolo Comiti bonitate probato,*
„ *Siciliæ Regnum conditione dedit.*

„ DE ELECTIONE DOMINI CAROLI „ COMITIS ANDEGAVENSIS IN SENATO- „ rem vrbis Romæ.

„ *Interea populus Romanus ab vrbe potentes*
„ *Plures eiecit, prædominante carens.*
„ *Vnde petit dominum cui tradat iura senatus,*
„ *Prædicto Carolo pars cupit vna dare.*
„ *Altera Manfredo dicto, pars altera nato*
„ *Arragonum Regis, qui gener huius erat.*
„ *Attendens igitur pater iste pericula, si non*
„ *Tunc acceptaret Carolus ista Comes,*
„ *Ipsi mandauit quòd penitus omne senatus*
„ *Ius acceptaret nempe salubre sibi.*
„ *Pòst Rex Francorum super his deliberat, inde*
„ *Acceptare iubet quod sibi Roma dabat.*
„ *Qui sumens ex parte sui præmisit ad vrbem*

" *Sensibus electos ac probitate viros.*
" *Quos vrbs magnifico Romana recepit honore,*
" *Sub dicti Comitis iudice iure tenens.*
" *Qui non seruando statuta Romana, rapinis,*
" *Furtis depulsis iura fidémque dedit.*
" *Quòd veniat Romam dictus Comes, in Michaëlis*
" *Sacrato festo terminus iste datur.*
" *Sed quoniam breuis est, populus prolongat eidem*
" *In Pentecostes luce sequente sacra.*

" DE DISCORDIA MOTA INTER HEN-
" RICVM REGEM ANGLIÆ ET QVOS-
" dam Barones regni eius.

" *Verùm Leuiathan quoniam fit pace sinister,*
" *Humanum satagit dilapidare genus.*
" *Seruis in dominos malè conspirantibus, Angli*
" *Concepti sceleris euomuere nefas.*
" *Simon de Monteforti, falsíque sequaces,*
" *Eius sunt tanti causa suprema mali.*
" *Alliciunt primò populum fallaciter, inter*
" *Quos vrbs pestifera Londoniensis erat.*
" *Francigenas alióśque viros ibi quid retinentes,*
" *Expellit Regis ius perimendo sui.*
" *Londonis quanta fuerint ludibria facta*
" *Reginæ, minus est enumerare pium.*
" *Indéque præsulibus personis ecclesiarum*
" *Multis sacrilegas imposuere manus.*
" *Sed compromissum Francorum Rege ferente,*
" *Stare tamen dictis non voluere suis.*

» *Hic Simon meritis facientibus à Ludouico*
» *Francorum rege pulsus & exul erat.*
» *Huic rex Anglorum Germanam cum comitatu*
» *Tradidit vxorem. quid sibi plura daret?*
» *Hic tamen in dictum regem, fratrem, sobolémque*
» *Bella mouens in eos præualet, hósque capit.*
» *Regis erat frater Richardus ad imperialem*
» *Electus sedem, vir probitate potens.*
» *Filius eius erat Eduardus primus in armis*
» *Streneus, & valdè largus honoris amans.*
» *His dictis Simon captus, eiúsque sequaces*
» *Regno pro libito iura nouata probant.*

» DE DOMINO SABINO EPISCOPO
» MISSO IN ANGLIAM AD CONTRA-
» hendam pacem inter Regem
» & Barones.

» *Commissis ouibus dictus pater euigilans, &*
» *Henrici regis anxietate dolet.*
» *Nam cognouit eum iustum, fidúmque, piúmque,*
» *Cuius non heresi terra notata fuit.*
» *Ecclesiæque videns incumbere plurima damna,*
» *Si tanto capite terra careret ea.*
» *Coniicit intra se super istis quid sit agendum,*
» *Et facinus tantum qui reuocare queat.*
» I*nde Sabinensem legatum destinat illuc*
» *Patrem, cuius erat prouida vita bona.*
» *Nouerat iste quidem mundana negocia præsul,*
» *Et tamen in cunctis spiritualis erat.*

» *Qui mandata volens pacem velut angelus omni*
» *Vi complere, sibi pars inimica negat:*
» *Introitúmque vetat, cur dictus nuncius ipsam*
» *Legitimè monitam percutit ense Petri.*

» DE GVERRA COMMOTA CONTRA
» PETRVM DE VICO IN PATRIMO-
» nium sancti Petri.

» *Sanè de Vico Petrus memoratus adhæsit*
» *Manfredo, Papæ fœdera nulla tenens.*
» *Huius enim nato Manfredus Pontificatum*
» *Dat Cusentinum, Pontificémque fugat.*
» *Eius qui factum sceleratum cum patre fouit,*
» *Et dictum Carolum debilitare putans.*
» *Hinc dictus Petrus Tancredo cum Nicolao,*
» *Fratribus & Iacobo fœdus inire parat.*
» *Cum Gibellinis infidis Theutonicísque,*
» *Ecclesiæ domino magna flagella dedit.*

» DE INTERFECTIONE GVISCHARDI
» DE PETRA SANCTA CAPITANEI IN
» patrimonio sancti Petri.

» *Funera prædicti Guischardi mæsta silere*
» *Non possum, cuius strenua vita fuit.*
» *Hunc explorantes Iacobus sceleratus, & eius*
» *Fratres fallaci corde venena gerunt.*
» *Qui cùm Montemflaconis adire caminum*
» *Vellet, ab illius inscius ense cadit.*

» *O Jacobi scelera! quia sic decorauerat ipsam,*
» *Dictus Papa suus qui domicellus erat.*
» *Non solùm scelere Iacobus sceleratior omni,*
» *His contentus erat, nec scelerata cohors:*
» *Sed per inhumanam rabiem deuulsit ab ore*
» *Linguam, visceribus cor, scapulísque caput.*
» *Non impunè tamen fugerunt, sed Nicolaus*
» *Frater letali vulnere tactus obit.*
» *Hósque bonis dictus dominus priuauit vtrisque,*
» *Cùm iam legitimè præmonuisset eos.*
» *Inde suo fratri, Piperni corde, dolore*
» *Motus Guischardi, posse tenere dedit.*

» DE INTRODVCTIONE THEVTONICORVM IN PATRIMONIVM sancti Petri.

» *Hic dictus Petrus nitens conamine toto,*
» *Tota mente malis accumulare mala,*
» *Theutonicos equites sexcentos Marche probatos,*
» *In terram sancti colligit ipse Petri.*
» *A dominis Guicij qui prima nocte recepti,*
» *Ad castrum Totsæ complicuere gradum.*

» DE DESTRVCTIONE CASTRI GVICII IN DIOECESI Tuscanensi.

» *Hos Guicij dominos heresis damnauerat, vnde*
» *Papa prior castrum censuit esse suum.*

» *Quod cum militibus Pipionus cum Nicolao,*
» *Rainutij, multis obſidet, inde capit.*
» *Funditus euerſo caſtro diſcrimine nullo,*
» *Sacrilegi comites enſis in ore cadunt.*
» *Vnus de dominis ſua terga fugæ dedit, alter*
» *Cum Gibellinis pluribus enſe cadit.*

» DE DEBELLATIONE THEVTONICORVM IN CIVITATE SVTRINA PER fideles Sutrinos & Pandulphum Comitem Anguillariæ.

» *His geſtis Petrus prædictus cum Nicolao*
» *Sutrino ciue fœdus iniit ita.*
» *Quod pulſo Plano cunctíſque fidelibus vrbis,*
» *Inſultu caperent proditionis eam.*
» *Iſta ſciens cur dat Comes Anguillaria nomen,*
» *Quamuis carne Petro proximus hoſtis erat.*
» *Vrbis cum dicto Plano ſe parte recepit,*
» *In reliqua Petrus, Theutonicíque ſui.*
» *Sed vigilans paſtor qui mundum ſanguine lauit,*
» *Mirè Romanis indicat iſta noua.*
» *Qui citò cum Caroli præfatio iudice contra*
» *Prædictum Petrum Theutonicóſque ruunt.*
» *Iſta ſciens dictus Petrus & Nicolaus ab vrbe*
» *Fugerunt, caſtro ſic latuere ſuo.*
» *Sed male munitos reliquos dictus Comes, inde*
» *Planus Theutonicos penè dedere neci.*
» *Hos enſis gladiat, hos carcer mancipat, illos*
» *Membris eiectos dura recepit humus.*

» DE OBSIDIONE CASTRI » VICI A POPVLO » Romano.

» *Inde Romanus exercitus obsidet ipsum*
» *In vico Petrum, sed citò Roma tepet.*
» *Nam licet hoc leuiter euerti posset iniquo*
» *Consilio Romam plebs dominante redit.*
» *Sed dictum Papa Comitem dominúmque capútque,*
» *In terra sancti præcipit esse Petri.*

» DE DOMINO SIMONE TITV- » LI SANCTÆ CECILIÆ PRES- » bytero Cardinali, quem idem do- » minus misit legatum in » Franciam.

» *Verùm cum Carolus memoratus conditiones*
» *Ipsi promissas vellet habere ratas,*
» *Sedis apostolicæ Simon de fratribus vnus,*
» *Vir pius & sanctus consiliisque potens,*
» *Mittitur ad partes Francorum, conditiones*
» *Vt dicto Carolo compleat ante datas.*
» *Qui cum mandato disponit vt ecclesiarum,*
» *Redditiuum decima pars tribuatur ei.*

DE CITATIONE ALFONSI REGIS CASTELLÆ, ET RICHARDI, Fratris Regis Angliæ electorum in reges Alemaniæ.

Aduertens dictus hinc Papa quòd Imperialis,
Mundo deerat honor, hunc reuocare cupit.
Theutonicique duces ad quos electio spectat,
Elegere duos, magnus vterque fuit.
Anglorum regis frater fuit vnus, & ille
Nomine Richardus Cornubiæque Comes.
Hic introductus vi partem Theutonicorum
Occupat in regno, muneribúsque placet.
Hinc in Aquisgrani castro cathedratus, & inde
In Caroli magni sede corona datur.
Alphonsus fuit alter, homo largúsque poténsque,
Cum Castellano plurima regna tenens.
Quamuis egregiè proponeret vtraque pro se,
Pars coram Papa causa vocata fuit.
Sed cupiens animo tantis imponere factis
Finem præfatus pastor, vtrumque citat.
Richardus minimè venit nec misit, ab eius
Hostibus & dicto Simone captus erat.
Solemnésque viros Hispanus misit, & eius
Cordis secretum certificarat eis.
Sed quia tunc aberat pars altera, terminus alter
Assignatur eis, sufficiensque dies.

DE

DE FVNDATIONE ET DOTATIONE ECCLESIÆ SANCTI VRBANI IN CIuitate Trecensi.

Præterea miram construxit in vrbe Trecensi
Ecclesiam dominus dictus in æde patris.
Sumptibus innumeris duodenum canonicorum
Instituit numerum, queis locus aptus erat.
Hinc tres instituit personatus, ibi Cantor,
Thesaurarius hos, atque Decanus habent.
Et nisi fata patri properassent stamina tanto,
Ecclesiam mira dote replesset eam.

DE REPARATIONE DOMVS LATERANENSIS IN VRBE.

Hinc Lateranensem reparari fecit in vrbe
Aulam, cuius erat tecta ruina minans.

DE INSTITVTIONE FESTI CELEBRANDI SINGVLIS ANNIS DE CORpore Christi.

Quanta sibi fuerit pietas, deuotio quanta,
Sumendo Christi corpus en ista probant.
Corde tenus fixum retinens quod dixit ab ore
Filius ad patrem morte patente sua.
Ecce meum corpus & sanguis, sumite vobis,
Hoc memores sitis perpetuando mei.
Tanta pater recolens mysteria, quòd Deus ipsum

» *Nobis in potum tradidit atque cibum.*
» *Cùm dictum corpus sanguísque viatica vera*
» *Vitæ sunt huius, & via vera salus.*
» *Quamuis quotidie fiant mysteria tanti,*
» *Corporis, hic melius vult cumulare bono.*
» *Sic dignè statuit vt in anno corporis huius,*
» *Tam festum celebre fiat in orbe semel.*
» *Post Pentecostes octauas luce Iouis, nam*
» *Consumi Christus fecerat ista die.*
» *Hócque sui terno Papatus fecit in anno,*
» *Officiúmque nouum continet ista dies.*

» DE CAPTIONE MANFREDI ELECTI
» VERONENSIS ET DOMINO SIMONE DE
» Padua misso in Marchiam Anchonitanam.

» *Verùm cùm dictus electus in Anchonitanam,*
» *Missus proficeret iura tuendo Dei:*
» *Hunc Comes explorans Iordanus dúxque capútque,*
» *Belli Manfredi non sine marte capit.*
» *Vnde pater Simon Paduanus mittitur illuc,*
» *Quingentos equites associando sibi.*

» DE DEBELLATIONE TVSCANEN-
» SIVM PER PETRVM DE VICO.

» *Post hæc de Vico Petrus post obsidionem*
» *Vici confusum se reputabat in hoc.*
» *Theutonicos igitur dispersos per loca plura,*
» *Legit amicorum viribus arma parans.*

» *In Tuscanenses ciues sæuire fideles*
» *Nititur, inter quos proditor vnus erat.*
» *Hic Albonetus, cuius subuertere castrum*
» *Altera pars prompta funditus vrbis erat.*
Sed quia præsciuit eius Petrus obsidionem,
» *Irruit in ciues prælia dira mouens.*
» *Impræmunitos quia sic inuaserat illos,*
» *Præualuit, sumens cornua victor abit.*
» *Theutonicis igitur collectis, ecclesiæ tunc*
» *Damna, simul pœnas intulit ipse graues.*
»

» DE EXERCITV QVEM MANFREDVS
» MISIT AD OFFENDENDVM ECCLESIAM
» sub ducatu Perciualli.
»

» *Sic patiente Deo se rebus habentibus ad se*
» *Manfredus sceleris colligit omne genus.*
» *Nam Sarracenos, Cathalanos, Theutonicósque,*
» *Cumanos iunxit, Siciliæque viros.*
» *Per loca transire sperans Campana, quòd vrbem*
» *Turbaret, fecit nil ibi velle sui.*
» *Nam gens ecclesiæ Campana fidelis eidem*
» *Restitit, Apuliam qui repetendo fugit.*
» *Sed Perciuallo iam dicto præduce castrum*
» *De Cellis turbam iussit adire suam.*
» *Hícque morata diu nequiens transire per vrbem,*
» *Vi Tiburtinum, cætera castra capit.*
» *Cúmque Reatina modicum distaret ab vrbe,*
» *Ad flumen Nigræ concomitata venit.*
» *Huius enim turbæ ductores, Odo Ioannes,*

» Marerij dominus, seruus & absque fide.
» Pandulphus dominus Alabij plures quoque tanti
» Fautores sceleris præteriere vadum.
» Hósque ferè sequitur exercitus omnis, & ipsi
» Qualicumque modo læsio nulla datur.
» Sed Perciuallus vt plumbum lapsus in vndis
» Mergitur, hócque tulit vltio digna Dei.
» Tale Dei fit iudicium, miracula tanta,
» Quòd iuxta meritum reddit vtrisque suum.
» Quo merso virtute Dei sibi turba Ioannem
» Marerij dominum postulat esse caput.
» Qui Collestacli castro fuit inde receptus,
» Terra licet Papæ domaniúmque foret.
» Inter Apuensem cum militibus petit vrbem,
» Háncque putat domino suppeditare suo
» Quam si fata capi domino patiente dedissent,
» Ecclesiæ clauis grande tulisset onus.
» Nam Florentini, Pisani, deinde Senenses,
» Petrus de Vico, Theutonicíque sui,
» Summum Pontificem cum fratribus Vrbeuetanis,
» Tentassent ab eis obsidione capi.
» Vt patre sublato iuxta temeraria cordis,
» Manfredi placita staret in orbe pater.
» Vnde Marescalcum Rheginis ciuibus ortum,
» Papa suum mittens, mille dat arma sibi.

DE CRVCIS SIGNATIONE QVAM FECIT DOMINVS VRBANVS CONTRA MANfredum Principem Tarentinum.

Jnde suos aperit thesauros spirituales,
Prædicat, indulget, auxiliúmque petit.
Verè confessis quàm larga remissio mansit,
Dantibus ecclesiæ subsidium patet hic.
Huius enim paucos habuit tunc curia, quorum
Non ferrent humeri pondera sancta crucis.
Præfixáque die dum fines Vrbeuetanos
Exirent, plures occubuere siti.
Raro tamen reliqui solis timuere vapores,
Sed properant cœptam continuando viam.
Ad flumen Nigræ veniunt, in quo sceleratus
Perciuallus erat mersus agente Deo.
Dúmque vident sceleris Comites in vertice montis;
Pectore lætitiam vix potuere pati.
Disponunt acies bello, quas aspicientes
Sacrilegi comites terga dedere fugæ.
Hos tamen insequitur Christi gens vsque Reatum,
Et Collistacti castra reuersa capit.
Arboribus scissis, quoniam se non voluerunt
Reddere, diruitur funditus vsque solum.
Hinc à nobilibus patriæ destando statutis
Ecclesiæ iussis cautio certa datur.

"DE DEBELLATIONE THEVTONICO-
" RVM APVD CASTRVM BLEDÆ, ET CA-
" ptione Pandulphi Comitis Anguillariæ.

" *In Castro Bledæ quàm prælia dira fuerunt,*
" *Pandulphi Comitis captio mæsta docet.*
" *Huic erat assistens capitaneus ecclesiæ vir,*
" *Strenuus, Ysuardus nomine dictus erat.*
" *De dicti Caroli rectoribus vnus in vrbe,*
" *Cuius Theutonicos perdomuere manus.*
" *Hij contra Petrum de Vico bella mouentes,*
" *Armis arma ruunt, pestis vtrumque fuit.*
" *Illo nempe die volitare per aëra multi*
" *Viderunt volucres, Ibidibúsque pares.*
" *Præcipuè supra præfati principis aulam*
" *Sederunt, quæ sint signa scit ista Deus.*
" *Inde duos istos se se iunxisse planetas,*
" *Martem deinde Iouem, cœlica signa probant.*
" *Tantus in Italia conflictus tempore nostro,*
" *Non fuit: hi pereunt, hi pereundo ruunt.*
" *Theutonicique licet in primo Marte feroces*
" *Essent ecclesiæ, terga dedere viris.*
" *Hósque fugando Comes prædictus non fugiendo,*
" *Incautè captus hic fuit, vnde dolor.*
" *Papáque Matthæo terras à Cardine dicto*
" *Petri commisit, armáque mille dedit.*
" *Vt dictum Petrum superando per arma, sorori*
" *Ipsius vxori reddere posset eum.*

DE RECESSV DOMINI VRBANI PAPÆ DE VRBE VETERI, ET INfirmitate eius, & obsidione castri Bizuntij.

Cúmque moras dominus traxisset in Vrbeuetana
Vrbs, annósque duos continuando ferè.
Pacificè ciues prædicti multa ferentes,
Seruitium cunctis exhibuere suum.
Sed tamen in dictum Iacobum sententia lata
A patre prædicto mollificauit eos.
Nam licet euerti Bizunti Papa tulisset,
Castrum, sed ciues detinuere sibi.
Non tamen ex populi consensu, nobilium ius
Quorundam castrum fortificauit ita.
Quòd dictus Iacobus Tancredus viribus horum
In dicto castro detinuere sua.
Tandem cum dicto Petro Senensibus armis,
Prædictum castrum vi rapuere sua.
Indéque propulsis custodibus hic posuerunt,
Hostes ecclesiæ, Theutonicósque simul.
Et licet in reliquis populus satis Vrbeuetanus
Se benè gessisset, se male gessit in his.
Vnde pater recolens dicti de morte dolenda
Gaufridi doluit, ira nouata redit.
Cúmque fouere scelus Iacobi putet Vrbeuetanos,
Vrbem Perusii motus adire parat.
Septembrísque die nona discessit ab ipsis,
Tudertum veniens, membra quietis egent.
Interea dictum Iacobum plebs Vrbeuetana

» *Obsedit castrum dilapidare volens.*
» *Nam dictum Papam credebant Vrbeuetani,*
» *Nequitiis eius deseruisse locum.*
» *Hinc Iacobus castro Tancredo fratre relicto,*
» *Senenses in opem poscit adesse sibi.*
» *Sed dictus populus dum rem proferret in actum,*
» *Diruitur castrum funditus vsque solum.*
» *Tancredóque simul habitantes inde repulsis,*
» *Ad communis opus exposuere sua.*

DE APPARITIONE STELLÆ COMATÆ.

» *Post hæc dicenda sunt stellæ signa comatæ,*
» *Quæ mortem tanti nos docuere viri.*
» *Eius enim morbum monstrauit visio, mortem*
» *Defectus sicut tempora certa probant.*
» *Bis sexcentenum domini decies quoque senum*
» *Annum cum quarto si benè mente notes:*
» *Mane quidem luce domini sextóque calendas,*
» *Augusti nobis visio facta fuit.*
» *Vndecimúmque gradum Phœbo superante leonis,*
» *Terdeno cancri restitit illa loco.*
» *Retrogradus motus in partes occiduas in*
» *Meridiem motus additus alter erat.*
» *Sic vtrimque mouens transiuit Oriona, visa*
» *Septuaginta dies hac regione fuit.*
Sed sexto decimo serò prius ante Calendas,
Augusti mensis Gallia vidit eam.
Thuscia non solum stellam vel Francia vidit

Istam,

» *Istam sed populus vidit in Accon eam.*
» *Et quia senserunt præsagia cælica tanti*
» *Principis occasus, illa referre decet.*
» *Anno præterito, prædicto mense, diéque*
» *Quinta, quæ domini dicitur esse dies:*
» *In vespertina fuit hora solis eclipsis,*
» *Penè duabus erat partibus ipse minor.*
» *Quindenóque diepòst lunæ luce sequenti,*
» *Principio mensis luna recepit idem.*
» *Post hæc Saturno reliquo Mars iunctus in anno*
» *Ter fuit in Tauro, iunctio talis erat.*
» *Sidus inest cælis Aldebram nomine dictum,*
» *Aut oculus Tauri talia signa ferens.*
» *Principio mensis Septembris stans super illud*
» *Saturnus, Marti iungitur ille sibi.*
» *Post hæc retragradans est iunctus vtrique Nouember,*
» *Principio Iano iunctio terna fuit.*
»

DE INFIRMITATE ET MORTE DOMINI VRBANI Papæ quarti.

» *Apparente quidem prædicta luce cometa,*
» *Inuasit dominum continuando dolor.*
» *Eius siccari cœperunt interiora,*
» *Quod vix proferret absque labore sonum.*
» *Tudertum veniens est gressus pondere fessus,*
» *Insolitúsque labor debilitarat eum.*
» *Quinta die verò castrum cui Diruta nomen,*
» *Assisium post hæc accelerare volens.*

» *Vixque duas equitans per leucas intima tota*
» *Præ nimia ſenſit anxietate premi.*
» *Hinc deuectus equo lectica ponitur, inde*
» *Ad caſtrum vehitur, inualuítque dolor.*
» *Hic per quindenam iacuit, morbúſque coëgit*
» *Ipſum plus ſolito corpus inane iacet.*
» *Poſthæc conſilio fratrum, de morte quibus ſpes*
» *Certa videbatur ſic ſuperante malo:*
» *Lectica vehitur in burgum Peruſij, quo*
» *Eccleſia ſancti ponitur ipſe Petri.*
» *Eccleſiæ ſumpſit ibi ſacramenta, diémque*
» *Extremum clauſit luce ſequente Iouis.*
» *Quo moriente velut mortem cognoſceret eius,*
» *Apparens minimè ſtella comata fuit.*
» *Vnde putet rectè dominum regnaſſe, tacere*
» *Cuius tot ſigna non potuere necem.*
» *Et nos pro meritis ipſius credimus ipſum*
» *Iugiter æterna proſperitate frui.*
» *Vel ſaltem ſi quid commiſit in orbe, quòd eius*
» *Crimina purgandi copia fiat ei.*
» *Et paſtor cuius in terris pauit oues hic,*
» *In cœlis verò gramine paſcat eum.*




» *Gaudia ſint cui ſit cœleſtis gloria, de quo*
» *Hic liber actori gratia, laúſque* Deo.





» *Quod rabidus liuor, quod edax abolere vetustas*
» *Consueuit, memori pectore scripta tenent.*
» *Ergo legat qui vult perquirere gesta priorum,*
» *Cùm de præteritis dent sibi scripta fidem.*
» *Inde quòd in tenebris nequeat latitare futuris,*
» *Hoc iubar istius collige scripta libri.*
» *Quis fuit Urbanus quartus pater vrbis & orbis,*
» *Gesta, genus, mores hæc tibi scripta notant.*
» *Post obitum cuius annis ter quinque peractis,*
» *Cum studio vigili scribitur iste liber.*
» *Hunc scribi fecit Gerardus, hícque reponi,*
» *Vt fundatoris sit locus iste memor.*
» *Contiguo fuit iste gradu de sanguine patris*
» *Tertius Vrbani degenerare negans.*
» *Hic erat ecclesiæ tunc Thesaurarius huius,*
» *Quæ sibi præ cunctis semper amica fuit.*
» *Laudunum primò, post illum canonicauit*
» *Vrbs Treca, natalis quæ sibi terra fuit.*
» *Pro tribus ergo roges qui scripta voluminis huius,*
» *Perlegis, Vrbanus sit tibi primus in iis.*
» *Inclitus Antherus post hunc, Felicius inde,*
» *Fœlices habeat quos sine fine deus.*



CLEMENS IIII.




VNC Clementem opimis ceruicibus & crasso corpore natum in Rhodani ripa quæ Narbonensem Galliam respicit, inque Ægidij oppido Volcarũ lumen iuris appellat grauis illa ætate iurisconsultus Durandus Carnutum ecclesiæ Decanus: nec immeritò, illam enim disciplinam exactè didicerat, ob quam & singularẽ qua affluebat bonitatem, præstitáque magnis principibus consilia, in admiratione hominum erat: vxore autem mortua & prole pridem suscepta ab Vrbano qui integritatem eius probè nouerat, Cardinalitio honore exornatus est. neque enim matrimonium quod morte solutum est & bigamia caret, impedimentum vllum affert quominus ad Pontificatũ peruenias. Ac demum Perusij absens omniũ Cardinalium suffragiis Pontifex maximus pronunciatur diuæ
1264 Agathæ festo die anno, millesimo ducentesimo sexagesimo quarto. Absentem tunc fuisse perspicietur ex literis collegij Cardinalium ad Clementem quintum datis. missus enim ab Vrbano in Angliam fuerat ad sedãdas procerum discordias: verùm Bononiæ ad Oceanum substiterat, atque inter moras vir sapientissimus Pontificis honorem noménque absens est consequutus. quo sedente nauigauit in Italiam Carolus, conuocatóque exercitu aduersus Manfredum fœliciter pugnauit. erat Manfredus pulcher aspectu, crine flauus, decorúsque vultu, ac sub Clemente

occisus est, vt Dantes narrat. Nec multo post Carolus cõflixit cum Corradino iuuene, victísque eius copiis ipsum securi percussit. Hæc Clemente Pontifice narrant historiarum scriptores accidisse. quas victorias ne Dantes quidem omittit, Clementémque ipsum fama est inspecto Corradini exercitu exclamasse: O infœlix adolescens, qui vt victima ad cędem duceris. nouerat enim Caroli in re bellica scientiam prudentiámque. At Clemens quandiu Pontificatum gessit, perpetuò hoc à se obseruari voluit, ne quid inconsulto Cardinalium collegio faceret aut aggredi conaretur, ídque Cardinales obiecisse Gregorio vndecimo, Catherina virgo Senensis spectatissima sui temporis, epistola ad Gregorium tradit. Clemens autem cætera quidem laudandus est, at nescio laudem ne eius quod vituperari certè non potest, studium erga agnatos suos, quos in Italiam in conspectum suum venire vetuit, & quibus de ecclesiæ fructibus nihil largitus est, præter exiguam pecuniæ quantitatem, vt ex eius sequenti epistola facilè perspicietur. Clemens Episcopus seruus seruorum Dei, dilecto filio Petro Grosso de sancto Ægidio salutem & apostolicam benedictionem. Multis de nostra promotione gaudentibus, nos soli sumus, qui certius immensitatem oneris experimur. Et idcirco, quod aliis gaudium, nobis metum subministrat, & fletum. Sanè vt scias qualiter his auditis debeas te habere, scire te volumus, quòd humilior solito debes esse. neque enim quod nos vehementer humiliat, debet nostros extollere, maximè cùm honor huius sæculi momentaneus sit, & sicut ros transeat matutinus: nec ad nos te, nec ad fratrem tuum, vel ex aliis nostris aliquem venire volumus, sine nostro speciali mandato. quia

» spe sua frustratus, si secus venire præsumeret, oporteret re-
» dire confusum. Sed nec in tuæ sororis nuptiis gradū quæ-
» ras propter nos altiorem. nec enim nos haberes propitios,
» nec in aliquo adiutores. Si tamen eam filio militis simpli-
» cius desponsaueris, in tercentum libris Turonensibus tibi
» proponimus subuenire. Et si altiora quæsiueris, nec à no-
» bis denarium speres vnum, & hoc ipsum secretissimum
» esse volumus, & tibi & matri solummodo notum esse.
» Illud etiam scias, quòd nullum nullámque de sanguine
» nostro sub nostri sublimatione obtentu inflare volumus,
» sed tam Mobiliam quàm Cæciliam illos viros habere vo-
» lumus, quos haberent, si essemus in simplici clericatu. Si-
» byllam visita, & dic ei, quòd locum non mutet, sed rema-
» neat apud Susam, & omnem maturitatem, & habitus ho-
» nestatem obseruet, & preces nobis pro aliquo non præsu-
» mat assumere. nam & ei, pro quo fierent, essent inutiles, &
» ipsi, qui rogauerit, damnosæ. Et si fortè per aliquos ex hac
» causa munera offerentur, ea respuat, si vult nostram gra-
» tiam retinere. Saluta matrem & fratres, non scribimus tibi,
» nec familiaribus nostris sub bulla, sed sub piscatoris sigil-
» lo, quo Romani Pontifices in suis secretis vtuntur. Datis
» Perusij in festo S.S. Perpetuæ & Fœlicitatis. In qua quidem
epistola etsi nihil est quod magnopere mirari non debeas, & prudentiam Clementis maximam, sanctimoniámque plurimùm laudare, tamen quia illud sponte occurret indicabo, vltimis verbis epistolæ designari sigilla duo, quibus Pontifices Romani vtuntur, vnum in sacris iussionibus quas bullas vocāt, ídque plumbeum est: alterum in priuatis ad quoscunque literis. habent enim in anulo piscatoris effigiem, in nauicula positi & retia laxantis, id est, Petri:

nam is prius piſcator quàm Epiſcopus fuit, imò Pontifex factus, piſcari non deſiit errantes mortalium animos. Pontificatu verò rectè legitiméque adminiſtrato deceſſit Clemens Viterbij, anno domini milleſimo ducenteſimo ſexageſimo octauo ſext. Kal. Decemb.



GREGORIVS X. & INNOCENTIVS V.




ONSTITVTIONVM Gregorij decimi meminit Durãdus, Innocentij & Clementis quarti laudator eximius: ac Gregorium quidem Placentiæ ciuem cùm in Syria eſſet, concordes Cardinalium ſententiæ elegerũt (quem fortaſſis præſentem repuliſſent) interdum enim abſẽtia vtilior eſt quàm pręſentia: & ſi prius magnopere diſſenſerant. Nec omittam Ioannis Epiſcopi Portuenſis, qui ex illo numero erat, feſtiuũ ſanè ac lepidum in ſocios verbum, cùm pertæſus exortæ inter eos diſcórdiæ videretur. domum enim in qua electio fieret, tecto & lateribus nudandam prædicabat, vt facilior ad eos eorúmque mentes aditus ſpiritui ſancto fieret: eos videlicet nimiæ diſſenſionis arguens damnánſque. Cur enim cunctandum in electione ſummi Pontificis tam vtili, támque neceſſaria orbi terræ? id ſanè à Bernardo aliíſque ſcriptoribus traditum non puduit dicere. Is autem ociſſimè acceptis de reuerſione in Italiam Cardinalium literis, reuerſus Lugdunum in Galliam ſe contulit, ibíque conciliũ habitum eſt à men-

ſe Maio vſque ad Auguſtum. ei ſynodo adfuit Palealogus adductis in ſententiam eccleſiæ Romanæ Gręcis antiſtitibus, & ſi fruſtrà id factũ, domum enim reuerſis irrita fuerunt acta ſynodi Lugdunenſis. Eadem ſynodo conſentiẽte Gregorius ſtatuit quàm plurima de electióne Romani Pontificis, quæ à Bonifacio recitãtur vbi agitur de electione. Verùm inter cætera voluit ſucceſſorem eligi in ea ciuitate in qua deceſſorem obire contigerit, quod ſanè ipſi omniũ primo euenit, vti infrà dicemus. Ortæ autem ſunt ſimultates inter Carolum & Gregorium, quòd ille ſperaret Balduino genero ſuo imperium reſtituere, hic Palealogũ confirmaret. Plurima verò alia Lugduni decreta ſunt, quæ apud hiſtoricos illius ætatis facilè reperias. Memoria quoque dignum eſt Rodulphum Comitem Abſurgẽſem poſt longum interregnum electum eſſe Regem Romanorum, & confirmatum à Gregorio decimo in gratiam Chriſtianorum Orientalium, vt Beneuenutus in Cæſaribus docet. Reuerſum autem in Italiam contigit per Florentiæ vrbem iter facere, ac ciues interdicto ſubmiſit vt pacis contemptores, etiam renidenti ore pronũcians Dauidis illum verſiculum: In chamo & freno maxillas eorum conſtringe, qui non approximant ad te. Cùm verò Aretium perueniſſet, incidiſsétque in morbum, vir nec lucrum nec pecuniam magni faciens, vt hiſtorici narrant, decedit è vita, in eóque municipio nobili & antiquo. Cicero enim pro Cecinna mulieris Aretinæ à ſe defenſæ meminit. Gregorius decimus conditus iacet in æde Donati martyris ſucceſſore Innocentio Dominicani ordinis viro in ſacris literis doctiſſimo, quem ſex menſium Pontificem iure appellem, hæredémque Gregorij deceſſoris ſui. ab illo enim

enim designatus Cardinalis Pontificij tandem honoris atque oneris particeps fuit. Hunc Innocentium Tarentasia genuit municipium non procul à Maurienna valle, fluminéque Isara, qui in Rhodanũ influit, natúsque in illis Alpinis scopulis, præclarum tamẽ ingenium habuit, grauissimarúmque artium capax: cuius cum vires & pręclara pietatis indicia ad summum tãdem sacerdotium promouere, vt ordine suo Innocentius quintus nuncupetur, quòd verè insons atque innoxius fuerit. Nam Innocẽtius quartus qui hunc præcessit, erat ille magnanimus Põtifex, qui Synodo Lugdunensi ante Gregorium decimum interfuit, Fredericúmque Cæsarem & inimicum Pontificij nominis ecclesia regnóque expellendum censuit. nam adhuc extat Rothomagi ad Sequanã rescriptũ eius, quod hic in vita Innocẽtij quinti recitare audeo: quia cognomini quarto illi fuit Romanorum Pontificum fortissimo, meritissimóque iuris auctori. Innocẽtius Episcopus seruus seruorum Dei, venerabilibus fratribus Archiepiscopo Rothomagensi, & eius Suffraganeis salutem, & apostolicam benedictionem. Etsi omnes quos Christiana discernit religio ad defensionem catholicę fidei, & libertatis ecclesiasticę teneãtur, Pręlati tamen & alij viri ecclesiastici ad id fortius obligati noscuntur, quo in sortem dominicam sint specialius euocati. Pro cunctis autem tyrannus Fridericus quõdam Romanorum Imperator, Dei ecclesiam malleo persecutionis affligit, & ad eius interitum exerto gladio sui furoris aspirat: propter quod tantò fortius suę nequitię resistẽdum, quantò in ipsam ecclesiam rabie furere noscitur sæuiori. Ea propter vniuersitatem vestram monemus, rogamus & hortamur attentè per apostolica scripta mandan-

» tes quatinus tantum diſcrimen ipſius eccleſiæ attenden-
» tes,& aſſiſtentes eidem conſiliis opportunis per veſtras ci-
» uitates,& diœceſes vniuerſis perſonis eccleſiaſticis tam re-
» ligioſis,quàm ſecularibus veſtræ iuriſdictioni ſubiectis fir-
» miter faciatis iniūgi, vt quotieſcumque ad clerum ſeu po-
» pulum verbum Dei duxerint proponēdum, rationabilem
» cauſam, & claram iuſtitiam eccleſiæ ac inæſtimabilē præ-
» fati Friderici nequitiam, & iniuſtitiam manifeſtam eis di-
» ligenter exponant,ipſos monitis & exhortationibus ſolli-
» citè inducentes,vt dictis & factis aſſiſtant ipſi eccleſiæ ve-
» lut matri,& nullum eidē Friderico verbo vel opere fauo-
» rem impendant publicum vel occultū, cùm tam ipſe quā
» omnes eius fautores (quod huiuſmodi prædicationibus
» denunciari mandetis) ſint excommunicationis vinculo
» irretiti. Dat. Lugduni 11. Kal. Feb. pontif. noſtri anno
» quarto.Illa etiam die ſecundas ad Rothomagenſem eccle-
ſiam literas dedit, quibus ait Fridericum olim Romanorū
Imperatorem furentis ſæuitiæ morſibus Pōtifices laniare,
& adhuc ferali rabie contra illos vti, qui quanto, inquit,
celſiori dudum dignitate ipſa eccleſia operante præfulſit,
tanto maioris elationis ſpiritu intumeſcens in ea præcon-
ceptę nequitiæ virus fundit. Tartarorum quoque crude-
litatem & potentiam à Chriſtianorum ceruicibus auer-
tendam monet, vtque id Chriſtianis populis innoteſcat
publicè exponendum ſuadet.



ADRIANVS V.




OTHOBONO sancti Adriani Diacono Cardinali opus suum Durandus idem mittit, eiúsque patruum Innocentium quartum Pontificem maximum narrat fuisse. Igitur tituli sui nomen retinere, quàm vllum aliud vsurpare maluit: & Romæ quidem electus Viterbium petiit, antequam Diaconus ad sacerdotium promotus coronatúsve esset, in eáque vrbe moritur decimo quinto Kal. Septemb. anno millesimo ducentesimo septuagesimo sexto. Erat Adrianus patria Genuẽsis, familia Flisca siue Lauania nobilissima illius ciuitatis, ex qua duos supra septuaginta Cardinales fuisse ad Innocentij octaui tempora Hector Fliscus reipubl. illius ad Pontificem legatus gloriatur. Cæterùm Adrianus iam designatus vrbis Episcopus cùm agnati Thedisij patris frequẽtes ad eum accurrissent, & ob tantam dignitatem plurimum sibi suísque gratularentur, Vtinam, inquit, me Cardinalem prospera valetudine, non moribundum pontificem inuenissetis. Hoc eius respõsum etsi à quibusdam aliis scriptoribus traditum est, à Iustiniano tamen Episcopo non omittitur libro tertio Genuensis historiæ. Duo autem testimonia elegantium scriptorum proferre in Adriani vita placet, Dantis & Petrarchæ. Hic quidem ait regio simillimum pontificale verbum, Tempus est enim iam ad ætatem nostram descendendi. Adrianum Romanum pontificem sępe dicentem audiuisse, Po-

lycrates refert, qui sibi pręfamiliaris fuit, nullum se ab hoste suo quolibet maius supplicium optare, quàm vt Papa fieret. Et profectò nisi fallor, summi pōtificatus sarcinam, quæ vulgo fœlix & inuidiosa videtur, humeris subiisse difficillimum, & gloriosum miseriæ genus est: his dico, qui eam, séque ab omni contagio præcipitióque præseruare decreuerunt. Reliquis enim quantò leuior videtur, tantò funestior status est. Videtur itáque apud vtrosque formidabilis. quod si ille fatebatur, qui id onus paucis diebus pertulit, quid illis videri debeat qui sub fasce senuerunt? Libro verò primo de remedio vtriusque fortunæ, de Adriano idem dicit, etsi non nominat. Dantes verò Italicè disertissimus permiscebitur Latinis, vt Gręca apud Ciceronem etiam leguntur. Is enim Adrianum Pontificem è familia Flisca apud Ligures mensem & aliquid amplius sedisse ait, cúmque auaritiæ notat. quia re vera ante pontificatum & ditissimus Cardinaliũ, & auaritiæ deditissimus erat, ob ídque poëtico iudicio in Purgatorio collocatur à Dante cãtu decimo nono, his quidem verbis.

" *Scias, quod ego fui successor Petri:*
" *Intra Siestri & Chiaueri s'adima*
" *Vna fiumana bella; & del suo nome*
" *Lo titol del mio sangue fa sua cima.*
" *Vn mese & poco più prouai io, come*
" *Pesa'l gran manto, à chi del fango'l guarda:*
" *Che men mi sembian tutte l'altre some.*
" *La mia conuersion à me fù tarda:*
" *Ma come fatto fui Roman pastore;*
" *Cosi scopersi la vita bugiarda.*

» *Vidi, che li non ſi quetaua il core;*
» *Ne più ſalir poteas' in quella vita:*
» *Perche di queſta in me ſ'acceſe amore.*
» *Fin à quel punto miſera & partita*
» *Da Dio anima fui del tutto auara:*
» *Hor, come vedi, qui ne ſon punita.*
» *Quel ch'auaritia fa, qui ſi dichiara*
» *In purgation de l'anime conuerſe:*
» *Et nulla pena il monte ha più amara.*
» *Si come l'ochio noſtro non ſ'aderſe*
» *In alto fiſſo à le coſe terrene;*
» *Coſi giuſtitia qui à terra il merſe.*
» *Com' auaritia ſpenſe à ciaſcun bene*
» *Lo noſtr' amore, ond' operar perdeſi;*
» *Coſi giuſtitia qui ſtretti ne tene*
» *Ne' piedi & ne le man legati & preſi;*
» *Et quanto fia piacer del giuſto ſire,*
» *Tanto ſtaremo immobili & diſteſi.*



IOANNES XX. *vulgò* XXI.




ILLVM triginta nouem dierum Pontificem Viterbij ſepultum, ordine ſequutus eſt Petrus Iuliani filius genere Luſitanus, Cardinalis dignitate. Pōtificem quidem è Luſitania olim Roma habuit Damaſum primū rebus gerēdis idoneum, eruditúmque: at hic & ſi literatus erat, nullam tamen in rebus agendis induſtriam

habere videbatur: misit tamen legatos ad Palealogũ Græcum Cæsarem rogatum an vellet obsequi mandatis ecclesię Romanę, ísque omnia quæ nuncij sui polliciti essent in Lugdunensi synodo se obseruaturum respondit. Sed vitæ breuitas ei malo sola remedium fuit. vix enim octo mensium Pōtificem appellare possis. Nam etsi parum prudenter diuturniorem ipse sibi vitam polliceri ac spondere audebat, at cęlestis cōsilij nescius cùm Viterbij dormiret, repentina cubiculi recens constructi ruina oppressus est Pōtifex maximus, multarúmque rerũ scientia instructus. Quod his versibus illa ætate scriptis apertissimè testatum est.

Sub te obdormiuit Hibere Ioannes,
Namque hebeti ingenio, sed bene doctus eras.

Sepultúsque Idib. Maij millesimo ducentesimo septuagesimo septimo, at post ruinam sexto die, conditúsque in templo diui Laurētij martyris, cuius casum illum mortémque Victorianus annalis annotauit. Hoc autem exemplo monemur, ne Romanos quidem Pontifices humanis casibus exemptos esse: quia vt sint Pontifices, homines tamen esse non desinunt.



NICOLAVS III.



GENS Vrſina Ioannem Caietanũ protulit Cardinalem tituli ſancti Nicolai in carcere Tulliano. Qui electus poſt magnas collegarum diſſenſiones Nicolai nomẽ, vti deceſſor Adriani, amplexus eſt. nec Roma à ſexaginta retrò annis, id eſt ab Honorio tertio, quem Romæ natum diximus, vllum ciuem ſuum Põtificem Romanum viderat. Electus autem eſt anno à partu virginis 1287. cæterùm centeſimo vigeſimo ſecundo poſtquam Eugenius tertius ex Vrſina gente Iordanũ Cardinalẽ primũ ex ea familia inſtituerat, quæ deinceps plurimos eiuſdem ordinis ſpectatęque virtutis viros habuit. Hic Nicolaus iuuenis quamdiu fuit, & quamdiu Cardinalis, ſic vitam inſtituit, vt ſtudioſiſſimus laudabiliũ rerum eſſe videretur: ſed vbi Pontificatum attigit, magna mutatio in eo deprehenſa eſt. nec eum puduit agnatorum cauſa Simoniã exercere. Ob quod crimen apud inferos collocatur à Dante cantu decimo nono.


Sappi, ch'io fui ueſtito del gran manto:
Et ueramente fui figliuol dell'Orſa
Cupido sì per auanZar gli Orſatti;
Che ſu l'hauere, & qui mi miſi in borſa.
Di ſott'al capo mi ſon gli altri tratti;
Che procedet ter me ſimoneggiando;

» *Per la fessura de la pietra piatti.*
» *La giù cascherò io altresì; quando*
» *Verrà colui, ch'io credea, che tu fossi*
» *Allor, c'hi feci'l subito dimando.*
» *Ma più è'l tempo già, ch'e piè mi cossi.*
» *Et ch'io son stato così sottosopra,*
» *Ch'ei non starà piantato co' piè rossi:*
» *Che dopo lui uerrà di più laid'opra*
» *Diuer ponente un pastor senza legge*
» *Tal; che conuien, che lui & me ricopra.*
»
» *Nouo Iason sarà; di cui si legge*
» *Ne' Maccabei: & com'à quel fu molle*
» *Suo Re, così fi' à lui, chi Francia regge.*
» *Io non so, s'i mi fui quì troppo folle:*
» *Ch'i pur rispoßi lui à questo metro;*
» *Deh hor mi di, quanto tesoro uolle*
» *Nostro Signor in prima da san Pietro,*
» *Che ponesse le chiaui in sua balia?*
» *Certo non chiese, senon, uiemmi dietro.*
» *Nè pier, ne gli atri chiesero à Mathia*
» *Oro, ò argento; quando fù sortito*
» *Nel luogo, che perdè l'anima ria.*
» *Però ti stà; che tu se ben punito;*
» *E guarda ben la mal tolta moneta,*
» *Ch'esser ti fece contra Carlo ardito:*
» *Et se non fosse, ch'ancor lo mi uieta*
» *La reuerenza de le somme chiaui,*
» *Che tu tenesti ne la uita lieta;*
» *I userei parole ancor più graui:*

Che la vostr'auaritia il mond' attrista
Calcando i buoni, & sù leuando i praui.

Eósq; inserere placuit duas ob causas: prima est ne quis me finxisse hoc Dantis iudiciũ putet, altera vt Vrsini generis fuisse Nicolaũ scias. Deniq; vt responsũ à Carolo Apuliæ rege Nicolao factum super speratis ab eo nuptiis apud Dãtem etiam legi intelligas, qui Nicolaum Vrsinum Pontificem maximum vt vẽditorem beneficiorum sacrarúmque rerum apud inferos torqueri fingit. Et plerique historiarum scriptores aiunt res sacras eum vẽdidisse, vt ex pretio collecta pecunia ad consanguineos veniret, quos prædiis, castellis, ære, & rebus omnibus abundare volebat. O cæcam hominum stultitiam, vt alieno cõmodo inseruiãt, sese ad omne vitiũ præcipites dare! Septẽ Cardinales patria Romanos creauit Vrsinos magna ex parte, ex Colũniensibus vnum, etsi id fieri pridem vetuerat Alexãder, cùm Frederico primo illi adhærerent. Præterea pulchras substructiones in Vaticano fieri curauit, quæ Pontificiam sedem exornarẽt. Carolus Andegauensis Siciliæ regnum & Neapolim ipsam regebat. ab eo petiit vt neptem daret in matrimonium Vrso, aut Bertoldo nepotibus: quod ille facere recusauit, indignum existimans gẽtem illam regij sanguinis puella. Quo ex contemptu natæ sunt seditiones Siculorum, & omnes illi casus in quos postea Rex ille etsi magnanimus incidit. Cúmque Nicolaus minaretur regnum se illi erepturum, dicebat Carolus exerto ense. Hic mihi regnum peperit, erítque opus gladio inuadere illud cupiẽti. Quam eius vocem in vetustissimis annalibus nostrę gẽtis reperio. Decessit autem Nicolaus apoplexiæ morbo, Viterbij anno Christi millesimo ducentesimo octuagesimo

primo, mēse Augusto. Huic Nicolao doctores Parisienses hoc priuilegiū debēt, quod ipse Romæ dedit apud sanctā Mariam maiorem decimo Cal. Aprilis Pontificatus anno quinto, vt vbique terrarum ipsis liceat legere & regere, ac pro doctoribus haberi, ídque priuilegium in chartario Academiæ vidimus.



MARTINVS II. *vulgò* IIII.



SIMON, cognomine Mompintius, Briēsis est dictus à Bria Galliæ prouincia Parisiorum agro vicina. hæc enim illi patria, vt Bernardus historicus refert, noménque fuit, vt Victoriani annales habent, ob ídque in Vrbani quarti vita poëta dixit:

" *Simon, cui patria Gallica terra fuit.*

Et rursus in eadem hunc præstantem virum sic depingit:

" *Vir pius & sanctus, consiliísque potens.*

Ipsum enim sibi notissimum, & Tricassibus Campaniæ vicinum Vrbanus 4. in Cardinalium numerum suffecit, eíque post obitum sex Pontificum Romanorum Martinus successit. Quòd in ecclesia beati Martini Turonensis Canonicus fuisset, Itali, & in his Dantes patria Turonicum fuisse prædicāt: nec sine causa. Martinus enim in familiari colloquio vocare solitus erat nutricem studiorum suorum ecclesiam illam: qui si nunc viueret, quàm detestaretur Cal-

uinianæ sectæ milites, qui ossa & cineres sancti illius viri direpto & spoliato templo in ignem coniecerunt, Gregoriique Turonensis historici reliquias incenderunt, anno millesimo quinquagesimo sexagesimo secundo. Simon igitur ante Pontificatum legatus apostolicæ sedis sub Nicolao decessore, cuius anno secundo priuilegium rationémque & ritum eligendi rectoris Academiæ Parisiensis dedit, cùm esset Nongeti ad Sequanam Cal. Octob. vt ex chartario ipsius Academiæ constat. Imò verò sext. cal. Septemb. anno secũdo Clemẽtis quarti, qui fuit millesimus ducẽtesimus sexagesimus sextus, sic præfatus, Simon miseratione diuina tituli S. Cęciliæ presbyter Cardinalis apostolicæ sedis legatus ad perpetuam rei memoriam, pacem inter auditores Academiæ constituit. Postea nonis Maij millesimo ducentesimo septuagesimo quinto sub Pontificatu Gregorij decimi, anno quinto eãdem pacem inter magistros & nationes facultatis artium cõfirmat. In ea dignitate cùm adhuc esset, cohortatus est Augustinum Triumphum vt libellum illum scriberet qui aduersus coniectores inscriptus est ab auctore, excellenti planè philosopho, ac Theologo præstãti. Carolus autem rex amicissimus huic Pontifici Romano fuit. Itáque expertus Nicolai artes, dedit operam vt hic præcipuè ex Cardinaliũ numero ad Pontificatum promoueretur. amico enim Pontifice illi opus erat. Igitur Viterbiũ accurrit, cúmque Vrsinorũ factiones obesse electioni futuræ intellexisset, à Viterbiensibus petiit vt Matthæum, & Iordanem Vrsinos è cõclaui detraherent, coniicerént que in carcerem. Id cùm ab oppidanis factũ esset, reliqui suffragiis Simoni datis eum Pontificem creauere. In sumendo autem nomine placuit

Sſ ij

Martinum deinceps appellari ob memoriam Turonensis ecclesiæ, cui Martinus olim Episcopus insignis præfuisset. Hic autem etsi humili genere natus erat, magnanimus tamen fuit, & in ecclesiasticis negotiis inuictus. Frater ad eũ Pontificem in Italiam statim profectus est, quem comiter acceptum breui in patriam redire iussit, mediocribus tamẽ donis ornatum, quòd res ecclesiæ pauperũ esse diceret, nõ suas. Domicilium autem elegit non Viterbij, quia vim intulerant Cardinalibus ante electionem, sed apud montem Faliscorum, quem mõtem Flasconem vulgò appellant, nõ procul à Viterbio, vbi plurima exædificari iussit, & propter viciniam Vulsinensis lacus anguillas appetere erat solitus, vt Dantes ait cantu Purgatorij vicesimo quarto. Id verò maximè memorabile est, quòd Palealogum vnionis facta non seruantem excommunicauit, tametsi id fecisse videtur in gratiam Caroli regis quem amicissimum habebat. Cæterùm vt res humanæ se habent, regnum Siciliæ momento amisit. Id verò admodum displicuit Pontifici. nam ob id regnum Aragonum grauibus cẽsuris prius inter positis in prædam occupanti dedit: quod à Petro eam insulam interfectis Gallis militibúsque præsidiariis occupatam cõstabat, inuadendíque Aragonum regni gratia, quod ipse Carolo Valesio regis Frãcorum minori filio attribuisset. Ioannem Choletum Cardinalem in Galliam misit, mandans vt cisalpinos populos ad id bellum proposita delictorum venia incitaret. neque enim Romani Pontifices irati magis efficax telum illis temporibus habebant, quàm arma pietatis prætextu ad hostium reprimendam audaciã sumpta. Incidit in manus meas liber epistolarum Martini, & inter cæteras, plurimæ enim sunt, ad Archiepiscopũ His-

palenſem ſcribit, vt regem Caſtellæ moneat ne ſigillo vtatur Imperij, nevè ſe regẽ Romanorũ nominet. Rodulpho in Romanorũ regem electo gratulatur, Legatúmque eius & Cancellarium Præpoſitum Spirenſem honorificè ſuſceptum in Germaniam cum literis ad Cæſarem deſignatũ remittit. Denique hortatur Siciliæ regem vt pacẽ faciat cũ Regina Franciæ, eiúſque rei cauſa legatos ad ſedem apoſtolicã ſuos mittat. Guido Nouellus hoc Põtifice apud Forumliuij in præſidio erat, vt eam vrbẽ obſideret, Martinus Ioannẽ Paſſũ Gallici generis copiarũ in Italia ducem rogauit vt eam vrbẽ caperet: vi expugnari non poterat. itáque Nouellũ tentat, vt ſi fieri poſſet proditione expugnaretur. Guido callidiſſimus ingenio ſimulat ſe ita facturum, ac die dicta portam vnam aperit, ipſéque aliũde egreſſus cum equitatu peditatúque ſuo, fingens ſe longius iturum petiit locum inſidiarum, vbi Ioannes reliquerat partem aliquam copiarum, factóque in illam impetu ferro occidit, paucis tantùm exceptis qui in effuſiſſimam fugam ſe coniecere. Mox reuerſus ad vrbem, vbi eam reperit à Gallis ſpoliatam ipſóſque in priuatorũ domibus iam ſecuros, nihilque tale expectantes, obuios quoſque ferro necat, cæteris ad copias Gallorum refugientibus, ibíque occiſorum cadaueribus repertis, ipſi metu territi à relictis aliquot cohortibus Italorum militum interempti ſunt. Oppidani quoque admoniti à Nouello ante rem geſtam de futuro Gallorum caſu, clitellas equorum & frenos auerterunt, atque ex omnibus copiis ſuis, Ioannes celeri fuga cum pauciſſimis Fauentiam incolumis peruenit cal. Maij anno domini milleſimo ducenteſimo octuageſimo ſecundo: ídque factum accidiſſe illis temporibus interpretes Dantis referunt ad

creatum vicesimum septimum, vbi hos versiculos exponunt:


" *La terra che fe gia la longa proua,*
" *Et di franceschi sanguinoso mucchio*
" *Sotto la branche verti si ritroua.*

Etenim illud quoque sciendum est Sinibaldum Ordelaffum túc Foriliuij dominum, pro insigni argumento habere solitum in aurato campo leonem viridem. Per hunc modum Nouelli proditione Martinus, Gallíque milites decepti sunt. Verùm vt res eius Pontificias referre pergam, Cardinales etsi alios instituit, tamen Gaufridum Parisiensis ecclesiæ Decanũ & Geruasium Archidiaconũ, quos in minori fortuna amicissimos habuerat, eo honore affecit, viros certè idoneos, scientiáque & vsu rerum pręstátes: Simul titulũ D. Cæcilię, quem Cardinalis prætulerat, dedit Ioanni Choleto magnæ pietatis Theologo, cui Academia Parisiẽsis se obligatam fateatur necesse est. Collegium enim Choleticũ exædificauit, vbi excellentes adhuc Theologi florent. Hæc Martinus cùm gessisset ab ignoto medicis morbo correptus, repentinè moritur noctu Perusij pridie idus Mart. millesimo ducẽtesimo octuagesimo quinto: viríque boni sanctíque elogium à Florẽtinis historicis ei tribui video. E chartario autẽ archiuísque ecclesiæ Turonensis D. Martino dicatę exscribi rogauimus duo rescripta eiusdem Pontificis maximi, ea sic habent. MARTINVS Episcopus seruus seruorũ Dei dilectis filiis Decano & Capitulo ecclesiæ sancti Martini Turonẽsis ad Romanã ecclesiã nullo medio pertinẽtis salutẽ & apostolicã benedictionẽ. ECCLESIAM, VESTRAM IN QVA DVDVM IN MINORI OFFICIO CONSTITVTI THESAVRARIÆ OFFICIVM GESSIMVS,

» sincerę dilectionis brachiis amplexãtes, in his quę personis
» in ea virtutum domino famulantibus votiua secundum
» deum fore prospicimus, nos fauorabiles exhibemus. Cùm
» itáque ordo qui circa celebrationem diuinorum officiorũ
» in ecclesia ipsa cõsueuit hactenus obseruari, sit per aliquo-
» rum additionem & subtractionem etiam immutatus, nos
» intẽdentes super hoc salubriter prouidere, auctoritate vo-
» bis prẹsentium indulgemus, vt in celebratione officiorum
» prædictorum, ordinem quem ecclesia Romana in diuinis
» officiis celebrãdis obseruat, vti liberè, si eidem ecclesiæ vi-
» deritis expedire, possitis: & nihilominus speciales ipsius ec-
» clesiæ vestræ festiuitates, si velitis, more solito celebrare.
» Nulli ergo omnino hominũ liceat hanc paginam nostrę
» concessionis infringere, vel ei ausu temerario cõtraire. Si
» quis autem hoc attemptare prẹsumpserit, indignationem
» omnipotentis Dei & beatorum Petri & Pauli se noue-
» rit incursurum. Datum apud Vrbem veterem Idib. Febr.
» Pontificatus nostri anno primo. Martinus Episcopus
» seruus seruorum Dei dilectis filiis Decano & Capitulo ec-
» clesiæ beati Martini Turonensis ad Romanam ecclesiam
» nullo medio pertinentis, salutem & apostolicam benedi-
» ctionem. Specialis illa dilectio quam ab olim ad venerabi-
» lem sancti Martini Turonensis ecclesiam ex sincerę deuo-
» tionis integritate concepimus, sollicita nos pulsat instãtia,
» vt eius incommodis vtiliter obuiãdo, & ipsius quieti pro-
» uidẽdo, salubriter ipsam priuilegiis decoremus, insignibus
» & cõdignis fauoribus foueamus. Hæc enim gloriosi præ-
» sidis suffulta præsidiis præter illa deuotionis & honoris
» obsequia, quæ ad reuerentiam eius cuius sacratissimũ cor-
» pus in ea celebri memoria requiescit, toto orbe terrarum

» generaliter promeretur ab omnibus, eo ſpecialius eſt à
» nobis amplioris honoris titulis extollenda, quo peculiaris
» quodam modo reuerentiæ debito ratione multiplici ex
» cordis intimis eidem aſtingimur, & dudum ante ſuſceptũ
» apoſtolatus officium, ab ipſa nos beneficia potiora memi-
» nimus percepiſſe. In hac ſi quidem veneranda Dei eccleſia
» magnificis laudum attollenda præconiis, quæ velut mater
» benefica non ſine ſuauitatis materna dulcedine ſuis nos
» diutius lactauit vberibus, Canonicatum, præbendámque
» ac perſonatum nobilem Theſaurariæ ſuſcepimus, ac ipſos
» cum multis honoribus, magníſque profectibus per curri-
» cula temporum non parua tenuimus, ſic ſuſceptos donec
» excelſi dexteræ mutatione, mirificè in patrem vocati de fi-
» lio licet immeriti ad apicem fuimus apoſtolicæ dignitatis
» aſſumpti. Dignè igitur ad ipſam eccleſiam ſpeciali prære-
» gatiua dilectionis afficimur: dignè beneficia grata ab ipſa
» nobis exhibita debita gratitudine contemplantes, nos eis
» gratioſos gratáter offerimus, & eius nõ immemores, vberũ
» ipſam vbertate apoſtolicæ gratiæ fœcundamus. Volentes
» itáque præfatam eccleſiam, quam prædicti ſancti nec im-
» meritò merita clara clarificãt, non tam ob memoriam mu-
» nerum ab eo perceptorum, vt diximus, quàm ob eiuſdem
» ſancti reuerẽtiam, qui ibidem præcipuè veneratur & coli-
» tur, nobili priuilegio decorare, vniuerſitati veſtrę auctori-
» tate apoſtolica indulgemus, vt in omnes qui eiuſdem ec-
» cleſiæ bona, ſiue quæ ad vos communiter, ſiue quæ ad ali-
» quem ſeu aliquos veſtrũ ſpecialiter, aut ad capellanos, ſeu
» clericos prædictę eccleſiæ ratione ipſius eccleſię pertineãt,
» manifeſtè inuaſerint, vel occupauerint, aut rapuerint, ſeu
» prędati fuerint, vel vobis, ſeu capellanis, aut clericis pręfa-
tis ſiue

„ tis ſiue aliquibus ex vobis vel ipſis ſuper huiuſmodi bonis
„ iniuriari prȩſumpſerint, niſi canonicè à vobis moniti ſatiſ-
„ factionem ex his exhibuerint competentem, poſſitis libe-
„ rè ſiue clerici fuerint ſiue laici, appellatione remora cenſu-
„ ram eccleſiaſticã exercere. Ac ſi ſano vſi conſilio ſatisfa-
„ ctionem impenderint, prolatas propter hoc à vobis in ip-
„ ſos ſentẽtias iuxta formam eccleſiæ relaxare nonobſtanti-
„ bus quacunque apoſtolica indulgẽtia quibuſcumque ſub
„ quauis verborum forma conceſſa, quod excommunicari
„ aut interdici nequeant vel ſuſpendi, & conſtitutione de
„ duabus dictis edita in concilio generali. Nulli ergo omni-
„ no hominũ liceat hanc paginam noſtræ conceſſionis in-
„ fringere, vel ei auſu temerario cõtraire. Si quis autem hoc
„ attẽptare præſumpſerit, indignationem omnipotẽtis Dei
„ & beatorum Petri & Pauli apoſtolorum eius ſe nouerit
„ incurſurũ. Datũ apud vrbem Veterem quarto nonas Mar-
„ tij, Pontificatus noſtri anno primo.



HONORIVS IIII.



POST Martinum ſedit Honorius ex Sabella etiam nunc nobiliſſima Romæ familia, menſe Aprili, eodem anno ad ſummũ ſacerdotium vocatus: Ac Peruſij quidem electus, ſtatim Romam petiit, vt in patria quæ illi chariſſima fuit, imperij coronam acciperet, & in Epiſcopum vrbis conſecraretur. Huic Lucas pater fuit

vir in vrbe clarissimus, & Senatoriam dignitatem sæpe adeptus. Carmelitæ genus monachorum qui in Gallia Sacculi vocabantur, vt Victoriani annales referũt, indecoras clamydes & Christianis oculis minimè gratas ferebãt, itáque eos mutare vestẽ iussit. quo accepto nuncio Sultanus sectam illam quasi sibi ignotam Carmelo monte exegit, quæ eorum sedes erat. Quis Guelphorum, & Gibellinorũ noxia Italiæ nomina non audiuit? ab hoc Pontifice defendebantur Gibellini, viréſque eorum & audacia multum creuere, Iacobíque Aragonũ Regis, qui se Siciliæ Regem dixit, ô regnum opibus atque diuitiis affluens, quàm graues intulisti in orbem terræ dissensiones atque discordias! Denique Honorio consentiente Prinziualles Fliscus vicarius Rodulphi Cæsaris in Hetruria factus est: maiores eius Guelphi extiterant, idcirco in nullo apud Gibellinos pretio atque æstimatione fuit. optandum sanè erat vt illa factionum nomina impiarum atque immanium tollerẽtur ex mortalium animis, quod ne adhuc quidem factum est. Obiit autem Honorius anno Christi supra millesimũ ducentesimo octuagesimo septimo, nulla Cardinalium ordinatione facta, vt Bernard⁹ in historia refert. quod sanè nouum atque inusitatum illis temporibus potuit videri. Nemo autem huius Pontificis nec aliorum ferè epitaphia requirat: quia Episcoporum Romanę vrbis aliquot à Leone Marsicano recitãtur, à Platina & Onuphrio historicis plurima, aut ab aliis historiæ põtificiæ scriptoribus. At nos iis ferè supersedimus, vt ingressi videamur amœnissimum aliquem hortum, & è singulis floribus summos apices tantùm decerpsisse. Quid enim turpius esset, quàm si quis vnus velit omnia de omnibus narrare? Adde quòd plures

Episcopi Romani honore illo caruerunt,agnatorum vel etiam successorum indiligentia:quidam etiam eo sponte carere voluerunt. Nam primi quidem Pontifices Romani ad martyria volētes rapti sunt,quidam etiam insepulti, vel in mare & profluētes abiecti. Verùm quis hoc melius exponit, quàm Vsuardus scriptor & diligens & doctus? qui cœmeteria vbi veteres Episcopi iacent, nominatim designat? & ne Cucumeris quidem obliuiscitur?




NICOLAVS IIII.



VCCESSOREM habuit Nicolaum Æsculanum,quem Hieronymum vocabāt,virum optimis moribus & probitate insignem,vt Ioannes Villaneus narrat libro septimo Florētinæ historiæ. Is erat secta Franciscanus, ac propter scientiā, multarúmque rerum cognitionē Minister generalis eius ordinis factus,antequam purpureo galero donaretur.quis sperasset ad summū illum gradum Hieronyme te vmquam peruenturum? verùm sic res habet: Pontificatus præda est infimæ conditionis hominū, potius quàm diuitum ac potentum:nam hi siue metu, siue odio à summo in vrbe magistratu mutuò se arcent atque repellunt. Ex Gibellina autem factione ortus eam factionem charam, acceptámque habebat,& quibus poterat modis iuuabat, insano quorundam Pontificum morbo,qui cùm modò hanc modò illam factionem pro-

barunt Rempub. Christianam turbauere: verissimáque erit illa sentẽtia, Multi Põtifices bene ritéque electi interdũ nocuere ecclesiæ Dei, multi cõtrà, Christianis populis vtiles fuere, quia sic voluit Deus. Diligebat quoque nobilem & claram Columniensium gentem, magnísque eam beneficiis affecit, creauítque Petrum Columnam Cardinalem, & si is vxorem habebat, quam monacham esse iussit, vt apud Ioannem Villaneum reperio. Huius familiæ ornamentum & decus hodie est Marcus Antonius Columna, vir bello clarissimus, notissimúsque ob memoriam naualis prælij ad Naupactum commissi, cùm classi aduersus Turcas à Pio quinto missæ præesset. Memorabile autem est nullam vnquam in eligendo Pontifice moram maiorem esse factam, quàm his comitiis quibus Cęlestinus successor dictus est, & iis quæ Clementi quinto Ioannem Cadurcum Pontificem Romanum subrogauere.



CÆLESTINVS V.

PETRVS in Pelignis apud Eserniam natus, duobus à Sulmone passuum millibus, quę Ouidij poëtę olim patria fuit, vrbs pulchritudine frequentiáque populi, & aquarum copia nobilis, Angelerium & Mariam parentes habuit, ac filiorum qui illis erant vndecimus: vbi adolescens factus est, laudabili contemptu rerum humanarum quæ caducæ fluxæque sunt, solitudinem omnibus

deliciis pertulit, susceptóque sacerdotio vitam omnem in Murrone & Maiella altissimis, niuosisque montibus & densissimis siluis penè transegerat, sanctitate egregius & præ cæteris mortalibus Deo charus, acceptúsque, cùm præter opinionem suam prætérque expectationem generis humani pontifex absens, nec cogitans electus est tertio nonas Iulias millesimo ducentesimo nonagesimo quarto, post insanas collegij Cardinalium dissensiones. Vnde illi etsi biennium & amplius inclusi & ad famem à Perusinis penè redacti, erumpere tamen non possent, vilíque asello insidens, & Caroli secundi Regis Neapolitani hortatu, & quorumdam Cardinalium precibus, Aquilam vrbem ingressus est: vbi cōcursu ingenti totius Italiæ coronationis suæ insignia suscepit: creauítque Cardinales duodecim, quorum è numero fuere Abbas Cisterciēsis ordinis, Prior Charitatis ad Ligerim, Simon Archiepiscopus Bituricēsis, quos ne nosse quidē poterat, à teneris annis assuetus solitudini, & procul à Gallia cisalpina illorum patria, ídque in Victorianis annalibus exponi video. Dantes serius poëta pontificias claues ei citò displicuisse dicit. quid ni displicerent homini solitario & seni? Itaque duodecim illis Cardinalibus spectatæ notæque virtutis ad stabiliendam ecclesiam creatis, Cælestinus, hoc enim ei nomen fuit, electionem sui Cardinalibus non probari sentiens, quasi parum idonei, vir simplex nec eruditus, & qui humana negotia ne capere quidē posset, vt Bernardus historicus alijque scriptores tradunt, antequam Romam cognominis Apostoli sedem peteret, Benedictum Caietanum scientissimum diuini & humani iuris, pōtificiíque honoris cupidissimum consuluit, num renunciare posset Apostolicę di-

gnitati: ille verò potes, inquit, vbi dixeris id licere. quod cùm salutis suæ causa fecisset ineunte sexto mense adepti honoris, onus illud sibi longè grauissimum sponte excussit ad solitudinem pristinam reuersus. Itáque auctor erit bonorum sequentium, qui primus reiecti Pontificatus exemplum dedit, si modo imitatorē sui aliquem habere potuerit. At Bonifacius decretum Cælestini, quod ille nō publicarat, in lib. 6. ab se editum referri iussit, causámque aperit cur Cælestinus renunciare pontificatui vltrò voluerit, scilicet quòd se minus idoneum putaret. Poterat igitur ad solitudinem rediens Pontifex dicere ex epitaphio Sorani versum illum:

" *Viderit, an ne aliquis post me mea facta sequatur,*
" *Exemplo mihi sum, primus qui talia feci.*

Iubente postea eodem Bonifacio successore retractus ab eremo in Fumonis arcem Agnaniæ vicinam coniectus est, cōniuente Cardinalium collegio, quòd publicè interesse arbitraretur, ne si fortè consilium mutaret, Christiana Respubl. turbaretur: ac Bonifacius quidem in eo secundū Deum impiè fecit, liceat enim Ouidij poëtæ illud eloqui:

" *Quid meruistis oues animal sine fraude dolóque?*

Sed si res humanas casúsque rerū mutationi obnoxios ęstimare voles, cautè eum dices prudēterque fecisse. id enim Bernardus historicus asserit, nec immeritò. Nam postea irati Columnenses Cælestini carcerem illi obiecerunt, edémque telo Philippus Pulcher Frācorum Rex etiam vsus est, vt Bonifacium esse illegitimum vrbis Episcopū ostenderet. At sexagenario maior diu in illo carcere non potuit viuere, diémque functus sepelitur in vicino tēplo, ac mādato impij tyranni, conditur in tumulo alto pedes viginti

» & amplius. Huius quidem res gestas Villaneus scriptor il-
» lius temporis diligenter narrat Florentinæ historiæ libro
» octauo. Postea à Clemente Bonifacij successore procu-
» rante Philippo Rege Francorum, cuius intererat Cæle-
» stini memoriam ad immortalitatem consecrari, in diuos
» relatus est tertio Non. Maias anno à partu virginis mil-
» lesimo trecentesimo decimo tertio. Verùm quis melius
» expressit Cælestini virtutes quàm Petrarcha libro se-
» cundo de vita solitaria his quidem verbis? Huius
» Petri Damiani clarissimum faceret raritas ipsa contem-
» ptum, nisi eum Petri alterius Romani Pontificis, quem
» Cęlestinum dixerunt, recentior contemptus, & clarior ob-
» scurasset, qui Pontificatu maximo velut mortifero fasce
» deposito, in antiquam solitudinem tam cupidè repedauit,
» vt hostili compede liberatum crederes. Quod factum so-
» litarij sanctíque patris, vilitati animi quisquis volet attri-
» buat, licet enim in eadem re, pro varietate ingeniorum nõ
» diuersa tantùm, sed aduersa sentire. Ego imprimis & sibi
» vtile arbitror & mundo, vtríque enim propter inexperiē-
» tiam rerum humanarum, quas multa diuinarum contem-
» platione neglexerat, longúmque solitudinis amorem, pe-
» riculosa esse, anceps & turbida poterat altitudo. Nam quid
» Christo visum sit miraculum, quod per eum Deus osten-
» dit, die qui post renunciationem primus illuxit indicio
» est: quod profectò non fieret, si quod gestum erat diuini-
» tas non probaret. Ego prorsus altissimi cuiusdam & liber-
» rimi, & iugum nescientis, veréque cœlestis animi factum
» reor, atque ita sentio non potuisse id ab homine fieri, nisi
» qui res humanas iusto pretio æstimasset, quíque tumidũ
» fortunæ caput pedibus subiecisset. Ambrosij patrocinio


» locus eget, ex eo præsertim libro, quo ad veræ humilitatis
» obseruātiam sacram virginem Demetriadem cohortatur.
» Non vt dilectores, inquit, huius seculi putant, parui cor-
» dis aut segnis est animi, terrenas opes spernere, honores
» occiduos fastidire, nec ibi gloriam quærere, vbi laudatur
» peccator in desideriis animæ suæ; & qui iniqua gerit, be-
» nedicitur. Vnde si verè intelligatur contēptus iste rerum
» præsentium ad quæ tendat, & qualia cōcupiscat, nihil hu-
» iusmodi mentibus rectius, nihil inuenietur erectius, quæ
» sacratissimis desideriis vniuersa transcendunt, neque ad
» vllam creaturam quamuis potētem, atque mirabilem, sed
» ad ipsum omnium visibilium atque inuisibilium ambiūt
» creatorem, cui appropinquare clarescere est, quem timere
» gaudere est, cui seruire regnare est. Huius præconio laudis
» quis vsquam quæso, seu quis vmquam dignior Cęlestino?
» Reliquerunt alij nauiculas suas ac retia, alij possessiunculas,
» alij teloneum, alij etiam regna vel regnorum spem, secutí-
» que Christū dominum, facti sunt apostoli, facti sunt san-
» cti & amici Dei. Papatū verò quo nihil est altius (rem tam
» exoptatam támque mirabilem, vt ab admiratione ac stu-
» pore dictum ferant) quis vlla ætate, præsertim ex quo tan-
» to in pretio esse cœpit, tam mirabili & excelso animo
» contempsit, quàm Cælestinus iste, pristinum & nomen &
» locum, & amicam bonis moribus egestatem appetens, at-
» que dum cælum suspicit, terræ immemor? quem in statu
» quoque æquè deo placitum, quis non videt, qui mira eius
» opera sed alio digna stilo, trifariam distincta perlegerit,
» quæ gessit, aut antequam ascenderet, aut postquam descē-
» dit, aut dum sedit? Quid miri autem, si virtus operum non
» defuit, cuius & animi tenor vnus, & qua licuit vitæ muta-
tio

» tio nulla fuit: si quidem in supremo rerũ culmine, & intra
» augustissimum ac papalem thalamum, angustam sibi he-
» remiticámque cauernulam meditatus, in alto humilis, in-
» ter turbas solitarius, inter diuitias pauper vixit: adde quòd
» & statim ab initio tentauit fugã cum discipulo quodã suo
» Roberto Salentino tunc iuuene, sed inopinata & subita
» populi multitudine circumuentus, cùm euadendi nulla
» spes esset, in discipulum versus quæsiuit: an se ad excelsa
» tractum & coactum sequi vellet? Ille autem qui à magi-
» stro didicisset mũdum spernere, Christum verò & quibus
» ad Christum itur, virtutem, pacem, silentium & solitudinẽ
» amare. Quæso, ait, vt & labori & periculo meo parcas, mé-
» que potius cellæ inopis & tuti ocij successorem, quàm di-
» uitis ac sollicitæ gloriæ participẽ velis. quod & factum est,
» substitit enim patre Romam abeunte, cuius non multo
» pòst animam è carcere gemino ad sydereas scandẽtem se-
» des conspexisse dicitur, ignarus rerum, & miraculo stu-
» pens atque interrogans: An se tunc etiam sequi, an quid
» aliud agere iuberet? quem ille, vt in solitudine perstaret,
» admonuit, & sic cœlum petens inter verba disparuit. Dis-
» cipulus autem ille consilij memor vsque ad tempora no-
» stra perueniens, & dierum plenus ante hos paucos annos,
» post magistrum abiit, magna quidem apud suos sanctita-
» tis opinione, & mirabilium fama operum relicta. Sed ad
» Cælestinum redeo, cuius ascensus quàm mœstus, quam-
» què contra animum suum esset, descensus lætus, & spon-
» taneus declarauit. Audiui narrantes, qui viderunt, tanto il-
» lum fugisse cum gaudio, eáque signa lętitiæ spiritalis ocu-
» lis ac fronte gestantem, dum à conspectu Concilij, iam tã-
» dem sibi redditus ac liber abscederet, quasi non humerum

Vu

» blãdo oneri, sed collum diris securibus subduxisset, vtque
» eius in vultu nescio quid angelicum reluceret. Nec immeritò, norat enim quid repeteret, nec quid dimitteret, ignorabat. Certè à laboribus ad requiem, ab insanis disceptationibus ad diuina colloquia remeabat: linquebat vrbem, ibat animo, & nisi successoris fastus obstaret, pedibus ibat in montem hispidum fateor ac præruptum, sed vnde sibi planum iter esset ad superos: cum quo vtinam vixissemus, quod idcircò præcipuè sub hoc vno, inter tot solitarios optauerim, quia nusquam rei optatæ propinquius votum erat. Neque enim magno disiungimur interuallo, modicúmque vel cunctandum illis, vel nobis accelerãdum fuit, vt iter hoc vitæ pariter ageremus, quod ille cum patribus nostris egit. Et quàm breui spatio temporis per omnem Italiæ tractum, vsque ad alpes quot ab eodem instituti ordinis conuẽtus sacri, iámque vt audio, alpes ipsas, deuotio propagata trãscẽdit, durat religiosa successio, durabítque: & quos in solitudine genuit, viuunt nati, cùm in palatio geniti, quósque vel ad ecclesiæ cardinem, vel ad alios gradus extulit, iam pridem omnes obierunt, tanto stabiliora sunt sacræ solitudinis fundamenta, quàm sæculi. Irrideant, licet igitur, qui viderũt, quibus præ fulgore auri & purpuræ squalidus opum spretor & paupertas sancta sordebat: nos hominem hũc miremur, intérque rarissimos numeremus, damnúmque vocemus non vidisse, cuius visio lucrũ ingens, exemplúmque clarissimum præstare poterat, altioris vitæ confragosa tentantibus. Cæterùm præsens fama consecratúmque viri nomen, & laudatoribus suis fauent & arguunt insultantes. Hæc quidem Petrarcha de Cælestini quinti virtutibus rebúsque gestis & excusso Pontificij

oneris iugo refert. Verùm Geraldus Segarellus Parmensis circa annum Christi millesimum ducentesimum sexagesimum inter cæteras quas profitebatur hæreses, dicebat omnes Pontifices & antistes Romanæ ecclesiæ à Siluestro vsque ad Cælestinũ quintum præuaricatores fuisse, solúmque excipiebat Cælestinum, ob quam & cæteras hæreses igni crematus est. Successorem tamẽ habuit Dulcinũ Nouariẽsem, qui eodem supplicij genere periit, vt à Guidone Episcopo Elnensi, qui anno Christi millesimo trecentesimo quadragesimo secũdo in Hispania viuebat, narrari video in libello de hæresibus.



BONIFACIVS VIII.



DE Bonifacio in Annalibus Francorum copiosè diximus: necessarium tamen putauimus in hoc opere, in quo cæterorum Pontificum res gestas exponimus, vitam eius breuiter quoque perstringere. Benedicto illi nomen fuit: pater Leofredus Caietanus Anagninus, municeps nobili genere à Martino Gallo Põtifice ob eruditionem, & quia in minori fortuna Canonicus ecclesiæ Lugdunensis fuisset, accitus ad Cardinalitium munus obeũdum, in eo excellẽter se gessit: sed nimis industrius fuit in persuadẽdo vt Cælestinus ad optatam solitudinem rediret: quod cùm esset factũ, Neapoli ad Carolum Regem noctu accessit: Tuus, inquit, Cælestinus tibi & voluit & po-

tuit seruire, sola ei industria defuit. At ego, & scio, & volo, & potero, si me adiuueris Pontificatum appetentẽ. Duodecim Cardinales Cælestinus rogatu Caroli crearat: per eos effecit vt Benedictus Pontifex crearetur aliis quoque Cardinalibus corruptis. Creatus autem est Neapoli peruigiliis natalis Christi, & anno tunc insequẽti Romæ coronatus; neque enim Neapoli voluit, vir quidẽ magnanimus & inuictus, iurísque ciuilis scientia instructissimus, cæterùm auarus & rapax. Is statim acta decessoris sui nõdum executioni mandata reuocauit, eum idiotam asserens fuisse, multáque fecisse absque certa deliberatione, vel sano iudicio rationis, vt Victorianis annalibus iisdem prorsus verbis quibus vsi sumus continetur. Bellum exortum erat inter Francos & Anglos. ad pacem componendam duo Cardinales cis Alpes missi, Beraldus Albanẽsis, & Simon Prenęstinus Episcopi, quorum legatio irrita fuit. neque enim ab armis irati reges discessere. At Pontifex explorata & excussa diligenter Ludouici vita, qui Philippi Pulchi Regis Frãcorum auus fuerat, illũ inter diuos piè retulit, singulari beneficio afficiens regem Frãcorum. Quo magis miror enatis postea odiis iussu Philippi captum, ac penitus mirarer nisi perspectum haberem verum esse quod dici solet, Sunt iræ Regũ plus quàm Leoninę, præsertim cùm graues eos causæ impellũt, vt Philippum videntur impulisse, cùm Bonifacius non Gallię solùm, sed mundi dominum, vt Antonini Cæsaris verbo vtar, se esse prædicaret, Pontificiáque auctoritate in perniciem Christianorũ abuteretur. Igitur cùm anno millesimo trecẽtesimo ex omni fermè Europa concursus Romam factus esset pietatis causa, ob consequendam à mortalibus delictorum suorum liberationem

Bonifacij iussu publicatam. accidit anno insequenti vt pestifera orbi terræ discordia inter illum ac Philippum Regem exoriretur, cùm Bonifacius, vt ante dixi, mūdi dominum se diceret, Philippus moneret ne eo loquendi genere in perniciem regni sui vteretur. Cùm id facere recusaret, vetuit pecuniam è Gallia Romam deferri; admonitus ab Episcopo Romano vt interdictum solueret, mutare sententiam noluit, nunciúmque Galliæ finibus statim excedere iussit. Tunc Bonifacius sententiæ in regem regnúmque ferendæ consilio, omnes regni Antistites Theologósque & Iurisconsultos celeberrimos vt Romam proficiscerentur publicè citauit: verùm à rege ne id facerēt impeditum est, ipséque ad futurum Cōcilium prouocauit aduersus Bonifacium, quasi hæresis reum, appellationémque & capita in Bonifacium scripta, Lutetiæ in templo virginis pronunciari per Petrum Flotam consiliarium iussit. Irritatus illo facto Bonifacius plures Galliæ antistites exauctorauit. at verebatur Philippus ne quas diras in se regnúmque suum Pontifex iacularetur: itáque in finibus regni stationem custodum posuit, qui prætereuntes excuterent, ne quam huiusmodi sententiam secum ferrent. Interim Guilielmum Nogaretum equitem anno millesimo trecentesimo secundo in Italiam misit, vt conatus Bonifacij insigni audacia reprimeret. qua de re postea loquemur. Hoc vetusti annales Gallico sermone conscripti tradunt, quos auctor anonymus dictauit anno millesimo trecentesimo vicesimo octauo. Raimundus Lullus excellentis ingenij Philosophus in aula Bonifacij erat anno millesimo ducētesimo nonagesimo sexto, ibíque absoluit opusculum egregium, quo articulos fidei Christianæ probare argumē-

jis & rationibus demonstrare conatur. in quo libello Bonifacij & Cardinalium qui tunc viuebant mentionem fieri moneo. Gentem Columniensium odisse cœpit anno millesimo ducētesimo nonagesimo septimo mense Maio: odij causa ex audaci facto Sarræ Columnæ, qui gazas ecclesiæ Romanę in itinere iuxta Anagniam deprædatus esset, cuius facinoris vindex Bonifacius Iacobum & Petrum Cardinales honoribus exuit, ædes Columniēsium Romę dirui iussit, gentémque ipsam indignam pronunciauit quocunque ecclesiastico vel seculari honore: extátque adhuc programma exauthorationis in sexto Bonifacij, qua ille dirum fulmen in miseros Columnas iaculatur. Inde rebelles facti sunt Pontifici Romano: verùm ad se reuersi cùm pacem peterent ad pedes eius abiecti demississimè, pax eis ea conditione data est, si arcem Prænestinam traderent, quæ tradita est & continuò diruta, nihílque eorum quæ Pontifex promiserat, obseruatum. quam ob causam iterum rebellionē faciunt coacti in exilium ire: sed de Prænestina arce, déque iis odiis extat locus elegans apud Petrarcham libro primo de remedio vtriusque fortunæ: Nónne, inquit, ante hos septuaginta annos Prænestina arx, qua nescio an vlla vsquam fortior esset atque munitior, ab illo magno hoste Bonifacio, qui armis non poterat, blanditiis ac promissis fallacibus capta fuit, ac diruta? & libro secundo rerum memorandarum: Bonifacius octauus Romanus Pontifex duobus ferè lustris domum de Columna vagam egit, ac toto orbe dispersam. fulminabat ille de terris, & ad exemplum tonantis ætherei cuius gerebat vices, edictis minacibus intonabat. capitale fuerat aliquem de generosis exulibus, hospitio suscepisse.

» Nunciatum est interea Agapeti vxorem quæ sanguine il-
« lum contingebat esse prægnantem. Sensit hostem suum
» Romæ fuisse, & accensus ira atque odio, perduci ante pe-
» des suos mulierem iussit: venit illa, verecundè, & ventrem
» studio tegens. at ille, vt erat in sermone mordacissimus:
» Dimitte, inquit, pallium meretrix. quis te grauidam fecit?
» loqui coacta: Pater ait, sanctissime, tu mihi virum meum
» abstuleras. quid facerem? quod & ætas & forma suaserunt,
» consilium cœpi. Inter innumerabiles peregrinos quos hic
» annus in vrbe hac congregauit, conspiciens vnum viro
» meo simillimũ, notaui, placuit oculis meis ille, & in exul-
» tantis viri memoriam susceptus est per noctẽ, mane abiẽs
» qualem cernis me dimisit. Hæc autem, alludens ad viri ha-
» bitum dicebat, qui sub veste peregrini ignotissimus, ad v-
» xorem penetrauerat. Risit Bonifacius, & muliebri facun-
» dia mitigatus est. At plenius hunc Petrarchæ locum intel-
» liges, si cętera narrauero. Anno igitur millesimo trecẽtesi-
» mo præstitit plenam omnium debitorum liberationem
» ijs qui limina apostolorum inuisissent. quo anno ingens
» cõcursus mortalium Romam factus est, sic vt Ioãnes Vil-
» laneus referat toto illo anno ducẽta hominum millia præ-
» ter ciues Romę vixisse, ídque memorabile profectò est, séque testem facit auri & diuitiarum quas Pontifex popu-
» lúsque Romanus illo Iubilæo cõgessere. Sed extat de cen-
» tesimo anno libellus à Iacobo sancti Georgij ad velum
» aureum diacono Cardinali scriptus sub Bonifacio, in quo
» & Bonifacium peruigilem dicit fuisse, summáque solertia
» præditum: & narrat adfuisse testem qui peregrinationis
» suæ centum & septem asseueraret annos, & apud Bellouacos Galliæ populos duos tanti æui pluresque in Italia tunc

ſupereſſe refet, éſtque libellus ille propter rerum quas cõtinet cognitionem lectione digniſſimus: ac Bonifacius tanta non partarum opum congerie, ſed ab externis hominibus in vrbem allatarum audacior factus, ſplendebat in Italia cæteríſque prouinciis, erátque Regum terror, vtar enim verbo Petrarchæ, aut Beneuenuti Bononienſis, cui Petrarcha ſcribit, qui Bonifacium tyrãnum ſacerdotum vocat. Promiſerat verò Regi Francorum ſe effecturum vt corona Imperatoria Carolus Valeſius frater exornaretur; id cùm non præſtitiſſet, imò Albertum Roberti Auſtriaci Cęſarem confirmaſſet, exiſtimans Philippus ſe à Pontifice deceptum, inimicis eius palam fauere cœpit, honorans Stephanum Columnam tunc exulem, & capiẽs Epiſcopum Apamienſem Bonifacio chariſſimum. Sita eſt Apamia ad Aurigeram amnem ad Pyrenæos montes, qui Galliam ab Hiſpania diuidunt. Quibus rebus exacerbatus homo audax & potens, præſules Galliæ Romam ad ſe venire iubet. profectionẽ eorum Philippus impediuit. Tunc Pontifex maiori odio, incenſus, mittit in Galliam quendã Clericum Romanum Archidiaconum Narbonẽſem, cum literis quas publicari iubebat: illæ autem continebant diras in Philippum, niſi in temporalibus æquè ac ſpiritualibus ſubditũ ſe Pontifici Romano profiteretur. Literas illas Atrebatũ Comes igni cremauit. Cùm nihilominus nõ ceſſaret Bonifacius & Flandris faueret Francorũ hoſtibus, de illo capiendo conſilium initum eſt: ducem atque auctorem facti Stephanus ſe præbuit, accepto à Rege ſocio Guilielmo Nogareto Aquitanici generis nobili & erudito, militaríque viro, quorum induſtria filij Maffei ciuis Anagnienſis pecunia corruptis, & pluribus nobilibus viris conni-

conniuentibus quoque Cardinalibus quibu sdam fit im petus in Anagniam, pontificiæque ædes à coniuratis obsidentur. Petrarcha libro septimo rerum Senilium in epistola ad Vrbanum quintum, Bonifacium non Romæ, sed in sua Romæ tunc prælata patria à Gallis captum fuisse scribit. Bonifacius in ea perturbatione etsi à quibusdam domesticis & familiaribus suis se proditum videbat, fortem se præbuit: Si proditione capiar, inquit, vt Iesu Christo cõtigit, sique moriendum est, Põtifex maximus mori cupio. itaque sumpta veste pontificia & corona Cõstantiniana, clauibus & cruce, quę sunt insignia magistratus, sedit in cathedra pontificia, desertus à Cardinalibus præterquam à Petro Hispano Salinensi & Nicolao Ostiensi Episcopis, cum quibus constantissimè coniuratos expectauit. Illi per vim ingressi irrisere vicarium Dei, nec aliud ei malum intulere, seu non permittentibus superis, seu prohibiti ab eo qui eum capi mãdauerat. Triduũ in manibus illorum fuit, donec Anagnini nullius precibus adducti, sed solo infamiæ & dedecoris metu arma corripuerunt, expulerúntque coniuratos, multis cæsis, multis captis. quo ex facto lætitiã nullam concepit Bonifacius, sed inuicto animo occurrentibus in equo quadringẽtis ciuibus Romanis statim Romam rediit conciliũ celebraturus aduersus Philippum & coniuratos, grauissimeque vlturus acceptam iniuriam. atenim ex dolore animi in morbum incidit tam violentũ vt ipse sibi mẽbra roderet. Decessit XII. Octob. anno millesimo trecentesimo tertio, conditúsque est in tumulo quem ipse sibi viuens fieri curarat. Nec est qui diligentius de eo scripserit, quàm Ioãnes Villaneus lib. 8. historiæ suæ. Romanam Academiam amasse dicitur, ídque verisimile


eſt:nam Oldradus Iuriſcõſultus ſcribit eos qui Romæ ſtuderent, habuiſſe priuilegium à Bonifacio percipiendi fructus beneficiorum ſuorum. Gratiani mentionem fecimus hoc libro in vita Eugenij tertij: collectioni ab eo factæ Palea diſcipulus dicitur aliquot addidiſſe capita, quibus eius nomen aſcribitur, licet ſint priuata auctoritate conſcripta. Qui poſtea collectores fuerint pontificiarum cõſtitutionum, Ioannes Andreæ filius dilucidè exponit initio Gregorianæ collectionis, quam à Raimundo Barcinonẽſi factam ſuprà demonſtrauimus. Honorij verò tertij qui Gregorium nonum proximè anteceſſit, conſtitutiones à Tancredo Bononienſi ſunt collectæ ſub ipſius pontificis nomine. At Bonifacius de quo loquimur, Bononienſi Academiæ ſcribens initio ſexti libri, quem Gregorianis addidit, collectum eum indicat fuiſſe à Ricardo Senenſi Romanæ eccleſiæ Vicecancellario, à Berengario Epiſcopo Biterenſi, & à Guilielmo Archiepiſcopo Eberodunenſi. Porrò Biteræ ſunt in Septimania Galliæ Narbonenſis: Eberodunum in Alpibus Cottiis, quæ vrbs, vt cætera omittam, anno milleſimo quingenteſimo octuageſimo quinto proditione à Caluinianis templum Virginis ſpoliatum incenſúmque, plurimi ſacerdotes in ea interempti ſunt. Sed extant eius ſolemnes literæ quas in fauorem & gratiam Romanæ Academiæ dedit XII. cal. Maij, Pontificatus ſui anno nono: eáſque lector per ſe ipſe conſequetur, ſi legere volet librum apoſtolicarum conſtitutionum nuper editum in lucem Gregorio decimo tertio Romanam eccleſiam regente. Idem quoque Bonifacius priuilegia cõceſſa Franciſci & Dominici ſociis heremitanis etiam attribuit, vt Baldus Commentariis ad Cod. Iuſtiniani refert ex

verbis Bartoli præceptoris olim sui. Verùm Dantes omniũ elegantissimè videtur de Bonifacio loquutus in hunc modum:

Veggio in Anagnia intrar losior dalifso,
Et nel vicario suo Christo esser catto
Veggiolo vn'altra volta esser deriso:
Veggio rinouellar l'aceto'el fele;
Et tra viui ladroni esser anciso.
Veggio'l nuouo Pilato si crudele,
Che ciò nol satia; ma senza decreto
Porta nel tempio le cupide vele.

Quo in statu autem Anagnia fuerit post illum repentinũ insperatúmq; Bonifacij casũ, Alexãder Bononiẽsis in descriptione Latij Hernicorúmq; gẽtis refert his verbis Anagnia vrbs antiquissima semiruta prope ac desolata iacet, cũ nobis anno à. C. N. M. D. XXVI. trãsitus per eam incidisset, ingentibus ruinis maximéque Palatij à Bonifacio Pontifice Rom. quem suprà compellauimus ædificati, summa cum admiratione miserationéq; spectatis, causam cladis à quodam ex optimatiũ numero interrogato didicimus, Bonifacij Pontificis capturam : quippe ex illo die vsque in præsens variis occasionibus vrbem iuisse præcipitem: adeóque bello, pestilentia, fame, plurimum verò ciuilibus odiis in hanc calamitatem redactam: intestinis enim contentionibus alios ab aliis eiectos, pulsorũ ædibus incẽsis vicissímque per vim se restituẽtium eosdem spiritus, eandem belli rationem in aduersarios fuisse. Hanc ob rem nõ pridem cùm à paucis qui superant ciuibus, in cœtu consilióque

communi de malorum causa quæsitum anxiè esset, tandem hanc occurrisse, quod maiores illorum Bonifacio Pontif. prodito se grauissimo scelere deuinxissent: ídque quoniam hactenus expiatum non fuerat, ideò Clemente VII. Pontif. obtestato, vt Episcopum ad se mitteret aliquem, qui populum ab illa maiorum noxa liberaret, expurgarétque; hoc demũ precibus ac votis ritè pro incolis factis, vt ab anathemate quo ob manus Põtifici Max. violenter iniectas adhuc erant obstricti, absoluti Deo haberẽtur, executum. Ad Benedictum venio Bonifacij successorem, tametsi prius Episcopos vrbis moneo, ne vnquam reges amicos sponte inimicos faciant. nõ enim putent põtifices frenos se à Deo datos regibus vt eos pro arbitrio cohibeant velut equos intractatos & nouos: admoneãt & precentur, precésque eorum synceræ instar imperij erunt; minari, terrefacere, arma ciere Episcopos non decet, summáque concordia inter principes suprema Põtificum potestas existimanda est.



BENEDICTVS XI.



XTINCTO per hunc modum Bonifacio successit magno Cardinalium consensu & cõcordia Benedictus, qui Bonifacium ne captiuum quidem reliquerat. Is Nicolaus antea vocabatur, erátque Cardinalis Taruisij natus infimo genere, sed educatus Venetiis, datúsque Quirinis patriciis ad instituendos eorum liberos.

Postea ordinem Dominici professus omnésque honoris gradus in eo promeritus, & inter graues illius ætatis viros habitus à Bonifacio propter vitam honestè sanctéque actam donatus est Cardinalitio honore. Cúmque libera omnium collegarum voce Romanus Episcopus dictus esset, mater iam ætate confecta, sed preciosa veste exornata à Perusinis honorificè eam deducentibus coram eo sistitur. Ipse verò finxit se eam non agnoscere: matrem enim non esse primariam & nobilem fœminam dicebat, sed modica & tenui veste vti solitam, vt quæ aduersus inopiam pugnare consuesset, & illam quidem agniturum si Perusium veniret. Quo audito deposita serici operis resumptáque ignobili veste ad filium patrémque rediit. Ille confestim occurrens amplexúsque, Hæc verò, inquit, mihi charissima est parens, ingentíque gaudio acceptam honorificè habuit, vt apud Leandrum Bononiensem reperio. Ac deinceps non modò Perusinis ipsis qui id viderant, sed vicinis remotísque populis & regibus ipsis gratissimus fuit. Inueni nuper in veteribus actis epistolam Philippi Pulchri Galliæ regis, qua Benedicto gratulatur Pōtificiā dignitatē adepto, eiúsque virtutes plurimū laudat.
» Sanctissimo patri in domino Benedicto diuina prouiden-
» tia sacrosanctæ Romanæ ac vniuersalis ecclesiæ summo
» Pontifici, Philippus Dei gratia Francorum Rex deuota pe-
» dum oscula beatorum. Benedictus dominus Deus Israël,
» quia visitauit & fecit redemptionem plebis suæ. Et ere-
» xit cornu salutis nobis in domo Dauid pueri sui. Qui facit
» mirabilia magna solus. Qui cœlestia pariter & terrena sa-
» lubri moderamine dirigens, ac perpetua ratione gubernās
» in hac valle miseriæ miserationes innumeras liberalis in

" gratiis & in misericordia copiosus exercet: ipse quidem
" circa ecclesiam suam sanctam Petri nauiculam, matrem fi-
" delium, Christi sponsam, quam à fundationis initio splen-
" dore virtutum mirabiliter illustrauit, piè semper cõtinuás
" miserationis affectum, & paternæ exequens pietatis offi-
" cium: licet eam in pelago mundi huius intumescentium
" vndarum fluctibus agitari, & procellis cõcuti patiatur, ad
" tempus ipsam submergi vel periclitari naufragio non per-
" mittat, continuum semper impendens in tribulatione so-
" latiũ, in turbatione pacamen, & in aduersitate succursum,
" sicut rerum euentus ac succedẽtium experimenta tempo-
" rum manifestè declarant. Cùm enim ecclesia ipsa diebus
" nuper præteritis post oppressiones & afflictiones multi-
" modas, & graues quasi parturientis angustias, quas ex ma-
" litia præsidentis in ea mercenarij sub vmbra pastorum lõ-
" go tractu temporis discriminosi pertulerat, quàm prostra-
" ta & naufragio proxima videretur propria virtute defi-
" cere. Ipse pater misericordiarum, & Deus totius consola-
" tionis ad ipsius statum miserabilem & lugubrem piè di-
" rigens compassionis affectum, & ad releuationem ipsius
" suæ potentiæ dexteram clemẽter extendens, ipsam ab op-
" probriosæ captiuitatis ærumnis dignãter eripuit, à deplo-
" randæ viduitatis incommodis misericorditer liberauit, da-
" to sibi cœlitus noui sponsi solatio Benedicti, qui vt nomi-
" ni rem cõformet, & præteritis futura cõtinuet, opera Deo
" grata speratur & hominibus placitura facturus. Exultet i-
" gitur eadem sacrosancta mater ecclesia, & in iubilum su-
" pernæ laudis assurgat, tenebrarũ semota caligine se nouæ
" lucis radio illustratam & abiecto iugo tyrannicæ seruitutis
" status debiti & pristinæ libertatis resumpsisse decorem io-

» cundetur deposito vidualis desolationis iubilo lætitiæ nu-
» ptialis illuxisse serenum, nouum adepta pastorem, suæ ste-
» rilitatis & opprobrij redemptorẽ. Exultet præcipuè sacer
» prædicatorum ordo se talem & tantum filium peperisse,
» alumnum nutriuisse tam inclitum, tam præclarum, quàm
» patrem orbis, & fidei successorem Petri, Christi vicarium
» in supremo sede iustitiæ solio gloriatur. Lætetur & iubilet
» quòd ex eius horto arbor ista fructifera prodiit, quę in do-
» mo domini fœliciter complantata fructum datura credi-
» tur suo tempore gratiosum. Lętetur insuper totum orbem
» ex eius gremio suscepisse nouum patrem pauperum, & dis-
» pẽsatorem prouidum fidelium animarum, qui sicut mul-
» tum apud Deum, sic apud homines proficit in honore. Lę-
» tabũdus exultet chorus fideliũ fidei orthodoxę cultorúm-
» que fides ipsa, quo ex nefandis prædecessoris actibus, de-
» testandis operibus & perniciosis exemplis obnubilata
» sui luminis claritate, quæ minabatur excidium, per sancti-
» tatis & vitæ merita & virtutum exercitia laudabilia succes-
» sorum quibus ab ouili claruisse dinoscitur, reformationis
» accommodę incrementa salubria ac fulgorem solitæ clari-
» tatis creditur resumptura. Lætetúrque pacis optatæ dulce-
» dinem, quam per iniquos excessus potius quàm processus
» temerarij, abusorũ quasi extra terminos exulabat. Iste fide-
» lis testamẽti dominici executor ad pristini status solũ pro-
» curationẽ totíque mũdo spiritualis & temporalis cõmo-
» da quietis afferre probabiliter existimatur. Nos autem pro
» bonis affectibus exultamus, qui meretricalia deliramenta
» perplexi diutius patrem confidimus successiuè beniuolũ,
» qui prędecessoris erronea corrigat, malefacta reformet, pa-
» cem nutriat, iustitiã foueat, & diligat æquitatem, in cuius

affectione ſincera deuotionis filialis, in cuius deuotione filiali paterna benignitas cõquieſcat, ſed ex eo pręcipuè materia nobis gaudij & exaltationis accreſcet, quod regiminis noſtri in apoſtolica ſede virum ſedere cõſpicimus, bonorum omniũ, ſicut fama teſtatur & publicat, nitore cõſpicuum, virtutum ſpeculum, & ſanctitatis exemplar: virũ vtique ſecũdũ cor noſtrum, qui non quęrit quæ ſua ſunt, ſed quæ Dei, ad Catholicæ fidei & vniuerſalis eccleſię bonorum & exultationis incrementa fœlicia, ac ſtatum proſperum & quietum totius populi Chriſtiani, & promotionem fœlicem negotij terræ ſanctę ducitur puro zelo. Igitur pro tam dignę, tam ſalubris & vtilis prouiſionis euentu, bonorum omnium largitori ad laudes & gratias in humilitatis ſpiritu aſſurgentes, eius imploramus deuotè clementiam: vt qui vos ad regimen eccleſiæ ſanctæ ad dandam ſalutis ſcientiam plebi ſuæ, ad ſupernæ dignitatis honorem pia miſeratione prouexit, ſic credita vobis multiplicatione talenta cõcedat: ſic in ſanctitate & iuſtitia coram ipſo & in viã pacis dirigat greſſus veſtros: quod poſt regiminis pręſentis excurſum ad cœleſtis gloriæ ſolium vna cum grege vobis commiſſo clementi pietate perducat, iudicaturum cum cæteris ſanctis ſuis omnis orbis terrę finium nationes. Cęterũ nos & regnum cuius moderamini diſponẽte domino præſidemus, & eccleſiam Gallicanã ſanctitatis veſtræ fauoribus fiducialiter commendamus, & ad exponendum perfectius & plenius exhibẽdum beatitudini veſtræ omnimodæ reuerentiæ & deuotionis indicia, ecce dilectos & fideles Bernardum dominum Mercolij, magiſtrum Petrum de Bellapertica canonicum Carnotenſem, & Guilielmum de Pleſſiano militem, nuncios

noſtros

noſtros ad ſanctitatis veſtræ præſentiam deſtinauimus, quos benignè recipere, ac eorum relatibus paterna clementia audientiam præbere placidam, & fidem non dubiam adhibere dignetur. In qua quidem epiſtola Bonifacium vt inclementem perſtringi conſtat, & vnum legatorum Philippi regis fuiſſe Petrum Bellam-perticam, ſic dictum à tenui vico Boiorum gentis, qui nunc Borbonienſes appellantur. Hic eſt ille Petrus quem Cynus iuriſconſultus ſcripſit Romam profectũ è Gallia, anno iubilęi, Bonifacio Pontifice, eúmque Cyni locum citat Bartolus ad titulum Cod. de ſentent. quæ pro eo quod intereſt feruntur: Paſſim verò grauis ille auctor iuris, vt & Baldus illius opiniones laudant: nam Aureliæ in Academia iuris publicè docebat antequam ad Altiſſiodori Epiſcopatum promoueretur. Cæterùm à Benedicto error Bonifacij deceſſoris ſtatim agnitus eſt, qui Columnas & Regem Frãcorum ab apoſtolica ſede abalienaſſet. Itáque illos reſtituit in gratiã, edita ob id conſtitutione quę extat, reuocans Bonifacij deceſſoris cõtrariam planéque pugnãtem, quãquã incertum metu ne id fecerit, an exemplo alienæ ſortis, vt qui Bonifacij calamitatem repentinam viderat, ſimiles à ſe ærumnas auertere cuperet, magnum telum ad res benè gerendas exiſtimans beneuolentiam principum. Simul Nicolaum Pratéſem Cardinalem Florentiam miſit pacificandæ Reipub. cauſa. Hunc verò optimum & religioſiſſimum Pontificẽ Cardinales neſcio qui, cur enim nomina eorum ab hiſtoricis ſunt omiſſa, nec omni probro vt æquum erat denotata? ſed vt veriſimile videtur gentiles Bonifacij qui tũc multum poterant, & hunc oderant fortaſſe propter Bonifacij hoſtes reſtitutos in gratiam, viuentem diu ferre nõ potue-

Yy

runt. Ac cùm Perusij nō procul à lacu Trasimeno, vbi Annibal Romanos olim vicit, vir pius mensæ accumberet, iuuenis quidam mentitus fœminam se esse, & ancillam Abbatissæ virginum D. Petronillæ, triclinium ingressus esset cum argenteo vase, ficus recentes & varia florum genera illi obtulit, quos auidè comedit nihil mali subesse ratus, permixtum autem illis ficubus ac floribus venenum erat. O inuidia vt perpetuò es mala! His igitur artibus Benedictus miserrimo fato sublatus est, vt Villaneus refert, idémque scriptor conditum ait Perusij in templo Herculani apud Dominicanos, ex quorum ordine fuisset.

NOMINA PONTIFICVM QVORVM VITA EXPLICATVR LIB. 6.

Clemens v.
Ioannes xxi. *vulgò* xxii.
Benedictus xii.
Clemens vi.
Innocentius vi.
Vrbanus v.
Gregorius xi.
Vrbanus vi.
Bonifacius ix.
Innocentius vii.
Gregorius xii.
Alexander v.
Ioannes xxii. *vulgò* xxiii.
Martinus iii. *vulgò* v.
Eugenius iiii.
Nicolaus v.
Calistus iii.
Pius ii.
Paulus ii.
Sixtus iiii.
Innocentius viii.
Alexander vi.
Pius iii.
Iulius ii.
Leo x.
Adrianus vi.
Clemens vii.
Paulus iii.
Iulius iii.
Marcellus ii.
Paulus iiii.
Pius iiii.
Pius v.
Gregorius xiii.



LIBER SEXTVS.




ACTENVS Episcoporum Romanæ vrbis res gestas exposuimus, quamdiu sedes eorum Romæ vel in Italia fuit: nunc transeundum ad septem Pontifices qui Auenione ad Rhodanũ flumẽ in Gallia domicilium habuere. hi autem sunt Clemens quintus, Ioannes vigesimus primus, Benedictus duodecimus, Clemens sextus, Innocẽtius sextus, Vrbanus quintus, Gregorius vndecimus: qui omnes in Gallia educati ad summum sacerdotij apicẽ peruenere, defunctíque vita cis Alpes variis in templis magnificè funerati sunt, vno excepto Gregorio. nã eum Romam reuersum cùm fata & iuuenem & citò rapuissent, ciues Romani diu luxerũt. Antequam autem ad Clemẽtem quintũ veniã, quęstio subdifficilis explicanda videtur, cur tã variè amplissimos sacerdotes appellemus, modò Episcopos, modò Papas, modò Antistites apostolicę ecclesię, modò Põtifices, modò Apostolicos viros. Notũ est Hieronymi illud ex epistola ad Oceanũ, apud veteres idem Episcopi & presbyteri fuerũt, quia illud nomẽ erat dignitatis, hoc ętatis. Igitur qui præfuerũt Romanis sacris, primùm Episcopi dicti sunt: quam vocem exponit Cassiodorus epistola ad

» Ioannem secundum cùm ait: vos speculatores christiano
» populo præsideris. Sanè antiquissimus auctor Tertullianus
» de præscriptione aduersus hæreses Clementem Episcopũ
» Romanum vocat: & eodem libro laudat Episcopatum E-
» leutherij benedicti. Cyprianus nõ multo pòst Cornelium
» & Lucium Episcopos dicit fuisse. Marcus sanctę Romanæ
» & apostolicæ sedis Episcopum se vocat. Symmachus præ-
» fectus vrbi Damasum Episcopũ, & Antistitem legis Chri-
» stianæ in epistolis ethnicus appellat. Hieronymus in Luci-
» feriana cõfutatione Stephanum Romanæ vrbis Episcopũ
» nuncupat. Apud eũdem epistola ad Demetriadẽ Prætexta-
» tus consul designatus vtitur hac voce, Facite me Episcopũ
» Romanum & ero Christianus. Vincentius Lirinensis non-
» ne Iulium vrbis Romæ Episcopum fuisse prædicat, & Ru-
» finus Clementem Episcopum Romanæ ecclesiæ? Quid
» Augustinus libro retractationum secundo Innocentium,
» deinde Zozimum, nónne appellat Episcopos ecclesię Ro-
» manæ? Porrò Bonifacius in Synodo Charthaginensi quã-
» do sic vocatur, hęc verba ostẽdũt: Debemus nostris quoq;
» literis petere venerabilissimo Romanę ecclesiæ Episcopo.
» cætera omitto. Leo quoque vrbis Romæ Episcopum plu-
» ribus epistolis se vocat. Papæ autem vox non ignota Ter-
» tulliano, non Hieronymo & Augustino, nõ Græcis scrip-
» toribus Athanasio & aliis, nõ Cassiodoro in libro diuina-
» rum institutionum, vbi Gelasium Papam vrbis fuisse glo-
» riatur. Athalaricus Gothorum rex Ioannẽ secundũ, Theo-
» dahadus Agapetũ vrbis Romæ Papam. Gregorius primus
» Ioannem primum lib. dialogi quarto Papam, quoque ap-
» pellat: sed Papæ vox ólim communis omnibus Episcopis
» facta est propria Romanis. Athalaricus idem antistitem

vrbis Romæ dicit epiſtola ad Ioannem ſecundum, idem à Iuſtiniano Archiepiſcopus almę vrbis Romę & Patriarcha appellatur. Nicolaus primus Marcellinum Epiſcopum vrbis Romæ fuiſſe ait: denique Gregorius primus Ioannem primum beatiſſimum Romanę vrbis Pōtificem libro dialogi primo: quáquam ante eum Hieronymus & alij Pontificis quoque nomen ad Epiſcopum Romanum tranſtulerāt: Pontificatus enim apud Romanos ſacrum munus olim fuit, dictum à poſſe & facere vt Scæuola apud Varronem dicit, vel vt Varro ipſe libro 4. de lingua Latina à ponte appellatus. pons enim ſublicius à Pontificibus primùm factus, & ſæpe reſtitutus eſt. Sed horum Pontificum (plures enim erant) vnus populi Romani ſuffragiis renunciatus Pontifex maximus dicebatur: iudex quippe erat atque arbiter rerum diuinarum humanarúmque, vt Sexto Pompeio videtur. Hanc igitur vocem mutuati veteres ad eccleſiaſtica munera tranſtulerunt, & ſacris præpoſitos dixerunt Pontifices, eorúmque principem qui ſummam inter omnes poteſtatem habebat, pontificē maximum appellauere. Rurſus præſulem apoſtolicæ eccleſiæ Athalaricus epiſtola ad Ioannem ſecundum & apoſtolicum Papam dicit: Innocentium verò primùm Hieronymus ad Demetriadem cathedræ apoſtolicæ ſucceſſorem, quòd in ea Petrus & Paulus Apoſtoli ſederint. Quin Epiſcopum Romanum maiores noſtri in Gallia Apoſtolicum virum nominabāt vt lib. 5. docuimus teſtimonio Lupi Senonenſis, vt nunc Iuonis Epiſcopi Carnutum doctiſſimi viri: ipſáque eccleſia nonne eſt ſolita dicere, vt dominum Apoſtolicum & omnes eccleſiaſticos ordines in ſancta religione conſeruare digneris? Poſtremò ipſum pon-

tificem compellando, beatissimum patrem hodie appellare consueuimus. qua locutione primus mihi quidem videtur vsus Magnus Aurelius Cassiodorus epistola ad Ioannem secũdum, quam sic orditur: Supplicandum vobis est beatissime pater. Addendum eodem est, quomodo in publicis actis subscribere Episcopi Romani soleãt. Leo quidem, Hilarius & Symmachus Episcopos catholicæ vrbis Romæ se dicunt, ac deinceps cæteri eorum exemplo in subscribendo sunt vsi. Hæc veluti præfatus ad Clementem venio, & socios qui sunt in Gallia mortui, mox ad cæteros Pontifices quos Italia iterum alere cœpit.



CLEMENS V.



CELERA MORTALIVM DEVS PRO ARBITRATV NONNVMQVAM SERÒ VLCISCITVR NONNVMQVAM CITÒ. Idque Italia sensit mortuo Benedicto. Statim enim Pontificatum Nouempopulanos, & Lemouices Cisalpinos populos translatum vidit non reuersurum Romam ante annos septuaginta. Etenim conuocati Cardinales, vndecim ferè menses exegerunt priusquã successorem nominarent, in duas illi sectas erant diuisi: vni præerat Matthæus Vrsinus & Franciscus Caietanus fratre Bonifacij genitus. Hi Philippum Francorum Regem oderant, alteri Neapoleo, & Pratensis Cardinales Columniensium amici, factionísque Gibellinæ, eiusdémque Regis amantissimi. Cùm verò inclusi essent à

Perusinis, & iam nouus propè mensis effluxisset, Pratensis colloquutus cum Caietano, Magnum, inquit, damnum inferimus ecclesiæ, qui tandiu sumus in pontifice deligendo. At ille, inquit, per me non stat. ergo ait Pratensis sectæ vestræ optionem damus nominandi tres Archiepiscopos Galliæ à Bonifacio creatos, & idoneos ad pōtificatum homines: atque ex iis vnum ego & socij mei intra quadraginta dies Episcopum Romanum dicemus, eíque qui fuerit à nobis designatus, suffragia vestra aderūt. Accepta est conditio, tréisque illi Archiepiscopi sunt nominati, quorum Burdegalensis fuit alieno animo à Rege Francorum propter vexatos Aquitanico bello agnatos & consanguineos súos. Tum Pratensis qui illum nosset ambitioni deditum, & Aquitanum, id est, cupidissimum natura, & qui facilè pacem à rege acciperet, litteras ad Philippum scribit, quas excursores cōtinuatis noctu ac diu itineribus in Franciam intra vndecim dies detulerunt. Rex quàm citissimè colloquutus cum Burdegalensi, eum sibi amicissimum facit. Quid est enim, quod spes obtinendi pontificatus non faciat? aut quæ odia in amicitias non mutet? Itáque dat obsides fratrem & nepotes suos, & Philippus rescribit amicis Cardinalibus vt Bertrandum Gothum Pōtificem crearent, cuius fratrem meminissent, Beraldum Albanensem Episcopum, & Cardinalem ex Archiepiscopo Lugdunensi factum, missúmque à Bonifacio in Galliam legatū, ídque nos sequuti Victoriani annalis fidem dicimus. Tricesimo quarto die nuncius Perusium rediit, & clàm Pratensi datæ sunt literæ. Id cùm esset factum, confestim Cardinales cōuocat, & Pontificem designat Philippi amicum, quem inimicum Cardinales contrariæ sectæ existimabant, quarto

nonas

nonas Iulias millesimo trecētesimo quinto, decretúmque electionis in Aquitaniam mittitur vnà cum literis quas collegium Cardinalium illi scribebat: eas Arnaldus Vasatensis Episcopus, & Burdegalæ ciuis, vírque doctissimus nuper ad nos misit. Sanctissimo patri domino & domino Bertrando Archiepiscopo Burdegalensi diuina prouidentia in Pōtificem summum electo miseratione diuina, Christi presbyteri & diaconi sanctæ Romanę ecclesię Cardinales pedum oscula beatorum. Recordatus est dominus misericordiæ suæ, & plebem suam non despexit in finem: quia dum prolixæ vacationis Romanę, & per consequens quodāmodo vniuersalis ecclesiæ respexisset incōmoda, & longa illius ex variis causis suspiria cognouisset, in tēpore accepto exaudiuit eam, & in die salutis miseratus est eius. Sanauit quidem, quia cōmota erat contritiones ipsius, & vidua per electionem canonicam generoso sponso oblata speciosa facta est, & sicut crapulatus à vino à somno dormiēs excita surrexit: & vbi desperabat magis vt Lucifer est exortus, vnde serenus dies illuxit nobis, & sancti spiritus illustratus ardore populis, qui orbati patre gradiebantur in tenebris, tāquam quoddam sidus apparuit, quod fulgore proprio velut stella matutina coruscans cunctos fideles irradiat suo lumine claritatis. Dudum siquidem eadem Romana ecclesia per mortem sanctæ memoriæ domini Benedicti patris, reuerendi pastoris solatio destituta, de vobis, sicut per electionis ipsius decretum, quod sanctissimæ paternitati vestræ vnà cum pręsentibus literis per prouidos & discretos viros fratrem Guidonem abbatem monasterij Belliloci Cluniacensium ordinis, Virdunēsis diœcesis apostolicæ sedis, & magistros Petrū de Montegiello sa-

» cristam ecclesiæ Narbonensis nostris cōmunibus, ac An-
» dream de Hugugio canonicum Catalaunēsis eiusdem se-
» dis in Romana curia obsequiis insistētes, nostros ad id spe-
» ciales trāsmittimus nūcios, liquere poterit, est nuper ad sū-
» mum Pōtificem electio celebrata. Igitur pater vos suppli-
» citer exoramus, vt ad locum prędictæ sedis & ad partes ter-
» rarum ipsius, exemplo fœlicis recordationis Clementis
» quarti, & sanctę memoriæ Gregorij decimi Romanorum
» Pontificū accedentes pręsentia vestra, sicut noster æternus
» medicus qui præsens iacētem mundū erexit, & curauit in-
» firmum, ecclesiæ laboribus consulatis. Fluctuat itáque Pe-
» tri nauicula, sagena rumpitur piscatoris, pacis serenitas in
» nubilum versa est, ac ecclesiæ Romanæ terras & nōnullas
» adiacētes prouincias vastat bellorū calamitas, & in eis sagit-
» tæ zizaniam seminantis ardentibus effectæ complentur:
» ex quibus rerum, personarum, & animarum quod grauius
» est, pericula subsequuntur. Soldanus insuper Babylonicus
» hostis insultat, & post clades miserabiliter Christi fideli-
» bus partium illarum inflictas, & vrbium Christianarum
» excidia deteriora minatur, & residuum quod ibi Christia-
» ni possidēt, vt singularis exterminare satagit, & hiatu terri-
» bili nititur deuorare. Succurrite, inquim9, succurrite pater,
» & sauciatorū vulnera præsentialiter purgate, & vario pur-
» gata oleo confouete: non dubium quippe quòd in sede
» Petri residebitis fortior, lucebitis clarior, in terra eius viue-
» tis quietior, & remotis regibus, principibus atque populis
» admirabilior eritis, & ipsorum deuotionem & obedientiá
» plenius acquiretis. In sua namque domo est vnusquisque
» planeta potentior. in ecclesia propria quiescere quid dul-
» cius? visa frequenter spernūtur, sæpius ac facilius adita ve-

» luci quæsita vilescũt. Venite ergo, atque nostris in hac par-
» te votis assentiat vestra benignitas, quam bene diúque va-
» lere cupimus, iterum supplicamus. Vt autem adhibeatur
» his nostris literis plena fides, eas sigillorum nostrorũ mu-
» nimine roborari fecimus & muniri. Datũ Perusij anno do-
» mini millesimo trecẽtesimo quinto, indictione tertia, sex-
» to Iunij. In quibus quidem literis sigilla decẽ & octo im-
pressa ceræ rubeæ vnà cum totidem sericis filis viridibus cernebantur. Lustrabat Bertrandus prouinciam Burdegalensem, cui inter cæteros Pictauiensis Episcopus paret: vbi verò esset cùm lætissimum illum nũcium accepit, ex regi-
» stro quod adhuc Burdegalæ extat facilè intelligemus. In
» nomine domini amen. Anno eiusdem millesimo trecen-
» tesimo quinto indictione secunda, Pontificatus sanctissi-
» mi in Christo patris D. Benedicti Papæ XI. anno primo,
» die Sabbati videlicet duodec. Cal. Iul. XX. die mensis Iu-
» nij, Reuerendus pater in Christo D. Bertrandus Dei gratia
» Burdegalensis Archiepiscopus visitauit prouinciam Bur-
» degalensem, quam totam percurrere non potuit propter
» electionem de eius persona factam ad sanctam sedem apo-
» stolicam: quæ electio illi renũciata fuit per multos curso-
» res dum visitaret prioratum de Lesinhaco in diœcesi Picta-
» uiensi. Igitur Burdegalam reuersus vbi id decretum acce-
» pisset vndecimo Cal. Aug. in templo augustissimo illius
vrbis quod Andreæ apostolo sacrum est, mutato nomine Clemens deinceps appellari voluit. Igitur tertio Cal. Augusti Pontificatus sui anno primo constitutionem tulit Burdegalę datam, qua nominatim illius vrbis & cęterarum beneficia vacatura imposterum collationi suæ & sedi apostolicæ reseruabat, vsusque est sigillo quo vtebatur in ec-

» clesia Burdegalensi collocutus, de qua, inquit, licet im-
» meriti, sumus nouiter ad hunc statum summi apostolatus
» assumpti. Putabant Itali eo accepto decreto Bertrandum Romã iturum, sed longè aliter euenit. euocatos enim Cardinales iubet Lugdunum venire, vrbem claris fluminibus Arari & Rhodano illustrem, vbi eodem anno decimo sexto Cal. Decemb. vir corpore amplo atque robusto, staturáque quæ iustam excederet, coronatus est in templo Iusti extra muros, quod ciuilibus Frãcorum bellis à Caluinianæ sectæ defensoribus planè euersum est, anno videlicet millesimo quingentesimo sexagesimo secundo. Interfuerunt coronationi Philippus Francorum rex, Galliæque proceres & alij nobilissimi viri. Nõdum põtifex Regi promiserat se illum vnà cum Cardinalibus recepturũ in gratiam, decimas regni in quinquennium daturum, Iacobũ & Petrum Columnas restituturũ pristinis honoribus, Cardinales tantum Franci & Aquitanici generis promoturum. hæc quidem omnia præstitit. Itáque in posterum Italici generis Cardinales pessimè habiti sunt nouis illis Burdegalæ, & in Francis dominantibus: in Italiam verò misit Neapoleonem Vrsinũ, sed nihil apud Florentinos, nihil apud Bononiẽses efficere potuit. quare diras in illos fulminatus propter spretam cõcordiam. Pacem rebus infectis in Galliam redit. Pollicitus quoque Pontifex fuerat se decessoris memoriã dãnaturum, ossáque eius igni crematurũ: rogatus à Rege vt id faceret, respondit maximam partem Cardinaliũ id fieri nolle. Cæterùm si id velle perseueraret, consiliũ Viennam indictur ũ, vbi de grauissimis Christianæ Reipub. negotiis rebúsque ageretur. Viennam autem delegit, quòd tunc non esset Regiæ ditionis, con-

ſilio vſus Pratenſis callidi & aſtuti Cardinalis. Propterea dedit literas ad omnes Epiſcopos, mandans vt ſinguli quæ vtilia putarent eccleſiæ Dei populóque chriſtiano, in diœceſi quiſque ſua ſcriberent. Túc Guilielmus Durandus Epiſcopus Mimatenſis, neceſſariò alius ab illo qui dudum ſub Innocentio quarto vixit, vtiliſſimum libellum edidit de rebus in Viennenſi concilio diffiniendis, vt ipſe auctor tradit. Interim damnauit Tẽplarios, qui arguebantur nefandorum criminum. diuites illi & locupletes erant, multáque ex eorum fortunis diripuiſſe Clemens dicitur. Qua in re Bartolum puto deceptum, ac pro Clemente, à quo illi extincti ſunt, Bonifacium dixiſſe, & collegium Templariorũ propter delicta quorumdam euerſum fuiſſe, ipſóſque hæreſis nomine dãnatos. Ac ne locus ille Bartoli lateat, indico titulum de pœnis, vbi tantus vir tamen aut notarius eius errauit. Anno verò milleſimo trecẽteſimo ſeptimo quo Clemens Pictauij fuit, ad eum venit Hayto Armeniæ regis conſanguineus, iuſsúque pontificis de viribus & potentia Orientalium principum volumen egregium dictauit Nicolao Falconi interpreti ſuo. Quo quidem Apoſtolum Clementem quintum, ſic enim Epiſcopum Romanum appellat, magno ſtudio in id incumbere prædicat, vt Syria Palæſtináque & cæteræ prouinciæ à Mahometanis principibus occupatæ excuſſo tandem iugo liberentur: & ante Clemẽtis tempora anno milleſimo centeſimo nonageſimo octauo Villarduinus grauis hiſtoricus Innocẽtium tertium Apoſtolum Romanum vocat: atque is mos maiorum noſtrorum in Gallia fuit, vt Romanum pontificem Apoſtoli nomine deſignarẽt, quanquam impropriè, niſi Apoſtoli nomine Apoſtolicum virum in-

telligebant. Nam extat apud Lupum Senonensem epistola synodi habitæ aduersus Nomenoium citerioris Britanniæ regulum, vbi Episcopi sic eum alloquuntur. Omnem læsisti christianitatem, dum Vicarium beati Petri Leonem apostolicum, cui dedit Deus primatum in omni orbe terrarum, spreuisti. Hactenus Lupus, cuius librum epistolarũ nunc in lucem mitto: posteri tamen cæterarum gentium vocem amplexi pro Episcopo Romano vetustiores sequuti Papam dixerunt. Accidit Iunio mense anno trecentesimo octauo vt ecclesia Lateranensis cum palatio & canonicorum ædibus incenderetur. dolorem ex ea re pontifex concepit, & rogatus à Romanis vt incensa restauraret, refici curauit. Anno verò post mille trecentos decimo tertio Cardinalis Lutetiam missus ab eo vicináſque regiones, vt ad Hierosolymitanam expeditionem generosos Gallorum animos incitaret, vbi Philippus genérque eius Eduardus Rex Anglorum, tréſque eius sororij crucem belli sacri signum sumpsere cum innumeris ex vtraque gente equitibus ac nobilibus viris. quem nuncium cum Clemens audiisset publicari iussit plenam delictorum remissionem ijs qui ad id bellum proficiscerentur: atque ijs qui ire quidem aut non possent aut nollent, modò præstarent sumptus viri militaris expeditionem illam suscipientis; plebeis verò qui terũtium vnum obtulissent, anni vnius remissionem dabat, augebátque numerum annorum pro quantitate ęris collati. Id cùm quinquennio esset factum, exactoréſque dati, quorum fidem cognitam habebat, expeditio tamẽ illa derelicta est. quã ob causam nescio, neque enim vetusti annales qui hoc tradũt, illius meminere, cùm dixerint partem pecuniæ ad pontificem peruenisse, partem ne-

poti eius datam. Mortuo extinctóque Alberto Cæſare Philippus apud Clementem, agebat vt imperium à Germanis ad Gallos transferretur. Cæterùm ſeu Pontifex nollet ſeu conſentiret, Henricum Comitem Lucemburgi Cæſarem dixerunt. Veneti Ferrariam vrbem eccleſiaſtici iuris vi ceperant, Franciſco Eſtenſi inde pulſo. ad vim eorum retundendam miſſus nepos põtificius, cum ijs fœliciter pugnauit. duos enim nepotes habuit, Guilielmũ Fargium ex ſorore, & Bernardum cognomine Guarinum ex conſanguinea germana, quos in diaconos Cardinales adlegit, vt in vita eius apud Bernardum Dominicani ordinis virum, qui ſub Clemẽte ſexto in Gallia vixit, reperio. Idémque narrat Raimundum Gothum fratis filium iam ab eo factum Cardinalẽ; íſque in Italiam miſſus eſt. Veneti igitur ſex hominum millia ſimul Ferrariam amiſerunt, & in illo conflictu Florentini pontificem peditatu atque equitatu iuuere. Idẽ cùm poſtea Raimundum in vrbe ſua comiter ſuſcepiſſent, obtuliſséntque aliquot Florenorum millia, ſolutum eſt interdictum à Neapoleone in eos latum: ipſum verò Pratenſem miſit in Italiam ad Cæſarem Imperatoria corona exornandum, in quam prouinciam profectus eſt anno milleſimo treceteſimo vndecimo. Quo quidem tempore, decimo tertio Cal. Nouemb. ſynodus Viennæ Allobrogum haberi cœpta eſt à trecentis patribus, multáque piè cõſtituta ſunt ab eis. De Clemente verò quid attinet plura dicere? vitam eius Villaneus libro octauo & nono Florentinæ hiſtoriæ tradit, ac de morte eius ita ſcribit, deceſſiſſe duodecimo Cal. Maij anno treceteſimo decimo quarto, põtificémque illum pecuniæ cupidiſſimum & ſimoniæ amãtem, quíque venalia omnia haberet, libidini quoque dedi-


tum, & qui vnicè diligeret miræ pulchritudinis fœminam Comitem Petragoriorum. Hominum sunt ista, & mortalium vitia, quibus infectum maximum Episcoporum minimè oportuit: atque ideò in vita eius non prætermittēda ab historico veritatis amanti. Cætera autem mortem eius insecuta ex rumore potius quàm quòd ita acciderint Villaneus scripsit. Dantes quoque poëta Hetruscus de Clemente loquitur, cùm ait věturum ab occidente pastorem legum contemptorem, facturum vt Iason Oniæ frater qui ab Antiocho Syriæ rege summum sacerdotiū magno emit, gentiliúmque errores sequutus est, hoc est vt pōtificiam dignitatē adipisceretur, licita atque illicita promissurum Philippo Francorum regi, odióne Gallicæ gentis, an quia id verum fuit, excutiēt lectores: neque enim historici est iudicium ferre. Propinquis autem suis innumerabiles penè gazas reliquit. Sepulchrum eius marmoreum admirandíque operis violatum dirutúmque est à Caluinianæ sectæ defensoribus, anno millesimo quingentesimo septuagesimo septimo apud Vsestam vicum prope arenosam (vt Ausonij verbo vtar) Vasatum vrbem, in tēplo virginis à se exædificari iusso, cùm antea Radegundis parochialis ædes appellaretur. Et in gratiam Clementis nunc quoque Vsesta tributis & vectigalibus exempta est beneficio Regis Francorum. Habéntque Duratij hodie ius cōferendi beneficia illius ecclesiæ tamquam emptores Villandrici vici Burdigalensis diœcesis. Est Vsesta in conspectu eius trans Cyrionem fluuium, in quo quidem vico, vt diximus, Villandro Clemens natus est, patre Beraldo viro militari, vt in vita eius Bernardus Guido narrat, sed natales suos illustriores reddidit condita in eo munitione castel-

lóque

lóque mirandi operis: ac Vsestæ quidem à violantibus sepulchrum, quod octo columnis ex iaspide pulchrè exornatum erat, inuentum est pontificium cadauer admodum procerum ac longum ferè pedes octo, cùm ex eminenti in vultu cicatrice olim accepti in facie vulneris, id statim in cineres resolutum est: violatorésque insignis tumuli ex eo retulere in prædam aliquot gemmas argenteáque vascula, quæ vnà cum corpore & aromatibus ac crepidis inclusa fuerant: ossa denique ne quid prætermittam igni comburenda tradidere. Eáque violatio sepulchri facta est octauo Idus Ianuarias anno vt diximus septuagesimo septimo supra millesimum & quingentesimum, ducibus tam nefarij sceleris Serra & Forcade Vasatēsibus. Id verò monumentum Galliardus Motha Cardinalis nepósque eius ab Ioanne successore institutus fieri curauit, vt ex verbis testamēti
» quę hîc quoque subiiciam facilè apparebit. Volo & ordi-
» no, executorésque meos attentè rogo, vt tumulus quem
» ad sepeliendum corpus fœlicis recordationis Clementis
» Papæ quinti auunculi mei fabricare feci in ecclesia beatæ
» Mariæ de Vsesta diœcesis Vasatēsis cōpleatur & absolua-
» tur stipendiis meis, prout eisdem executoribus aut vni ex
» ipsis videbitur faciendum. Idem verò Galliardus in vrbe Vasatum ínque diui Ioannis templo, quod à Caluinianis quoque funditùs dirutum est, sepeliri voluit, non procul à Clementis sepulchro. Iusserat verò Clemens & supremis tabulis mandarat cadauer suum Vsestæ sepeliri: & cùm mortuus esset inter Canonicos Vsestenses & Carpētoractæ antiqui oppidi incolas lis magna grauísque mota est, vtris sepultura cōcederetur; iudicium tamē penes Vsestam fuit, ídque in secretario templi vsque ad violationē sepul-

chri permansit. Id verò memoria dignissimum puto, quod publicis instrumentis actísque quę adhuc extant continetur, Margaretam Gotham Clementis neptem Castellíque dominam, id iuxta Garumnam in agro Vasatum situm est, decessisse ante annos centum quinquaginta, hodiéque plures viuere apud Vsestam Clementi cognomines honestissimos & catholicæ studiosissimos agricolas, ad tenuem vt verisimile est fortunam temporis lapsu redactos. Quinetiam viuit Beraldus Gothus Petrę cauæ oppidi dominus, vírque nobilis in Armeniaco Comitatu, qui se agnatum & gentilem Clementis hodie gloriatur. In minori quidem fortuna Aurelię ad Ligerim flumen iuri ciuili operam Clemens dederat. Itáque priuilegia illi cōcessa à Philippo Rege sponte cōfirmauit, studiorum suorum mentionem ipse faciens. Quinetiam idem in concilio Viennēsi linguam Hebraicam, Arabicam, & Chaldeam Lutetiæ Parisiorum doceri pręcepit. Ac si fortè curiosi lectores id quoque scire cupiunt, tametsi leue ac frigidum sit, Burdegalensi Archiepiscopo vineam reliquit, optimi vini feracissimam in vico Pessiaco, quæ Clementis Papæ vinea hodię quoque appellatur. Eo verò extincto Cardinales apud Carpentoracte oppidum conuenere tres & viginti, vt successorem nominarent. inter quos tantę fuere dissentiones, vt electio tunc fieri non potuerit, incenso conclaui, & magna parte vrbis dolo malo quorundam Cardinalium, quos annalis Victorianus Vascones fuisse dicit. Ac nisi intercessissent preces Philippi Comitis Pictauiensis, nō tam citò conuenissent. conuenere aûtem Lugduni in templo Dominicanorum, quod inter Ararim & Rhodanum situm est pervigiliis Petri & Pauli anno millesimo trecentesimo decimo

ſexto, id eſt, biennio poſt deceſſoris obitum. Dantes philoſophia & poëſi affluens ad Cardinales Italos tunc literas miſit, quibus hortabatur vt vni rei darent operam, ſi fieri poſſet, ne ex alia gente quàm ex Italica Romanus pontifex crearetur: verùm id fruſtra ab eo factum eſt, vt in Ioanne mox dicemus.



IOANNES XXI. *vulgò* XXII.



DECESSOREM ſuum fuiſſe Clementem quintum teſtatur Ioannes ſacra cōſtitutione quam Lugduni dedit decimo ſexto Cal. Octob. pōtificatus ſui anno primo, vbi fœlicis recordationis Clementem Papam quintum prædeceſſorem ſuum appellat, & ea epiſtola quam Bononienſi Academiæ ſcribit, Clemētinas conſtitutiones obſeruari legíque præcipiens, quas non potuerat Clemens mittere ad ſcholas pontificij iuris. Magno igitur beneficio affectus ab eo donatúſque Cardinalitio honore, memorem ſe fuiſſe Ioannes illo facto oſtendit. Cadurci in vrbe Aquitaniæ appoſita Olto amni in Garumnam influenti natus erat, patre Arnaldo cognomine Deüſa, miſeri viliſſimíque ſutoris filius. Affectatus fuerat Epiſcopum Arelatéſem Caroli ſecundi Neapolitani regis Cancellarium, cuius ſumptibus ſcientia rerum maximarum inſtructus eſt: Arelatenſi verò mortuo ſuccedere iubetur à Roberto rege, & ſcrinij regij curam habere, tātúmque effecit indu-

ſtria ſua vt Auenionenſis archiepiſcopus fieret, mox Cardinalis à Clemente quinto renunciatus, eóque mortuo cùm Cardinales biennium altercãdo neminem elegiſſent, cõſenſere vt põtifex crearetur quẽ Iacobus voluiſſet, quod per iuris canonici diſciplinã neſcio an fieri poterat: voluit verò ipſe pontifex deſignari. Hãc eius ſententiam probauit Neapoleo Vrſinus, cæterique Cardinales veriti ne quẽ alium minus ſibi gratum haberent. Itáque octauo idus Augusti anno milleſimo trecẽteſimo decimo ſexto pro Auenionenſi Romanus pontifex Lugduni in templo Ioannis Baptiſtæ auguſtiſſimo coronatus eſt non. Septemb. próque Iacobo Ioannis impoſterum nomen accepit. Vir quidem corpore exiguo & ingenio magno, honeſtæque vitæ teſtimonium ſecum afferens, vt Victoriani annales exponunt ſcripti anno milleſimo trecenteſimo vigeſimo ſecundo. Eſt in agro & finibus Cadurcorum illuſtris familia Carmagniorum Comitum, quæ Ioannis maximum ſacerdotium adepti affinitatẽ ſtatim petiit, datáque illius gẽtis primogenito in matrimonium fratris filia, gentilitium quoque inſigne accepit, eóque vſus eſt, duobus videlicet Leonibus, qui eretis caudis ſaliunt, & eorum alteri in ſummo pede lilium ineſt, cum quatuor interſecantibus lineolis. Cardinales verò ex agnatis vel conſanguineis ſuis tres tãtùm inſtituit, Ganzelinum Deüſam fratris filium, Iacobum & Arnaldum cognomine Vias, & Raimundum Podietum. hi erant ſororum filij. Ex tribulibus autem ſuis ſex tantùm fecit: quo in numero fuit vir ſpectatæ nobilitatis atque virtutis Michaël Hebrardus à ſancto Sulpitio. Ac ſuperſunt admirandæ ſubſtructiones in vrbe Caducenſi, quæ adhuc dicuntur illorum fuiſſe. Cæterùm beneficia e-

ius in patriam nataléque solum, hæc ferè sunt: iuris ciuilis ac Pontificij aliarúmque disciplinarum publicam Academiā Cadurci instituit, vnde multi præclari viri vtilésque reipublicæ prodierunt. Cathusianorum cœnobium fixit in eo loco quem Templarij prius obtinuerant, id est ad ipsa vrbis mœnia. Denique palatium ingēs in editiore vrbis parte ædificari curauit, & ad eius angulum præaltā turrim quæ etiamnum stat, retinétque auctoris sui familiare nomen, Deüsa enim adhuc vocatur: Porrò iuxta id palatium non ignobile opus extrui iussit, basilicam Bartholomæo apostolo sacram. Feruntur de illius sermone & Pontificatu & gestis prouerbia multa sanè non illepida, & præsagia illius ad Pontificatum plebeis Cadurcēsibus notissima. Hęc sunt quæ in gratiam suorum Ioannes pontificatum adeptus fecit, eáque accepimus ab Antonio Hebrardo, qui lōgo interuallo post Michaëlem Sulpitianæ familiæ decus floret in episcopatu Cadurcensi, eóque iure est Baro & Comes municipij Cadurcensis in regione optimi vini feracissima, ne quid amplius dicam. Cadurci enim populi à Iulio Cæsare in Commentariis celebrantur. Nō paruo quoque beneficio affecit Montis regij oppidum Carcassonensis, & Pauli apud Fœniculum in Pyreneis Aletensis diœceos, institutis duobus canonicorum collegiis, quòd illi populi tunc rudes pietatis egere eo beneficio viderentur. Quid autem fecerit, quod publicè interesset, breuiter commemorabo: Thomam Aquinatem nobili familia ortum, philosophúmque & theologum magnæ auctoritatis & nominis, ob multas quib⁹ excelluerat animi virtutes, in diuos referendum censuit, cùm pridem iuxta Priuernum pontificij iuris vicū, nec procul à Stura seu Nympheo amne in

cœnobio Cisterciẽsium Fossæ nouæ, in cuius templo monumẽtum eius ex marmore adhuc visitur; obiisset anno à partu virginis millesimo ducẽtesimo septuagesimo quarto, ætatis verò suæ quadragesimo nono: obiisset inquam ex veneno, quod illi regius Medicus Neapoli discedenti officiosè oblato illi munusculo prębuisset, vt Villane⁹ narrat. Dicebat Thomas malle se vti frui Chrysostomi libris in Matthęum, quàm possidere fruíque Lutetia Parisiorum clarissima vrbe, ídque ab Oldrado iurisconsulto, qui sub hoc Ioanne Auenione viuebat, memoriæ proditum est. Dignus ergo fuit quem Ioãnes in diuos referret ob maximos labores in Theologia discenda docendáque perpessos, óbque egregiam vitæ sanctitatem quæ in eo refulsit, maiúsque ingenium Europa à mille retrò annis non tulit, vt non sine causa Demetrius Thessalonicensis eius libros in Græcum sermonem cõuerterit, qui adhuc in Vaticano cernũtur. Et hic quidem pontifex vir doctissimus fuit, quod Petrarcha testatur libro secundo rerum memorandarum his
» omnino verbis. Principum moribus intendere, & quæ il-
» lis saluo decore placeant excogitare, non inutile cõsilium
» egẽti. quod si vmquam, clarissimè diebus nostris apparuit,
» sub Ioanne XXII. Romano Pontifice. homo perstudiosus,
» & vehementioris animi, huic lectioni librorum inhiabat:
» illinc simultates acerbas & inextricabiles agens cum Im-
» perio Romano, alteram vitæ partem huic studio deuoue-
» rat. Cæterùm cùm à legendo & senium & curarum varie-
» tas retarderet, gratissimus erat illi quisquis defloratos vt
» propriè dicã libros sub breuiloquio perstringeret, redige-
» rétque in eas quas tabulas vocant, in quibus omne quod
» ex libris quęreretur facillimũ esset inuentu. Rursus affectu

alio impulsus nihil cupidius audiebat, quàm rumores ex Italia Germaniáque. has enim antè alias supra stomachum gerebat, quibus audiendis, siue veri, siue nihil ad rem, modò læti essent atque magnifici, mirum in modum, creduli senis incensum pectus mulcebatur. His duabus igitur viis multos eo tempore vidimus, ab extrema inopia raptim ad magnas diuitias peruenisse, ex illorum grege præcipuè qui religionis titulo gloriantes, quam professi videntur paupertatem præ cunctis mortalibus exosam habent. Ab hoc hominum genere Ioannes imprimis colebatur. Extat Augustini Triumphi Anconitani volumen de potestate ecclesiastica editum, dicatúmque Ioanni pōtificatu anno quarto: quem sanè virum propter eruditionem & in dicēdo scribendóque perspicuitatem, Ioannes insigni aliquo beneficio esset prosequutus, nisi fata nobilē excellētémque theologum sustulissent Neapoli octauo anno post id volumen Ioanni conscriptum. Gallia autem adhuc queritur episcopatus plures ab eo diuisos locatósque parum idoneis locis, cùm antè in longè optimis opulētissimísque vrbibus Episcopos tantùm haberet. Nec Leonis in ea re præceptum aut cōsilium probauit, etsi Episcopi vrbis: E-
" piscopalia, inquit, gubernacula non nisi maioribus popu-
" lis & frequentioribus ciuitatibus præsidere oportet: ne
" honor cui debent excellentiora committi sui, numerosita-
" te vilescat. Ex superioribus Petrarchæ verbis Ioannem in Italia bellum gessisse intelleximus, cùm Ferraria vrbs rebellionem ecclesiæ fecisset, pręsidiariis militibus occisis, & sororis filium Bertramum Cardinalem in eandem prouinciam misit stipatum octingentis equitibus cisalpinis, cùm nollēt Vicecomites ab obsidione Genuæ Ligurum disce-

dere. Interim moritur Dantes Rauennæ mense Iulio anni millesimi trecentesimi vicesimi primi, dignus ille quidem perpetua hominum recordatione ob excellens & veritatis amans ingenium. Hic Clemente quinto mortuo, epistolam ad Cardinales Italos Latinam scripsit, eos monens vt de Italo ad pontificatum promouendo cogitarent, consulerént que patriæ penè ruenti. Exinde bella pontifici gerẽda fuere aduersus omnes ferè Italiæ regulos, libertatis populorum hostes, & longa illi concertatio fuit cum Ludouico Bauaro Cæsare designato, à quo Ioannes ipse Romæ in frequentissimo hominum conuentu exauthoratus est: quin Bauarus legem tulit ne imposterum pontifici Romano absenti esse liceret vltra tres menses, néve vltra viginti milliaria ab vrbe progredi. Propugnatorẽ verò habuit Ludouicus aduersus Ioannem & Romanos pontifices quotquot futuri sunt, virum excellẽti ingenio, sed nequaquam probo, Massilium Patauinum, cuius libri extant non quidem verborum, sed rerum apparatu prorsus admirandi. Petrum quoque Corbariensem ex ordine Franciscanorum pontificem maximum creauit mense Maio trecentesimo vicesimo octauo, quem postea Pisani captũ Auenionem misere, vbi infœlix inserto in collum laqueo abiecit se ad pedes veri pontificis, veniámque ab eo petiit, & vitam deprecatus est. Ne tamen Respub. Christiana turbaretur si liber in Italiam rediret, cubiculum, libros, custodes & victum in palatio Auenionensi illi dedit, custodibus mandans ne quemquam alloqueretur. itáque in illo silentio viuens post triennium mortuus est. Ergo à pontifice bene acceptus, honestissiméque habitus Nicolaus antipapa, eo quo diximus modo obiit, ídque de eo in Pistoriẽsium annalibus

annalibus commemoratur ad annum millesimum trecentesimum vicesimum octauum. At verissimè omnium de Petro narrat auctor breuissimi Catalogi Episcoporum Romanorum, quem Viennensis ecclesia ad nos misit. refert enim Petrum Rainalucium Reatinæ diœcesis ordinis minorum fuisse, spretáque legitima vxore Ioãnis Matthęi filia, sacris initiatum, designatúmque pontificem Romanum à Ludouico Cæsare, postea captum perductúmque
» Auenionem: vbi in publico consistorio recitauit profes-
» sionem huiusmodi. In nomine Dei patris omnipoten-
» tis, & filij, & spiritus sancti. Quoniam iuxta Sapientis do-
» ctrinam, occultantibus scelera sua denegatur directio: pu-
» rè autem confitenti, & ea penitus deserenti, est misericor-
» dia repromissa: Idcirco, ego frater Petrus de Corbario, de
» ordine fratrum minorũ, sceleratissimus peccatorum, hoc
» considerans & attendens, volens in misericordia veritatis
» quam vbique deserui dirigi, & misericordiam & gratiam
» inuenire, quamuis nuper Pisis existens coram reuerendis
» patribus Domino Simone Archiepiscopo Pisano, & Do-
» mino Guilielmo Episcopo Lucensi, & discreto viro magi-
» stro Raimundo Stephani clerico papalis cameræ & apo-
» stolico nũcio, præsentibus multis prælatis aliis, ac religio-
» sis & nobilibus ac popularibus ciuitatis Pisanæ, errores
» meos & scelera spontaneè cum ingenti cordis amaritudi-
» ne confessus fuerim, & à pręfatis Archiepiscopo & Epi-
» scopo auctoritate apostolica per literas apostolicas paten-
» tes eis in hac parte concessas, lecta priùs confessione mea
» & abiuratione errorum meorum, & præstito iuramento
» de stando & parendo mandatis apostolicis, beneficium
» absolutionis habuerim, ab omnibus sententiis iuris &

» hominis, nihilominus tamen adhuc errores meos & ſcele-
» ra mea in præſentia ſanctitatis veſtræ domini Ioannis ſum-
» ma prouidente clementia ſummi pōtificis veri & vnici do-
» mini Ieſu Chriſti in terris vicarij, & eccleſiæ ſacroſanctæ
» catholicæ, & in præſentia veſtri ſacri collegij dominorū
» Cardinalium conſtitutus intendo & volo recognoſcere &
» abiurare errores meos, & alia facereque quæ veſtra ſanctitas
» duxerit ordinanda. Imprimis itáque confiteor & cum in-
» genti amaritudine animi recognoſco, quòd cùm ſeductor
» ille ſchiſmatic⁹ & hęreticus manifeſtus Ludouicus à Baua-
» ria dudū iure ſi quod ſibi quæſitū fuerat ex electione diſ-
» cordi de ipſo in Regem Romanorum celebrata, iuſtè pri-
» uatus fuiſſet per ſedem apoſtolicam, ac vt hæreticus & fau-
» tor hęreticorum notorius de multis hæreſibus & fauto-
» riis hæreticorum ac ſchiſmatibus condemnatus ad vrbem
» Romanam imbutus diabolico ſpiritu perueniſſet, religio-
» ſus vir miniſter Romanæ prouinciæ ordinis fratrum mi-
» norum, ac dominus Ioannes Dei gratia ſancti Theodori
» Diaconus Cardinalis ſedis apoſtolicæ & ſanctitatis veſtræ
» legatus, pro maiori obſeruatione interdicti, cui tunc erat
» per vos ſanctiſſime pater ſuppoſita vrbs prædicta, eiuſdē
» Ludouici aduentu percepto mihi & aliis fratribus in eadē
» vrbe morantibus ſub virtute obedientiæ & excommuni-
» cationis pœnis, quas non parentes ipſo facto incurrerent,
» publicè iniunxiſſent vt dictam vrbem omnes & ſinguli
» exiremus: Ego tamen infœlix peccator præceptis huiuſ-
» modi non obſtantibus in eadem vrbe pręſente domino
» peſſimo hæretico & ſchiſmatico Ludouico, & aſſiſtētibus
» ei pluribus aliis ſchiſmaticis & etiam hęreticis cōdemnatis
» & reprobatis per ſanctitatem veſtram & eccleſiam ſanctā

" Dei pertinaciter remanere præsumpsi: & in ea licet esset iu-
" stè & sanctè per vos ecclesiastico interdicto supposita, ce-
" lebraui diuina sępius, imò quantum in me fuit verius pro-
" fanaui. Deinde cùm idem perfidus Ludouicus datus in
" sensum reprobum se de facto fecisset in Imperatorem à
" certis Romanis perfidis coronari, & contra vos beatissime
" pater diabolicam & iniquissimam depositionis, imò ve-
" rius abusionis promulgasset sententiam & processus diuer-
" sos temerarios falsos & iniustos, méque ad quorundam in-
" fidorum principalium Romanorum clericorum & laico-
" rum instantiam eius sequentium vnà cum certis de clero
" & populo perfidis eius complicibus & fautoribus ad hoc
" secum vocatis in Papam & summum pontificem, imò ve-
" rius antipapam dãnatum & pestiferum elegisset: Ego mi-
" ser inductus imò seductus fui, & multorum tam clerico-
" rum quàm laicorum eius fautorum & sequacium dictæ
" vrbis precibus importunis & perurgentibus instantiis ac
" infestis falsò & erroneè asserentium, quòd Papam Impe-
" rator deponere poterat, & loco depositi aliũ ordinare: Et
" quòd per cõsequens eidem hæretico & schismatico Ludo-
" uico, qui tunc in futurum Imperatorem denuò se corona-
" ri de facto fecerat, & vos pater beatissime abusiuè depo-
" suerat in ea superbissima elatione more Luciferi ambitio-
" néque damnabili, nihilominus execratus huiusmodi ele-
" ctionẽ tam nefandè quàm reprobè, imò malitiosè cõsen-
" sum meum temerarium & omni pœna dignissimum non
" erubui, adhibere ac subsequenter consecrari, imò execrari
" ab hæretico & schismatico Iacobo dudũ Castellano Epi-
" scopo, & excommunicato, & deposito, & coronarià dicto
" Ludouico de Bauaria hæretico me permisi, licet ad eum &

» si veriùs Imperator existeret, sicut re vera non erat, egóque verus essem Papa, sicut in veritate non eram, sed antipapa potius schismaticus, hæreticus & iniquus, nequaquam talis coronatio pertineret. Item quòd Cardinales, imò veriùs anticardinales, & omnes officiales quos verus Papa est habere solitus, de facto ordinare præsumpsi, bullámque more Papæ, licèt essem reprobus & damnatus, fieri feci & habui, eáque vsus fui temerè & vbique. Et vt statum meum peruersissimum, & Ludouici prædicti damnati ob falsas opiniones hæretici & schismatici, Michaël de Cesena dudum minister generalis ordinis fratrum minorum, scilicet quòd Christus & eius apostoli in his quę habuisse dicuntur, non habuerunt nisi tantum vsum facti simplicem, possem fortiùs & promptiùs stabilire Dei timore postposito, extendens ad omnia illicita & manus meas, processus & depositionis sententiam Ludouici prędicti hęretici manifesti contra vos sanctissime pater, & fulminatam supplere omnem defectum, si quis esset in ipsis, ex certa sententia & de plenitudine potestatis non solùm illos confirmare, & mei scripti communire patrocinio non erubui, sed & denuò seminare, declarare publicè omnia & singula in dictis processibus promulgata præsumpsi. In quibus quidem processibus Ludouicus prædictus pronunciabat fore hæreticum, & scripturæ sacræ contrarium dicere, quòd Christus & apostoli in his quę habuisse leguntur, habuerunt aliud quàm simplicem vsum facti. Ex qua quidem pronunciatione euidēter concluditur, ipsum & me etiam ex confirmatione, pronunciatione & prędicatione prędictis in damnatam hæresim post constitutionem vestram apostolicam de fratrum vestrorum.


» promulgatam consilio incidisse. Et nihilominus ad diuer-
» sos reges & principes meas literas destinaui, per quas ad
» eorum notitiam deducebam, quomodo vos pater beatis-
» sime, cui multa flagella hæretica & erronea in eisdem lite-
» ris imponebam, suggerētibus dictis hęreticis sceleratis Lu-
» douico ac Michaële, ac iuxta votū suum ordinātibus per
» eundem Ludouicum, ac per me fueratis depositus & sen-
» tentialiter condemnatus: eosdem reges & principes exhor-
» tando nihilominus & rogando, quòd vobis tamquam Pa-
» pæ non parerent in aliquo, nec fauores aliquos exhiberēt,
» sed contra vos potius mihi & dicto Ludouico præberent
» auxilium, consilium & fauorem. Nec his contentus tam in
» vrbe quàm in pluribus ciuitatibus & locis aliis clericos &
» seculares & regulares compuli: vt non obstante interdicto,
» cui per vos sanctissime pater erant subposita loca ipsa in
» eisdem celebrarent, imò verius quantum erat in me profa-
» narēt diuina. Tallias quoque in ecclesiis posui tam in vrbe
» quàm alibi, pro quibus calicibus, ornamentis & nonnullis
» rebus aliis ipsas spoliaui. Fideles insuper pręlatos nonnul-
» los clericos in dignitatibus & beneficiis aliis ecclesiasticis
» constitutos suis priuaui pręlationibus, dignitatibus & be-
» neficiis aliis ecclesiasticis, in illis pręficiendo vel hęreticos,
» schismaticos vel eorum fautores, & plerumque nō absque
» simoniaca prauitate, quibus in illis scilicet quorum hæc
» pręlatio requirebat de facto, cùm de iure non possem per
» me vel alium munus consecrationis, imò verius execratio-
» nis impendi. Contra fratres quoque minores non paren-
» tes Michaëli prædicto tāquam generali ministro, qui tum
» depositus erat, iustè etiam condemnatus de hæresi ac schis-
» maticus declaratus, & alius per generale capitulum cōcor-

» diter in Generalem assumptus, & contra seruantes interdi-
» cta per vos vel legatos seu officiales vestros alios promul-
» gata, vtroque spirituali videlicet & temporali gladio pro-
» cedere non expaui. Eidem Michaëli & sequacibus suis hæ-
» reticis & schismaticis in percipiendo iniustè & temerè au-
» xilium & fauorem, indulgentias insuper, dispensationes
» sedi reseruatas apostolicè concedendo, de facto etiam fa-
» ciendo, nonnullis quoque qui pro pōtificibus se gerebāt,
» commisi vt sacros ordines celebrarent. In quibus ordini-
» bus plures, vt credo, ad sacros ordines promouerunt teme-
» rè, cùm eis virtute profatæ licentiæ non liceret. De patri-
» monio quoque beati Petri in nōnullis locis ad tempus &
» interdum in perpetuum disponere non expaui. Hæc om-
» nia & plura alia contra Deum & sanctam catholicam ec-
» clesiam ac vos beatissime pater verum & vnicū Iesu Chri-
» sti vicarium recognosco, & confiteor nulla fore, & cassa &
» inania velut ab eo cui faciendi non competebat ius ali-
» qua attemptata. Quódque quantum ad me spectare po-
» test, quatenus processerūt de facto reuoco, & nulla fore &
» fuisse pronuncio & declaro. Confiteor insuper me crede-
» re & tenere fidem illam quam sancta Romana ecclesia te-
» net, ac vos pater sanctissime tenetis, prædicatis atque do-
» cetis. Huiusmodi confessionem auctor Viennensis cata-
» logi cùm recitasset, addit quæ sequuntur de suo. Pòst au-
» tem facta confessione prædicta, in iudicio abiurauit om-
» nes & singulos errores & articulos erroneos supradictos
» expressim & sigillatim, & iurauit parere mandatis ecclesię
» & domini Papę, petens misericordiam & absolutionem à
» vinculis excommunicationum, & reintegrari ecclesiæ v-
» nitati, à qua deuiauerat. Fuítque per eundem dominū Pa-

» pam absolutus & reintegratus ecclesię vnitati, reseruata or-
» dinatione & declaratione pœnitētiæ sibi iniungendæ pro
» præmissis. De quibus & singulis fuerunt ad æternam rei
» memoriam facta publica instrumenta, data Auenione o-
» ctauo Id. Septemb. pontificatus præfati domini nostri Pa-
» pæ anno decimo quinto, dominicæ incarnationis mil-
» lesimo trecentesimo trigesimo. Quibus peractis præfatus
» Petrus fuit clementer & misericorditer susceptus ad pœ-
» nitentiam, & positus in decenti custodia ad cautelam: vt
» probaretur an ambularet in tenebris vel in luce, ibíque ho-
» die quo hoc scripsimus tractatur vt familiaris, sed custo-
» ditur vt hostis. Veniendum tandem ad vltimum Ioannis annum, quo tantus Auenione & finitimis locis cæli feruor inualuit, vt ferè omnis vmbilico tenus nuda plebs altis atque miserabilibus verbis ac verberibus mali finem, pluuiam & aëris temperiem precaretur, vtar enim Petrarchæ verbis ex epistola ad Brunum, quæ libro nono rerum Se-
» nilium continetur. Memini, inquit, tunc penè omnium
» omnis sexus atque ętatis vultus, colla & manus, cutim qua-
» si squamas quasdam more serpentum exuisse, vt si quis ra-
» rus ardoribus illis inuiolatus obsisteret, non tam carneus
» quàm ferreus putaretur. Ioannes autem Pontifex congestis in numerato decies septies centenis florenorum aureorum millibus, quod veterū Pontificum acciderat nulli, vt libro vndecimo Villaneus exponit, anno decimo octauo gesti pōtificatus, ætatis suæ nonagesimo, cùm extra Oceanum decretalium natantes in alto gurgite epistolas legésque suas publicari docerique imperasset, Auenione decessit, conditúsque est in templo virginis à donariis dicto: vir quidem paruus corpore, magnus & acer ingenio, inuictus,

fœlix, eruditus, iracũdus, at modestus, & in potu victúque sobrius. Vt vir tantus in Italiam rediret, Itali omnes optauere, ipséque Oldradus Bononiensis illũ hortatur vt Romam redeat, copiosè exponens quamobrem eum è Gallia discedere oporteat. Triennio ante mortem magistris ac discipulis Academiæ Parisiensis concessit fructus ac prouentus beneficiorum ecclesiasticorum, & si in eis non resideret, ídque priuilegium dedit quarto non. Nouemb. Sed id Clemens sextus tertio non. Martij, pontificatus anno quarto in septennium tantùm extendit: Beneficia autem Ioannis in Cadurcorum vrbem vsque ad nostram ætatem durarunt, quo tempore noctu capta est à Caluinianæ sectæ militibus, direptáque sunt ecclesiastica vasa, atque ornamenta ab eo in patriam collata. Id quo anno acciderit indicare est operæpretium, accidit igitur anno millesimo quingentesimo octuagesimo mense Maio, multis sacerdotibus, aut oppidanis ferro cæsis, spoliatis omnibus templis, priuatorúmque domibus, ipsa quoque vrbis Archiua, quibus vetustatis monimenta rerúmque memoria adseruabatur, penitus intercidêre.

BENE-



BENEDICTVS XII.




OANNEM Fabrum excellẽtem illius ætatis Iurisconsultum, si quis fortè ad institutiones iuris ciuilis à se editas legerit, reperiet hęc verba: Quis iudex exigeret probationẽ, si negaretur Ioannem Cadurcensem, Papam fuisse, vel Benedictum post eum? Igitur Benedictus Ioanni successit, ambo æquè ignobiles: de altero quidem diximus, hunc molitoris filium in agro Tholosatium fuisse fama est. at ignobilem esse pontificem Romanum maxima interdum nobilitas est, præsertim cùm obscuritatem generis illustrant radij splendentium virtutum, ab ijs namque nobilitatẽ accipimus. Itáq; Iacobus Furnus Guilielmi filius infimo apud Sauardunum natus loco, id est oppidum ad Aurigerá amnem cis Pyrenæos sitũ, Cistercensem ordinem professus est, à Cistertio dictum monasterio in Burgudionum finibus sito, de quo epistola ad Sagramorum equitẽ & monachum Petrarcha loquitur cùm ait: O Cistertium sacra domus! arcanísque theologiæ sic operá dedit, vt eum similitudine studiorum Ioannes Cardinalem esse iusserit. at nõ tantùm Cardinalis, sed progressu temporis Põtifex quoque factus est. Ioanne enim mortuo pridie nonas Decemb. viginti quatuor Cardinales, neque enim plures tunc erant, à Præfecto Prouinciæ inclusi sunt, vt põtificem aliquem orbis haberet. ac prius obtulere pontificatum Cardinali optimo & generoso viro Co-

miti Conuenarum fratri, ea lege vt nũquam Romam iret: id pactum contra ecclesiam esse dixit, quare mutata sententia quasi conuersi ad minimum Cardinalium, virum honestæ quidem laudatæque vitæ, ipsum quem nũquam electum iri animis conceperant, elegere. Ita enim fit plerúmque vt Cardinales de quo desperent, eum velint pontificem; quem sperent esse, nolint. Cæterùm Deus occulto consilio quem vult eum à concordibus discordibúsque eligi permittit, vt Benedicto accidit, pervigiliis D. Thomæ apostoli decimo quarto Cal. Ianu. 1334. Mirabantur ipsi electores quomodo illum elegissent, & ipse multò magis, exclamauitque, asinũ elegistis, nõ quòd sciens Theologiæ non esset, sed quia verebatur ne aulica negotia atque artes capere nõ posset. Igitur mense Ianuario Auenione in ęde Dominici corona redimitus, collegio Cardinaliũ in sumptus electionis dedit centena millia Florenorum aureorũ. Dein memor decessoris sui, cuius beneficio purpureũ galerũ sũpserat, opinionẽ eius de mortuorũ animis tã dilucidè exposuit, vt nullus superesset dubitãdi locus: decretúmque eius opinionis gratia fecit, & eos qui aliter sentirent hæreticos pronunciauit. Taceat ergo Caluinus necesse est, nec verba illa de Benedicti decessore proferat lib. 4. institutionum:
„ Expungãt è numero pontificum oportet
„ Ioannem vicesimum secũdum, qui palam asseruit animas
„ esse mortales, vnáque cum corporibus interire vsque ad
„ diẽ resurrectionis. Deinde quòd publicè interesset, reuocauit omnes gratias ab eodem decessore suo factas, quantum apud Oldradum reperio. Hæc enim illius sunt verba.
„ In beneficiis ecclesiasticis conferendis id potissimum ca-
„ uit, ne indignis darentur, sæpe dicens nolle se lutum exor-

„ nare.indignos enim illis honoribus homines luto comparabat. Agnatos quoque & consanguineos suos fingebat sibi ignotos esse, asserens Pontificem Romanum consanguineos non habere: cùm vero multi quotidie instarent vrgeréntque vt eos promoueret, subintulit hoc Dauidicũ carmen,quòd pro insigni argumento gerebat.Si mei non fuerint dominati, tunc immaculatus ero.Hoc quidem ab Alberto Argentinensi historico illius temporis traditur: victus tamen precibus piorum hominum sororis fratrísve filium Archiepiscopum Arelatensem esse iussit, eóque excepto cõsanguineum vel agnatum neminem agnouit.Bernardus historicus illius ætatis refert mercatorem Tholosanum diuitem se vidisse,qui Auenionẽ cum vxore sit profectus, quam Benedicti neptẽ (vt eius verbo vtar) esse aiebat.Quo cùm venissent,admissi ad colloquiũ magna facilitate indulgentiáque tractati sunt.Cæterùm hoc responsum Benedicti fuit,se quidem vt Iacobum Furnum illos agnoscere, at Pontificem renunciatum consanguineos & affines non habere,nihilque aliud ab eo obtinuerũt quàm sumptus in itinere factos,& qui domum reuersuris necessarij essent. Vir quidam eruditus eo libello quem scripsit de vitis Pontificum,eadem planè de Benedicto memorat, qui sanè falsò tribuitur Petrarchę,tametsi is sub Benedicto viuebat, adolescentiam enim suam à turpibus studiis & maleficis artibus abhorrẽtem cognitam fuisse Benedicto gloriatur epistola ad Talauandum Albanensem Episcopum. Epistola verò ad Vrbanum quintum fatetur se adolescentem dedisse literas ad Benedictum duodecimum vt Romam veniret. De eo quoque narrat eademepistola quod sequitur.Cum Benedicto duodecimo Vul-

» sinij lacus anguillæ miræ magnitudinis & saporis insoliti
» missæ essent, & ipse admirans eas inter Cardinales diuidi
» iussisset exigua sibi parte seruata, non multis pòst diebus
» dum ad eum ex more conuenisset, earũdem mẽtione or-
» ta, vt erat iocosus in sermone, Si prægustassẽ, inquit, sciuis-
» sémque quales erãt, nõ fuissem tam largus distributor: sed
» nunquã credidi tale aliquid nasci posse in Italia. quo dicto
» Ioannes Columna Cardinalis semper mihi reuerenti sus-
» pirio memorandus, sub quo illis in locis adolescẽtiam to-
» tã egi, vultu motus atque animo, erat enim colore nobi-
» lis, & qui nihil vel visu fœtidum vel auditu absonum pa-
» ti posset, subitò sic exarsit, vt diceret mirari se quid ita vir
» doctus, qui tam multa legisset, excellentem cunctis in re-
» bus Italiam ignoraret. Refici autem pontifex iussit tectum Basilicæ Petri in vrbe, Auenionéque palatium ingens magna ex parte exædificauit, & Lutetiæ Parisiorum pulcherrimum templum Bernardinorum. nam collegium in quo Cestercienses nunc quoque instituuntur, opus est Stephani Abbatis Clareuallensis anno millesimo ducentesimo quadragesimo quinto exædificatum, vt in annali Victoriano legisse me memini. Longiori tantùm vita Benedicto opus fuit ad ecclesiasticam disciplinam instaurandam: sed Deo aliter visum. septimo enim & aliquanto amplius pontificatus anno ex tibiæ dolore, quam imperiti medici ne flueret, impedire serò conati erant, decessit vir beatissimus Auenione anno millesimo trecentesimo quadragesimo secundo. In eáque vrbe magnificum ei funus curatum est. Cæterùm quia locum quendam Iacobi Fabri prudentissimi iuris ad institutiones Iustinianeas, vbi mentio Benedicti facta est, sub illo enim Faber viuebat, initio huius e-

logij citauimus, placet eiusdem auctoris verba quoque illa
» notare: Papa in verbis, se dicit seruũ seruorum se nominã-
» do de facto, tamen se adorari permittit, quod Angelus in
» Apocalypsi refugit. Videtur autẽ id dicere quasi damnãs
cõsuetudinem, morémque eorum qui demississimè procumbunt ad pedes pontificios, vt signum crucis in superficie serici calcei intextum deosculentur: qui mos an sit antiquissimus nescio, nondum enim omnia legi, sed hoc scio consuetudinem illam Cisalpinis populis minùs probari quàm Italicæ genti ad huius generis obsequia & demissiones natæ, illámque constitutionem Imperatorum Theodosij & Valentiniani, quam Eudoxio præfecto prætorio scribunt, nõ erit, opinor, superuacuum atque inutile huic loco intexere ex libro primo Codicis Iustinianei, seu pontifices volent ea teneri, seu nolent, paria enim sunt
» in calceo crucẽ gestare atq; humi eã pingere: Cùm sit no-
» bis cura diligens per omnia superni numinis religionem
» tueri: signum Saluatoris Christi nemini licere vel in solo,
» vel in silice, vel in marmoribus humi positis insculpere, vel
» pingere, sed quodcumque reperitur tolli: grauissima pœ-
» na multando eo qui cõtrarium statutis nostris tentauerit,
» specialiter imperamus. Dat. XII. Cal. Iun. Herio & Ardabu-
» burio. Coss.



CLEMENS VI.



PVD Roſas tenuem vicum Lemouicinę gentis in Gallia natus Clemens ſextus, ablutúſque aqua Chriſtiana in templo Crucis, pro inſigni argumẽto patrię ſuę roſas geſtabat omnium florum ſuauiſſimas, quæ in palatio Auenionenſi & publicis operibus nunc quoque cõſpiciũtur. Bernardus Dominicani ordinis hiſtoricus qui Clemente ſexto in Gallia viuebat, tametſi opus ſuum de pontificibus Romanis dicat Ioanni pontifici maximo, id eſt Cadurcenſi, ſcribit Clementis patrem Guilielmum appellatum, matrémque cognominẽ fuiſſe, at pater eius binonius erat, vt in Gallia viri patricij ſolent eſſe. Rogerium enim alij, Monſtrium alij appellabant, eúmque Roſei vici dominum ac poſſeſſorem veriſimile eſt fuiſſe: vnde illi modici redditus prouentúſque erant, íſque hodie ad Montigniacam gentem emptionis iure pertinet. Roſeum quoque vicum Andium ad Ligerim flumen poſtea emerũt poſſederúntque diu Belfortij ſorore Clementis geniti, memores loci illius in quo auunculus natus erat. Clemens verò nondum exceſſerat pubertatis annos, cùm apud Caſam Dei in præaltis at vicinis Aruernorum iugis monachus fieri cupiit: vbi qui præerat, cognito eius pſpicaci ingenio illum Lutetiam mittit ad ſtudia doctrinę, tãta autem auiditate philoſophiam & theologiam amplexus eſt, vt tunc nemo melius, nemo diligẽtius in illis ſcien-

tiis versaretur, vt non sine causa Petrarcha literatissimum pontificem illum appellet. Theologum quidem excellẽtem cùm se præbuisset, subitò illum varij honores circumsistũt, auctúsque est amplissimis sacerdotijs. primùm enim Petri Mortuimaris Cardinalis Pictauiensis, tituli sancti Stephani in Cœlio monte, qui illũ vnicè diligebat, literis ad curiam vocatus, Ioanni doctissimo pontifici innotuit: móxque ab eo donatus est Prioratu Basilij apud Nemausum vrbem, ídque initium fortunę habuit. Cúmque cæterorum Cardinalium gratiam iniisset, in Abbatem Fiscanensem, deinde in Arelatensem Episcopum promotus est, mox regij scrinij, id est, Sigilli munere donatus, Senonensem Rothomagensémque Archiepiscopatum obtinuit. Voluit eum Ioannes Cardinalem facere inuito rege Frãcorum, qui nolebat consiliis Rogerij carere: sed Ioanne breui mortuo à Benedicto decessore Cardinalis amplissimum nomẽ accepit, vt à Ioanne Benedictus. Hoc deinde mortuo nonis Maij millesimo trecentesimo quadragesimo secundo, pontificis maximi culmen adeptus est, licèt in minori fortuna Petrus Rogerius tantùm fuisset. Benedictum vt nimis durum & asperum aulici fermè oderant, quia huic hominum generi ne boni quidem placent. At Clementem ob innatam clementiam & humanitatẽ egregiam omnes amabant. Pontificatum autem orsus est à designatione Cardinalium, mense enim Septembri eodem anno nouem cisalpinos creauit, ex Italia decimum. Is fuit Andreas Ghinus Florentinus patria, Tornacensium Episcopus, & Francorum Regis amicissimus, nam eius precibus à Clemente creatus dicitur. Dein Romanorum quoque rogatu impulsus, quorum maximè intererat, ob quæ-

ſtum & emolumentum id fieri, Iubilæum, quinquageſimo quoque anno decreuit. mortalium enim pauciſſimi dumtaxat centeſimum attingebant: proptereáque à Bonifacij ſtatuto eſt facilè diſceſſum. Anno itáque trecẽteſimo quinquageſimo incredibilis omnium Europæ gentium concurſus Romam eſt factus, ſpe conſequendæ liberationis delictorum. Quis tot labores miſerorum mortalium diligentius exponit, quàm Matthæus Villaneus Ioannis frater libro primo Florentinæ hiſtoriæ? Quin ipſius Clementis conſtitutio extat, qua in gratiam populi Romani id fieri iubet, anno milleſimo treceteſimo quinquageſimo, vti ex Villaneo diximus, datáque eſt Auenione ſexto Cal. Februarias, põtificatus anno primo, eiúſque initium eſt, Vnigenitus Dei filius. Romani quoque ciues per Stephanum Columnam & alios nobiliſſimos viros Clementem plurimùm rogabãt, vt ineunte pontificatu Romam D. Petri ſedem inuiſeret: ſe id quidem velle reſpondit, ſed nõdum poſſe. Profectionem illam Itali quoque omnes optabant, atque huc pertinet locus Petrarchæ ad Vrbanum quintũ.
" Dum, inquit, ſuper rebus Italicis, pro quibus ab Italia miſ-
" ſus eram, Clementem ſextum alloquerer, neque id quod
" volebam ſatis imprimerem, dixit inter cætera magno Ita-
" los emptum pretio optare vt Italiam noſſet, ſicut Galliam
" atque Britanniam. Intellexit vir ingenioſiſſimus quid vellem, ídque ſe optare reſpondit. Bauarus adhuc viuebat nihilo ſtudioſior Romanorum pontificum quàm antea fuerat. Itáque illum Clemens exauthorauit anno trecenteſimo quadrageſimo ſexto, dedítque operam rogatu Philippi Valeſij Francorum Regis, vt Carolus Boëmi regis filius Romanorum Rex diceretur, quem Germani vulgò vici-

næque gentes Imperatorem sacerdotum appellabant. At Bauarus anno proximè consecuto ab equo præcipiti casu labente oppressus extinctúsque est. Per id tempus Nicolaus Rentij filius Tribunum Romanum se ausus profiteri, ad spem libertatis. magnarúmque rerum ciues incitabat. Cuius rei certior factus Petrarcha, etsi temerè præclaram orationem de libertate recuperanda ad eum misit, quæ extat: sed quem habuerit exitum vitæ & quàm funestum ab eodē Petrarcha exponitur libro primo de remedio vtriusque fortunæ. Ea tempestate pestis per totam Italiam grassata est, & Florentiæ Tuscorum centena hominum millia occidit, vt Boccacius vir excellēti ingenio initio Decameronis sui scribit. illa Auenione quoque sæuiit trecētesimo quadragesimo octauo, id est pontificatus Clemētis sexto. agebat enim in comitatu eius sacerdos, idémque excellens Chirurgus & Medicus Guido Chaulia Gabalus, à quo id memoriæ mandatum est: decesśitque Auenione sub Vrbano quinto, & in cœmeterio Campi floridi iuxta Rhodanū præcipitē fluuium iacet, visitúrque tumulus eius à Chirurgis Auenionem incolentibus & ab ijs qui illam vrbem adeūt: vt verum sit de Chaulia illud poëticum dicere, vt cœli numen adorant. Magna tunc pietatis christianæ admirandáque opera Clementis fuere, erga eos qui tabe illa infecti erant, quos foueri sumptibus suis ac ne insepulti iacerent piè à seruis publicis proposita iustissima mercede sepeliri curauit in agro quem ipse emerat, vbi templum sacræ virgini cōstrui iussit, annuísque redditibus donauit, vt beneficij illius memoria ad posteros quoque peruenire posset. Ad Florentinos Pontifex quoque literas misit datas Auenione anno octauo pontificatus mense Maio, quibus Aca-

demiam illorum tunc nascentem priuilegiis ornabat, illic Theologiam & cæteras facultates doceri pręcipiens, Archiepiscopo Mediolanensi per solemnes nuncios se restitui in gratiam demississimè petenti, pacémque pro eo postulanti regi Francorum & Cardinalibus quibusdam consanguineis, etsi cæteri honestè id fieri non posse contendebant, tamen concessit, ea lege vt pro Mediolano & Bononia singulis annis vsque ad duodecimum proximè futurum pręstaret florenos aureos duodecies mille, & pro sumptibus belli aduersus eam gesti nuncij soluerent numerarêntque decem florenorum millia. Pace in hunc modum data, acceptáque pecunia, Clemens continua febri correptus extinguitur Auenione mense Decembri: in vrbe & Comitatu Venuxino à se emptis, cùm antea Prouinciæ portionē faceret, pertinerétque ad Neapolitanos reges à regibus Francorū oriundos. quāti verò emerit diximus in annalibus gentis nostræ. Pontificium palatium inchoatū à Benedicto decessore absoluendū curauerat, séxque rosę in frontispicio ædificiorum adhuc cernuntur, vt in ponte vrbis cuius quatuor arcus suis ipse impēsis fieri curauit. Est in ea vrbe templum augustissimum virgini dicatum, cui nomen à donis. in hoc templo Clemens tres canonicatus nobiles instituit, dedítque annuos redditus: & earundē dignitatum collatio nunc quoque ad Belfortios pleno iure pertinet, agnatorum ipsius Clementis filios. Sepultus verò est, vt supremis tabulis mādauerat, apud Casam Dei monasteriū vt ostēdimus Aruernorum gētis, Vellaunis populis vicinæ. quo in monasterio adhuc visuntur aulæa antiqui operis à Clemente ipso donata, certíque & annui redditus percipiendi. Quam ob causam sex rosas solent monachi

permiſcere inſignibus ſuis, vt vel hoc vno teſtimonio beneficij accepti memores ſe teſtētur fuiſſe. Sepulchrum autem in choro eccleſiæ monaſterij illius quod ipſe viuens Auenione à peritiſſimis artificibus fieri curaſſet, ex candido & Pario marmore compoſitum erat, exornatúmque agnatorum & affinium imaginibus, per quos funus curari, ac ſe mortuũ eo deferri iuſſerat. quo in numero Bernardus hiſtoricus Belfortium Comitem ſororium eius fuiſſe narrat. Ipſius verò ſtatua marmorea ſuperpoſita tumulo viſebatur ante hæc peſtifera bella, quibus Gallia penè deformata eſt, cùm de religione inter Caluinianos & Catholicæ defenſores ageretur. At monaſteriũ ipſum anno milleſimo quingenteſimo ſexageſimo ſecundo cùm obſideretur Anicium Vellaunorum. capitur à Monjoue ſororio Blaſconis Allobrogis, cuius milites pluſquam barbari templum diripiũt, ſtatuam eius marmoream confringunt, ſepulchrum violant atque diruunt: vbi Clemens ipſe penè formidabilis iacebat. armati enim hominis ſtatuam exhibere videbatur, quia ſingulę corporis partes plumbo tectę erãt. Cadauere igitur nudato nihil præter oſſa & cineres repererunt, eáque in flammas miſere militari ioco clamantes. An te putas magne põtifex plũbeis armis cacodæmonẽ victurũ? Et ſi verò ſtatua Clementis cõminuta eſt, vt diximus, imago tamen eius adhuc cernitur Lutetiæ Pariſiorum in vitrea feneſtra quæ prima omnium occurrit ingredientibus templum Sorbonicæ domus, vbi flexo genu, & manus ad cœlum tẽdens, ſupplicíſque habitu virginem ſacram veneratur. id enim templum publicis literis ab eo datis, & propoſita omnibus Chriſtianis delictorũ venia conditum eſt. Itáque imaginem illam antiqui operis ſic inſcri-

ptam videmus. CLEMENS PAPA SEXTVS PROVISOR HVIVS DOMVS: ibi habitant Theologi à Roberto Sorbone qui primus collegium instituit sic appellati. Porrò Prouisorem à prouidendo dictum constat, quia eius partes sunt prospicere Academiæ commodis, & potissimum Sorbonicæ societati consulere. mortuo enim decessore fit conuentus in aula Sorbonica, vbi Prouisorem deligunt in animo Regis, & gratia validum: isque semel electus, omni deinceps vita consulit vtilitati publicæ, & alumnos Sorbonicæ domus designatos, ij sunt Theologiæ studiosi, datis literis confirmat. Ac Clemens quidem thesauros ecclesiæ liberali manu penéque profusa distribuit propinquis & consanguineis suis, ipsos locupletes ac diuites, memorésque sui esse cupiens: Nicolaum Rogerium patruũ suum mortuo Aimerico decessore Archiepiscopatu Rothomagensi donauit, eo ipso anno, quo pontifex renunciatus est, extátque adhuc in chartario Rothomagensis templi diploma, quo propter senium Auenione ipse residens Procuratores instituit, qui nomine suo à subditis iureiurando interposito obsequium & fiducias accipiant. id instrumẽtum datum Auenione, decimo nono Cal. Ianuarias 1343. ostendit nobis Marianus ecclesiæ Rothomagensis Canonicus & Cancellarius. Cardinales verò instituit, fratrem suum nomine Petrum, qui Tutelensis cognomen accepit, atque apud Casam Dei sepultus est: Guilielmum Iudicem sororis filium, sciẽtia iuris instructissimum: Gardiam Guillotinum Lemouicem affinem suum, ex familia quæ nunc quoque nobilis claráque habetur: Hugonem Monstrium Episcopum Ruthenorũ: Guilielmum Benedictinæ familiæ alumnum, quem à pubertate domi semper habuerat,

iámque electum in Archiepiscopum Cæsaraugustanum, ídque ab Hispanis in Clementis gratiam factum nulla dubitatio est. Quosdam etiam nulla habita ætatis ratione, & in his aliquot penè pueros creauit, vt Petrum Belfortium, Ioannæ sororis filium, Vrbaníque postea successorem, qui vicesimum ætatis annum nondum attigerat. A fœminei sexus deliciis ne pontifex quidem abstinuit, quin decumbentem in lecto, & morbo quo esse desiit laborantem, solæ fœminæ consanguineorum vel affinium vxores, earúmque pedisequæ rexerunt. Hæc & alia eiusdem generis à Matthæo Villaneo narrantur libro tertio Florentinæ historiæ. Ante verò hunc supremum morbum febri vexatus est, vt ex epistola Petrarchæ ad eum scripta intelligimus. Porrò memoria quanta fuerit, & quale in capite vulnus acceperit, idem Petrarcha lectoribus exponet libro » primo rerum memorandarum. Clemens sextus egregius » nunc Romulei gregis pastor, tam potentis & inuictę me» moriæ traditur, vt quicquid vel semel legerit, obliuisci e» tiam si cupiat, non possit: hoc sibi & studiorum nutrix al» ma Parisius, & orbis vniuersus tribuit. Ego enim etsi sæpè » ante pedes eius fuerim, tamen de hac re nihil præter fa» mam habeo, cui facilius accedo recolens id sibi non no» uiter tributum, sed ante diù quàm hoc fortunæ culmē as» cenderet, in quod euecti, circumstrepentibus adulantium » turbis, veræ laudis iudicium amiserunt. Illud additur mi» raculo hanc tantam sibi memoriam, magno quondam ca» pitis ictu (cuius adhuc testis ætas extat, ingens supremo » vertice cicatrix) prouenisse. Ac fuisse excellentis memo» rabilísque memoriæ Clementem testatur Bernardus Dominicanus in eius vita, & alij Annalium scripto-

id verò nouum non est: talem eum fuisse Simplicium libro quarto de anima tradit Augustinus. Vtcumque sit, sanè Clementem constat literatissimum pontificem à Petrarcha appellatum libro octauo rerum familiarium, sed occupatissimum hominem, atque ob id compendiorum auidissimũ. Quam ob causam Bartholomæo eremitæ Italo Augustinianæ societatis, qui ex Augustini dictis volumen ingens per alphabeti literas collegerat, atque obtulerat, pontificatum in patria vltrò dederat, iussum vt quod de Augustino fecerat, id de Ambrosio faceret. Hæc Petrarcha. Bartholomæum verò illum Vrbinatium Episcopum fuisse constat, discipulum magni illius viri Augustini Triumphi, de quo in Ioannis vita diximus, ídque Clementis beneficio. Quamuis autem ex iis quæ hactenus retuli, magnam omnino gloriam laudémque Clemens sibi peperit, maximam tamen ex sequentis narratione facti percipiet, cùm grato illũ animo fuisse, memorémque beneficiorum posteri audient. Igitur donatus Lutetiæ Parisiorum doctoris Thologi nomine & laurea, qui honos non exiguus illa ætate habebatur, Casam Dei ad monasterium suum redire cupiit. In itinere cùm apud Aruernos iam esset non procul à Claromõte, vbi Aruernũ muncipium olim fuit, incidit in latrones, qui tunc in saltu Randanio (is cæduus est) viatores expectabãt. nudatus ab iis exutúsque vicatico & veste, præter lineum indusium & vitam incolumem nihil habebat. Nihilominus iter suũ prosequutus Turetum citissimè peruenit: id à Claromonte distat decem passuum millibus, éstque modici redditus beneficium ecclesiasticum ab Illidij templo apud Claromontem dependẽs, qui illi loco præerat Stephanus Alde-

brandus miseratus spoliati monachi casum, vestem ei & necessaria vitæ dedit: benignéque habitus cùm discederet, Ecquando, inquit, acceptum ego beneficium referre potero? tum Aldebrandus, cùm eris Romanus pontifex, inquit, tunc par pari referes. Igitur multo pòst Clemens pontificatum adeptus, memórque veteris officij erga se, Aldebrandum Auenionem ire iubet, eúmque cubicularium pontificium fecit, posteáque Archiepiscopatu Tholosano exornauit. In quo munere is fuit, vsque ad annum millesimum trecẽtesimum sexagesimum tertium: Nam tunc Clemente pridem mortuo, vt Illidij monasterium & collegas olim suos religiosos viros inuiseret, mortuus est relictis ibi redditibus annuis, quos Achonia nobilis Aruernorum domus præstare quotannis cogitur. Idque factum ex commentariis Illidiani monasterij, cui præfuit Iacobus Brulius vir eruditus Lutetiæ mihi narrauit. Memorẽ quoque ecclesiæ Rothomagensis fuisse ex eo deprehendimus, quòd multis eam priuilegiis ornare voluit, ac sexdecim presbyteros qui memoriter diuinas preces cum cæteris illius ecclesiæ ministris nocte diéque decantarent, multis prędiis & prouẽtibus dotauit, amplissimísque cõstructũ ædificiis collegium habitationi eorum destinauit. Id collegium Papæ, vel sacerdotum Clementinorum nunc quoque dicitur, visuntúrque in frontispicio sex rosæ, quibus pro insigni argumento Clemens vtebatur. Nullam autem constitutionem eius posteris relictam putamus celebriorem ea quæ de victu Cardinalium lata est, quoties ad eligẽdum pontificem conueniunt; eámque inter acta Constãtiensis synodi reperiri indicamus. De pontifice verò eligendo Alexander tertius iam cauerat, & Nicolaus secun-

dus ante eum, ídque anno millesimo quinquagesimo nono, mense Aprili, prolixam de eadem re sanctionem tulit, quæ apud Gratianum reperitur distinctione vigesima tertia: In qua Stephani decessoris sui mentione facta statuit, vt post obitum Romani Pontificis imprimis Cardinales Episcopi diligentissimè simul de electione tractent, mox Christi clericos Cardinales adhibeant, sicque reliquus Clerus & populus ad consensum nouæ electionis accedant. Post Nicolaum Alexander tertius, & Gregorius decimus, in synodo Lugdunensi, sacras de eadem re constitutiones ediderũt. Denique Bonifacij secundi temporibus quid Senatus populúsque Romanus, & tunc potentissimus Gothorum Rex, id est, Italiæ dominus Theodoricus, de electione pontificis, & quæ in ea vitari debeãt libro secundo huius operis demonstratum est.



INNOCENTIVS VI.



PAVLÒ ante Clementis mortem dirus cometes fulsit, fulminéque ictum est cacumen basilicæ D. Petri in vrbe. qua ex re populus Romanus coniecit Pontificem breui obiturum, vt re vera obiit. tũc Cardinales libertatis ecclesiasticæ causa ne regis cuiusquam ad Prouinciam accessu comitia corrumperẽtur, cõclaue sunt ingressi, consentientibúsque animis Cardinalem Ostiensem deligunt, patria Lemouicem. hic nondum Cardinalis episco-

Epiſcopatum Aruerni municipij Clarummontẽ,id hodie appellamus,habuerat; deinde à deceſſore purpura donatus eſt.Ille ergo optimæ honeſtiſſimæque vitæ, & mediocris eruditionis fama conſpicuus, maximum pontificatum in familiam ſuam intulit anno trecenteſimo quadrageſimo ſecundo, ſuſcepítque inſignia dignitatis quinto Cal. Nouemb. & appellari Innocentius impoſterum voluit;fortaſſe quia nemini nocere vellet,imò vero omnibus bonis & piis viris prodeſſe.Inito magiſtratu tam diffili támque arduo dedecora omnia à comitatu ſuo abegit, quæ plurima ſub deceſſore irrepſerant,ſimul frugalitatem quam ipſe ſibi pridem indixerat(hæc enim propria & peculiaris Lemouicũ virtus eſt) indixit comitatui, affectatoribus Cardinalium aulicíſque omnibus. Populus Romanus donariis & pecunia multarum Europæ gentium diues ſub Clemente factus, viros nobiles non ferebat,Vrſinos, Columnas, Sabellos, imò aduerſus eos pugnare auſus eſt, Tribunúmque populi deſignare. is fuit Franciſcus Baroncellus Notarius Senatoris Romani, infimo natus genere parúmque doctus. Mittitur Nicolaus ab Innocentio carcere ſolutus ad comprimendam hominis audaciam, ſed vtérque Tribunus volentibus ſuperis miſerrimo fato ſublatus eſt, & Senatoria dignitas per hunc modum reſtituta, redditáque nobiliſſimis ciuibus quibus adempta fuerat, cùm Bertoldum Vrſinum plebs Romana iuxta Capitoliũ lapidibus obruit,quòd frumentum publicum vendidiſſet, & caritas annonæ ingens ſequuta eſſet.At Innocentius Ægidium Carilam Hiſpanum Cardinalem bellica laude inſignem in Italiam miſit, vt patrimonium Petri occupatum à quibuſdam tyrãnis recuperaret armis,ſi precibus nõ poſ-


ſet: arma enim ſunt Pontificum perfugia, cùm preces non ſeruiunt. Interim Cardinales quidam iuuenes à Clemente deceſſore creati libidini, voluptatibúſque indulgebant, ciuiúmque Auenionēſium thoros & fœminarū pudicitiam fœdabāt. Hac re cognita Innocētius eis grauiter ſuccēſuit, ſtercora curiæ eos appellans, ac minatus ſi quid eiuſmodi impoſterum facerent, ſe migraturum in Italiam ad eos ſeueriſſimè coarcendos. Anno trecētesimo quinquageſimo quinto Carolus Imperator conſentiente Innocentio Romam profectus, Imperatoria corona redimitus eſt: nec multo pòſt templum Lateranenſe caſu fortuito incenditur: neſcio tamen quid obſtiterit quominus Innocentij iuſſu reficeretur. nam ad Vrbanū ſcribit Petrarcha Lateranum adhuc iacere, & eccleſiarum matrem omnium tecto carere. Plurimis verò è collegio Cardinalium peſte extinctis, quoſdam eis ſuffecit, omnes quidem ciſalpinos, & in his fratris ſororíſve filium Epiſcopum Carcaſſonenſem, id eſt oppidum antiquum Galliæ Narbonenſis, in quo tēplum eſt D. Nazario ſacrum. Nam de cæteris quidem Innocētij conſanguineis nemo ſcripſit. Iterum plebs Romana claros ciues expulerat, ac ſe, réſque ſuas commiſerat fidei Lelij Bonadotæ ſutoris: poſtea ad ſe rediens adminiſtrationem liberam vrbis ac reipubl. Pontifici Romano tradendam exiſtimauit: & re vera tradidit, ea lege ne Ægidius Hiſpanus aliquam in eos poteſtatem haberet. Petrarcham magicis artibus deditum eſſe Pontifex crediderat, ídque ei delator quidam iuriſconſultiſſimus ante Pontificatum perſuaſerat: ſed mortuo delatore illo, reperit Innocentius falſum eſſe crimen quod Phœnici illi obiiciebatur. Itáque Petrarchā qui tunc in Italia erat, donis ac preci-

bus rogauit, vt ſcriba Pontificius fieri vellet: is ſe excuſatũ maluit ſenectutis cauſa, quàm Aueniōnem redire, idque epiſtola ad Thalauandum Albanenſem Epiſcopum continetur. Cæterùm Innocentio quis finis laborum fuit? cùm pontificatum adminiſtraſſet annis nouem, menſibus octo & amplius, deceſſit Auenione pridie idus Septemb. M.CCC. LXII. ſepultúſque eſt in monaſterio Carthuſianorum à ſe iuxta vrbem illam magnis ſumptibus condito. Nunc quia de Petrarcha loquuti ſumus, iuuabit hoc loco iudiciũ eius de ſummo pontificatu proponere ex libro primo de remedio vtriuſque fortunæ, ne Romani pontifices leue onus ſibi impoſitum eſſe putent. Gau. AD PONTIFICATVM VENI. R. E tempeſtate in portum fugi ſolet: tu è portu in tempeſtatem ſponte fugis, tu mirus nauta. G. pontificatum ſum adeptus. R. Parũ ne difficilis, parum grauis vnius oneris tibi cura videbatur, niſi omnium curas in te vnum, atque omine ſarcinas tranſtuliſſes, fortes humeri, an fortis ambitio, eo animos cogens vbi malè ſibi futurum ſciunt. G. ad pontificium aſcendi. R. quo tramite videris: duplex eſt enim via, vtraque ad laborem, altera verò etiam ad miſeriam ducit: quacunque perrexeris, vel te miſerum, vel vt optimè ceſſerit, ex liberto ſeruum ſcito. Sic quid aſcendiſſe diceris, deſcendiſti, vnus iam illorum quibus canitur propheticũ, illud, Qui deſcendũt in mare nauibus, facientes operationẽ in aquis multis, qui aſcendũt vſque ad cælos, & deſcendunt vſque ad abyſſos, quorum anima in eis tabeſcente, propter negotiorum multiplicium procellam, turbati ſunt & moti ſunt ſicut ebrius, & omnis ſapientia eorum deuorata eſt. G. Sũmi ſolium pontificatus aſcendi. R. Quo

» mare altius,& venti plures, & periculosior tempestas. G.
» Romanus Pontifex factus sum. R. Quò maior vrbibus
» Roma est,eo maior te laborum moles manet. Eruntqui te
» colant,qui adorent, qui obsideant ac circunstent, qui tibi
» serico terram sternant,auro niueos frenent equos, qui vi-
» na dapésque instruant ac prælambant, priscis Pontifici-
» bus inauditum obsequij genus. Ex diuerso erunt, qui o-
» missis propriis rebus in te figant oculos,te notent,de te iu-
» dicent, & quam rectè Deus viderit: qui denique mores
» tuos arguant, verba distorqueant, famam lacerent, vitam
» carpant, quicquid vsque mali erit,quasi è fonte vnico ma-
» lorum, ex te prodiisse dicent, populi discordiarum, scele-
» rúmque omnium vnus tu causa vocaberis. Quomodo,in-
» quient,sanum erit ecclesiæ corpus, cùm ægrum ac langui-
» dum sit caput? Estne oro te tanti vel aureum poculum,
» vel cubile purpureum, vel gemmatus vertex, vt quietis &
» famæ precio quæri velit? G. In summum Pontificem sum
» electus. R. Versa vt libet hac in re tàm expetita hodie,
» quod totum vel inane vel durum est, vt non immerito
» quidam summi Pontifices tædio rerum victi, non suppli-
» cium aliud quàm fœlicitatem illam hostibus suis optaue-
» rint: nam vt paucis expediam, summus Pontificatus si ritè
» geritur, summus est honor,summum onus, summa serui-
» tus,summus labor. at si malè,summum animæ periculum,
» summum malum,summa miseria, summus pudor,anceps
» ex omni parte negotium. G. Summi Pontificatus sedem
» teneo. R. Non tenebis diu, breuis est hominum vita, re-
» gum breuior, Pontificum breuissima, eo quòd propter
» pondus vastásque rerum curas,ætas ipsa pontificis Roma-
» ni tempus angustat, quæ ad hoc culmen nisi admodum

» fessa vix peruenit. G. Summi pōtificatus in vertice sedeo.
» R. Quo sublimior sedet, eo grauior casus: vix ex alto sine
» periculo, aut labore descenditur: cura vt descendas sobriè,
» ne in illo grege reperiaris, de quo dictum est: Tolluntur
» in altū, vt lapsu grauiore ruāt. Ex omni quidem mortali fa-
» stigio descendēdum nemo dubitat: sed hoc interest, quòd
» iustorum ac sapientum descensus, reliquorum verò pręci-
» pitium ac ruina est, ideóque Pœnus ille dux moriens, qui
» dixisse fertur, Finis ad alta leuatis, est ruere, non impropriè
» ait, vt iniustus. G. Summi pontificatus arcem rego. R.
» Solebant primi ex hoc statu ad martyrium peti, nunc ad
» delicias vocari se credunt, ideóque certatim hic locus ap-
» petitur, & huc omnium fermè mortalium vota suspi-
» rant. Quis autem vel Romanum vel quemcumque pon-
» tificatum aliam cupit ob causam, nisi quo potentior ac
» ditior sit? contra iustitiæ præceptum præesse quæritur
» non prodesse, quódque sacrilegium pudendúmque vel
» dictu est, magnis sæpe muneribus, quin & pactis & spon-
» sionib⁹ spes emitur sacerdotij pinguioris. O vertigo morū
» pessima, ad quod olim consueuerāt & deberēt cogi homi-
» nes, inde nūc retrahi nō possunt, & tā pręceps feruet ambi-
» tio, vt nō Christian⁹ pudor ac modestia videatur, sed ardor
» & peruicacia paganorū, quam in huiusmodi petitionibus
» tantam fuisse didicimus, vt de Iulio Cęsare lectū sit, quòd
» pontificatum maximum petiit nō sine profusissima largi-
» tione, in qua reputans magnitudinem æris alieni, cùm ma-
» ne ad comitia descenderet, prædixisse matri osculanti fer-
» tur: Domum se nisi pontificem non reuersurum: nec fe-
» fellit, Pontifex est reuersus. Liquet autem quo impetu il-
» lud ambierit, quo non impetrato vel moriendum sibi cer-

" tę, vel exulandum esse decreuisset: hoc illi autem vtrum-
" que liquerit, cui à patria errare propositum sit, regnare ita
" vt iniuriã suam putet, si qua est orbe potestas altera quàm
" Cæsar, si tellus vlla duorum est: at Christiano homini, cui
" propositum sit seruire, domini que sui iugum ferre, ponti-
" ficatum quomodo liceat ambire non video, non modò
" largitione profusissima, sed quod non multo minus est,
" turpe blanditiis atque mẽdaciis, indignis viro artibus, sed
" communibus adeo, vt hæc ferè iam vnica sit in altum via.
" G. Romanus Pontifex sum. R. Seruorum seruus diceris,
" caue ne dominorum dominus fieri velis, memento pro-
" fessionis, memento debiti, memento domini, qui merito
" nulli magis quàm Vicario læsus irascitur.



VRBANVS V.



AVENIONE igitur Cardinales congregati vnus & viginti tantùm fuere: aliquem patria Lemouicem volebant, sed aliter Deo visum: designatus enim est nullus Cardinalium, verùm quinto Cal. Nouembres millesimo trecẽtesimo sexagesimo secũdo, eligitur absens Guilielmus Grimoardi viri militaris ex Amphelisia Monferrana nobili fœmina filius, vtroque parente Gabalus, id est, Mimatensis diœcesis, ea enim gens Gabalorum dicitur. erat apud Grisatium natus, id castri nomen in edito monte siti, duodecim passuum millibus ab vrbe Mimatensi, id-

que petentibus Losera altissimum iugum Gabalorum Sidonij Apollinaris versu notissimum superãdum est, in gratiámque natalium Vrbani quinti tributis & vectigalibus Grisatium, Rora, Bedua, Priuati vicus, & Mõbellus oppidula Gabalorum exempta sunt à Regibus Francorum, eisque præter fidem & obsequium nihil debetur: quinetiam fruuntur iisdem priuilegiis quibus Turenia Clemente sexto donata est. Electionis autem tempore erat Vrbanus monachus Benedictinæ familiæ apud Massiliam in tẽplo Victoris Abbas, vir quidem sexagenario maior, honestę & religiosæ vitæ, ínque ciuilibus & forensibus negotiis satis versatus, qui ab Innocentio missus in Italiam fuerat cum pecunia legato danda: ad eum absentem scribuntur literę, quibus quàm ocissimè redire iubebatur. Interim enim occultam electionem esse voluerũt, ne fortè ab Italica gente detineretur. Illis acceptis Auenionem rediit, dixisséque fertur Florentinis, si se pontificem creatum videret, venturũ Romam, reductáque ad sedem Petri ecclesia, & oppressis tyrannis molestissimis Italiæ, nõ fore cur diutius velit viuere. Idque narrat Matthęus Villaneus libro vndecimo. Auenione igitur pontifex maximus salutatus est: ac tũc Dauidis illud protulisse dicitur: A domino factũ est istud, & est mirabile in oculis nostris. Petrarcha epistola ad Vrbanũ, quæ lõgior est quàm huius libri modus requirat, de electione eius loquitur in hũc modum. Nemo, inquit, te fallat pater prudentissime, nemo tibi persuadeat esse aliquem tuorum Cardinalium, qui vel semel vnquam cogitauerit te ad Papatum non dicam promouere, sed poscere: si quis fortè tibi aliud insusurrat, verba dat, te sibi mendacio obligatum cupit. Deus te profectò, Deus inquam,

» ſolus & nemo mortalium elegit, linguis licet illorum, vt
» dixi, vſus, quas ad aliud diſpoſitas ad ſuum vertit obſe-
» quium, quódque ipſe volebat, dictu mirabile per nolen-
» tes fecit, hoc tibi acutiſſimo hominum, quomodo rear
» incognitum, quod nemo ferè vulgarium ignorauit? Sed ſi
» nunc etiam notius fieri vis quorū electus es vocibus, mo-
» res atque animos tibi notiſſimos cōtemplare. Pone ante
» oculos faſtum illum, nuſquam tanta rerum ſuarum ęſti-
» matio, párque contemptus alienarum, alto loco aſſueti
» omnes, ad ſummum ſinguli aſpirāt, quo vix eſt qui alium
» quàm ſe vnum dignum cenſeat: ſed quoniam nominare a-
» lios eſt neceſſe, quiſque ſe cogitans alium nominat, viciſ-
» ſim ab aliis nominandus. Ita neque ſe quiſquam nomina-
» re poteſt, neque alium vult, niſi ex eodem numero, vnde
» tanti beneficij vicem ſperet. Quando ergo illi hoc indicio
» & his moribus quamuis vita conſpicuum, literis excellen-
» tem, humilis abbatem Cœnobij nominaſſent, aut tantæ
» rei idoneum iudicaſſent, aut quomodo illis in animū ve-
» niſſet, quod ſibi quiſque ſuis optabat, exteris dare, ſeu quē
» ex alto deſpicerent ſupra ſe cernere, ſeu quo miniſtro vſi
» eſſent dominum habere, audacter forſan, ſed ni fallor ve-
» rè dixerim, nunquam quo ſunt animo, tale aliquid ſpon-
» tè pati, ne dicam facere potuiſſent. Non refert autem quid
» homines velint, ſed quid Deus: is te verò non alium vole-
» bat, conſiliúmque ſuum vltro non conſenſuris occulta-
» bat, quibus ſcrutinia profunda verſantibus, ſic clanculum
» tuum nomen inſeruit, vt ex toto nominibus Romano car-
» dine fulgidis, cùm ſolus abbas Maſsiliæ ſonuiſſet, dolor &
» timor malos, gaudium & ſpes bonos, admiratio ac ſtupór
» omnes arriperet: omnes tamen vna voce, variis licet affecti-

bus,

bus, in laudem Dei qui facit mirabilia magna solus, stupentia ora resoluerent. Idem grauissimus scriptor libro secũdo rerum senilium epistola ad Brunum de Vrbani quoque electione agens, Ita, inquit, sentio sanctissimum illum patrem vereque liberalem & vrbanum, cui te familiariter notum esse audio, Dei nutu expresso ad humanæ excellentiæ summum gradum & tibi & bonis omnibus vtilem ac mundo salutiferum ascendisse, quóque insperatius eo sanctius. Ineunte autem pontificatu Vrbanus antistites ecclesiarũ ad sedes proprias reuerti iussit, ambitioníque frenum posuit, & vt vno aut paucis pro dignitate virtutis ac scientiæ beneficiis ecclesiasticis cõtenti essent edixit. Circa cultum corporis externum & vestium honestatẽ multam curam ac studium impendit, ad antiquum morem omnia reuocare cupiens, habitúmque & vestitum pristinum reducere, atque nimiam licentiam edictis ac legibus castigandam & comprimẽdam putauit. Scelesti homines grauissimis facinoribus perpetratis ad Cardinalium domos fugere soliti, legum nodis ac digno supplicio eximebantur: eam pessimam cõsuetudinem primus sustulit, indecorum putans vt refugium asylúmque iustitiæ reis eiusmodi prodesset. Bononiensem verò scholam longis bellorũ turbinibus stratam erexit, & antiquam illi nouis priuilegiis cõcessis restituit dignitatem. Verùm hæc nesciremus profectò, nisi à Petrarcha narrarentur epistola ad Vrbanum quintum, cuius mentio facta est, & in qua Vrbanum testatur vtriusque iuris peritissimum, alterius autem & conditorem & interpretem vnicum fuisse. Pari beneficio Acedemiam Parisiensem affecit, datis ad Ioannem tituli D. Marci, & Ægidium D. Martini, presbyteros Cardi-

les literis,quibus mandat eandem Academiam optimis legibus instaurari. Ad pontificem salutandum ex omni Europa legati mittebantur. Ioannes Francorum Rex solutus carcere Británico Auenionem visendi pontificis causa accessit,petiítque ab eo vt pacem daret Bernaboui Mediolanensium principi:id non posse fieri à pontifice responsum est,nisi oppida vrbésque ecclesiasticæ redderentur, ac nisi obsequenté Romano pontifici se præberet. Postea præsentibus Bernabouis legatis Vrbanus in illum diras pronũciauit, procumbénsque in genua & manibus passis altáq; admodum voce , Te quidem , inquit , cælestium pater hoc vnum posco, vt tu illum in cœlo liges, quemadmodũ à me ligatum nosti. Ausus tamen est Bernabos bis mille quingentos equites in Mutinensemagrum mittere, aduersus quos fœlicissimè pugnatum est, occisis ex eo numero plurimis, captis triginta octo nobilibus viris, equis amplius mille: eámque pugnam Matthæus Villaneus libro vndecimo breuiter narrat. Duas insuper epistolas Petrarcha ad Vrbanum scripsit, vnam qua profectionem eius in Italiã optabat , atque illũ acribus verbis increpabat , quòd commissam sibi Petri sedem Auenione fixisset. Eam Vrbanus libenter legit,remissísque ad Petrarcham literis copiosè admodum laudauit, vt epistola ad Brunum rerum seniliũ XIII. refert: de altera postea dicemus. Et cõmuni quidem voto Italicæ gentis Pontifex subditis suis consultum volens, Petro Triuisano Priore D. Marci cum tribus triremibus Massiliam à Petro Cornelio Venetorũ duce misso: quæ primæ è longinquo venientes omni ferè quàm longissima est Italia ambitu vsque in intimum Galliarum sinum,atque ibi abditam Massiliam, vbi viæ accinctus pon-

tifex expectabat gubernaculo deuotionis & obedientiæ remigia, penetramus, vtor enim Petrarchæ verbis ex epistola ad Brunum libro nono rerum ſenilium. Nauigauit in eam prouinciã, Romámque fœliciter attigit, exceptus ab omnibus vt Deus aliquis delapſus è cœlo, & potiſſimùm à Romanis: ſiquidẽ omnia templa vrbis & publica ædificia ruinis deformia erãt. Carolum quoque Imperatorem ad ſe acciuerat Vrbanus, cupiens bellum inferre Bernaboui & ſimilibus in Italia tyrãnis. quod cùm minimè Carolus præſtare potuiſſet, Pontifex creatis ſeptem Cardinalibus ciſalpinis, vno Italo, de reditu in Galliã ſuo cogitare cœpit: ac menſe Septẽbri claſſem ingreſſus, in Prouinciam claſſe rediit. Idem Petrarcha Põtifici cùm in Italia eſſet, gratulatur producta in ſuas ſedes eccleſia: at reditum eius in Galliam non probat. Menſe autem Decembri, milleſimi trecenteſimi ſeptuageſimi anni, Vrbanus incidit in morbum, ac tum fortè Peruſinorũ legati ad eum venere: quam legationẽ eiúſque exitum Poggius in facetiis ita perſtringit. » Ad Vrbanum quoque quintum Pontificem Aueniο» nem Peruſini oratores numero tres cùm acceſſiſſent, Pon» tifex autem graui morbo teneretur, tamen homines ne » diutius ſuſpenſos teneret, ad ſe vocari iuſſit: admonitos an» tea vt paucis loquerentur. Quidam doctor, qui orationem » longam in via quam habiturus eſſet ad Pontificem » menti commẽdarat, nulla ratione habita morbi, aut quòd » in lecto iaceret, multis verbis vſus eſt: ita vt Pontifex ſæpe » moleſtiam audiendi præ ſe ferret. Cùm tandem indoctus » ille peroraſſet, quæſiuit pro ſua humanitate Pontifex, Nũ» quid aliud vellent? Tum alter ex oratoribus, qui & dicen» tis ſtultitiam, & Pontificis moleſtiam percepiſſet: Pater,

" inquit, sanctissime habemus hoc in mandatis nostris, vt
" nisi nobis è vestigio pro his quæ petimus feceritis satis, so-
" cius hic meus, antequam hinc recedamus, vobis iterum re-
" ferat sermonem suum. Quo facetè dicto cùm arrisisset
Pontifex, oratores statim expediri iussit. Vix discedendi
ab Vrbano facultatem impetrarant, cùm is victus morbo
Auenione excessit è vita, lectulum suum ante aram Pe-
tri Apostoli (in vicinia Palatij Apostolici ea parochialis æ-
des sita est) cuius hospes erat ac successor, ferri iubens, ibi
tranquillam & fœlicem animam emisit, Deum hominésq;
testatus, si vmquam inde discessum esset, non suam culpã,
sed eorum fore qui reditionis illius inuenirẽtur auctores.
Petrarcha vbi hoc extremũ narrauit epistola ad Brunum,
" Vir, inquit, meo iudicio bonus fuit, magnúmque est &
graue illius viri testimonium: nam, vt ait Comicus, pul-
chrum est laudari à laudato viro. Lucensium Respubl. Vr-
banum hunc quintum plurimum laudauit etiam mor-
tuum: sic enim Nicolaus Tugrinus eorum legatus ad Ale-
" xandrum sextum. Recens est, inquit, Vrbani quinti, fa-
" ctum, qui miseratus vrbem nostram ecclesiæ deuotissimã
" seruire, accito Carolo quarto è Germania, erogatis quin-
" quaginta millibus aureorum, nos à durissima & imma-
" nissima seruitute eripuit. Et Mimatensis Gabalorum ec-
clesia, quæ euerso Virginis Episcopali templo, & Priuati
æde augustissima, Vrbani iussu sumptibúsque instaurata,
his ciuilibus Galliæ bellis à Caluinianæ sectæ hominibus,
Matthæo Merula Vticensi factionis duce, in luctu adhuc
& lachrimis versatur, vasáque ex auro atque argento pu-
rissimo, auratas vestes & omnis generis instrumenta eccle-
siastica liberalitate Vrbani quinti sibi olim tradita, quibus

anno millesimo quingentesimo octuagesimo spoliata est, procul à se auecta queritur. Beduam vicum Gabalorũ Grisatio vicinum suprà diximus: id in ripa auriferi Tarnis positũ est, vti enim liceat Ausonij verbo, vbi Vrbanus Canonicorũ collegium instituit, templúmque fieri iussit, & donariis plurimis redditibúsque annuis dotauit. Sed ne hic quidem locus ab iniuria sectæ Caluinianæ seruatus est: illo enim anno templum ipsum quatuor munitissimis turribus cinctum, ab eodem Merula latronum duce crudelissimo natura, dirutum planéque euersum est, & donaria omnia in prædam cessere. Collegiúmque aliud Canonicorum instituit, dicauítque Virgini, in vico cui Quesaco nomen ad eundem Tarnem posito, quatuor passuum millibus à Bedua, ídque templum ab eadem immani bellua spoliatum, donariísque omnibus exutum est. Petri Apostoli ecclesiam apud Montempessulanum Vrbanus quoque ædificari iusserat, quam iidem Caluiniani iam diruerant anno millesimo quingentesimo sexagesimo septimo. In eadem tamen vrbe adhuc visitur collegium ingens iussu eius conditum in gratiam eorum qui medicinæ operam daturi essent, si modò Gabalos, id est, Mimatensis diœceseos esse eos constaret. At non in patria, neque apud Volcas, sed iuxta Massiliam in æde Victoris sepultum iacere notius est, quàm vt stylo nostro res egeat, effigiésque eius adhuc visitur, quę obeso vultu & pendentibus genis illum fuisse demonstrat. Cæterùm quia monachi D. Victoris cognita Vrbani sanctitate, capita quædam obtulerũt Clementi septimo, qui apud Auenionem Vrbani sexti temporibus erat, vt iis motus illum inter Diuos referret, eáque ex archiuis suis eruta liberaliter ad nos miserunt, ope-

ræprecium facturi videmur si huic libro intexuerimus: rerum enim & ignotarum & memorabilium plena sunt, vt lector iudicabit.

1.

» VRBANVS quintus antequam ad Papatum assumeretur, nominabatur Guilielmus Grimoardus filius Grimoardi militis & domini de Grisaco Mimatẽsis diœcesis, & dominæ Amphelisiæ de Monteferrando eiusdem diœcesis, coniugibus ex vtraque domo de antiquis nobilibus.

2.

» ARTES liberales didicit præsertim in studio Montispessulani.

3.

» AVDIVIT iura ciuilia in studio Tholosano per quadriennium.

4.

» VITAM monasticam elegit, habitúmque sancti Benedicti recepit, & factus est monachus expresse professus in prioratu conuentuali de Chiraco Mimatensis diœcesis, & ibi ad sacros ordines ritè & canonicè promotus fuit vsque ad sacerdotem inclusiuè.

5.

» RECEPTVS fuit in Vicarium & officiarium Claromontensem, & postea Vticensem.

6.

» DEMVM ad abbatiam Antissiodorensem, & postea ad Abbatiam Massiliensem fuit promotus per summum Põtificem sine sui petitione.

7.

» PER dominum Innocentium Papam sextum pro ar-

» duiſſimis Romanæ eccleſiæ negotiis, ipſe diuerſis vicibus
» ad partes Italiæ & Neapolitani regni fuit commiſſus.
» 8.
» Defuncto Innocentio Papa ſexto cœtus domino-
» rum Cardinalium ſanctę Romanæ eccleſiæ apud Auenio-
» nem exiſtens, prędictum dominum Guilielmum Grimo-
» ardi ætatis quinquaginta trium annorum vel circa, tunc
» Abbatem Maſſilienſem, diuina gratia fauente, per viam
» ſancti ſpiritus nominarunt & elegerunt in Chriſti vicariũ
» ſummum, & ſanctæ Romanæ eccleſiæ pontificem atque
» paſtorem. 9.
» Monasterium ſancti Victoris Maſſilienſis fecit
» incaſtellari & in fortalitium redigi, prout nunc eſt.
» 10.
» Apud Montempeſſulanum de nouo fundauit, con-
» ſtruxit & dotauit vnam magnam eccleſiam in honorem
» beatæ Mariæ virginis, & beati Benedicti, & Germani con-
» feſſoris.
» 11.
» De Auenionenſi vrbe acceſſit perſonaliter ad Mõtem-
» ſulanum, cum ferè omnibus dominis ſanctæ Romanæ ec-
» cleſiæ tunc Cardinalibus, vbi maius altare dictæ eccleſiæ
» ſolemniter conſecrauit.
» 12.
» Plurimas alias eccleſias & monaſteria fundauit, cõ-
» ſtruxit & dotauit.
» 13.
» Apud Montempeſſulanum erexit & fundauit colle-
» gium duodecim Medicorum ſtudentium ibidem perpe-
» tuò, & illud collegium dotauit ſufficienter.

14.

SE ipſum cum tota curia de Auenione tranſtulit apud Viterbium, & demum tractu temporis Romam, & fuit in partibus illis commoratus per tres annos cum dimidio: vſque ſcilicet quo audita diſſenſione illuſtrium regum Franciæ & Angliæ diſpoſuit Auenionem redire, prout reuerſus fuit.

15.

ROMÆ exiſtens ad obedientiam catholicam recepit Imperatorem Conſtantinopolitanum, qui ad eius pedes veniens, ante gradus eccleſię ſancti Petri per ipſum dominum Vrbanum ad manum in eccleſia intromiſſus, confeſſus proceſſionem ſancti ſpiritus ſimul à patre & filio, vnitatem & ſuperioritatem omnium Catholicorum.

16.

MAGNIS ſumptibus reparari fecit palatium S. Petri iamdiu ante dirutum, & quintam partem maioris eccleſiæ ſancti Petri, & maiorem partem eccleſiæ Lateranenſis, & eccleſiam ſancti Pauli extra muros.

17.

CAPITA apoſtolorum Petri & Pauli reperta in capella quæ dicitur ſancta ſanctorum in vaſculis argenteis ſatis paruis & minus nobilibus quàm decet: ſtatim ſuis ſumptibus duas ſtatuas argenteas, vnam ſcilicet in forma mediæ perſonæ beati Petri, ſcilicet ab vmbilico ſuprà ponderantem mille ſeptuaginta marcas argenti: & modo cõſimili aliam ad formam ſancti Pauli eodem pondere ordinauit & fecit, & illa in Lateranenſi eccleſia collocari fecit.

18.

APVD Auenionem indixit paſſagium generale ad recupera-

» cuperationem terræ ſanctæ, per prædicationem quam ele-
» ganter fecit in præſentia regis Franciæ, & Cypri & domi-
» norum Cardinalium. Quiquidem duo reges tunc ibidem
» cruce ſignati ab eo & dominum Cardinalem Albanenſem
» ſibi legatum apoſtolicum & cruce ſignatum ad dictum
» paſſagium receperunt humiliter & deuotè.

» 19.

» CIRCA octauum annum ſuæ aſſumptionis in ponti-
» ficatum, incidit in quandam infirmitatem Auenione, in
» qua ordinauit quòd quando ab hac luce migraſſet, corpus
» eius ſepeliretur more pauperum apud beatam Mariam de
» Donis Auenione, & dum corpus ſuum ibidem eſſet inci-
» neratum, oſſa portarentur Maſſiliam in eccleſia ſancti Vi-
» ctoris, & ibi ſepelirentur ante maius altare, vbi adhuc ia-
» cet.

» 20.

» A qua infirmitate obiit in dicta ciuitate Auenionenſi
» anno ętatis ſuę ſexageſimo primo, & die decima nona mē-
» ſis Decembris circa hôram nonam pontificatus ſui anno
» nono in camera domus habitationis domini Cardinalis
» Albanenſis, ianuis patentibus & apertis omnino, vt qui-
» libet veniens ad videndum eius finem fœlicem & catholi-
» cum intrare poſſet, ſignum ſanctæ crucis tenens in mani-
» bus, & veſtitus ſemper exiſtens, nec de illa infirmitate ia-
» cuerat quomodolibet denudatus.

» 21.

» POST eius mortem & ſepulchrum in eccleſia beatæ
» Mariæ de Donis Auenionenſis, in qua ferè per decem &
» ſeptem mēſes requieuit, Dominus Gregorius Papa vnde-
» cimus eius ſucceſſor; præcepit ſolemne ſepulchrum more

papali si in monasterio sancti Victoris Massiliẽsis iuxta voluntatem suam sibi fieri, ad quod sepulchrum fuit translatus, & ibidem de pręsenti requiescit.

EX CALENDARIO S. VICTORIS INCLITI MONASTERII.

1.

GVILIELMVS Grimoardi Abbas monasterij sancti Victoris Massiliensis, assumptus fuit ad Papatum anno domini millesimo trecentesimo sexagesimo secundo, quinto Cal. Nouemb. & vocatus Vrbanus quintus.

2.

OBIIT Auenione anno eiusdem domini millesimo, trecentesimo septuagesimo, decimo quarto Cal. Ianuar.

3.


TRANSLATVM fuit Corpus eius de Auenione ad sacrum cœnobium sancti Victoris Massiliensis, & positum in capella sancti Petri prope maius altare anno millesimo trecentesimo septuagesimo secundo Non. Iunij.

4.

SEDIT in Papatu annis octo, mensibus duobus.

HACTENVS de Vrbano Massilienses monachi tradunt, nec aliud de eo superest dicendum nisi quod nobilissimi in Gabalis gentiles agnatíque eius & Catholicæ defensores viuunt, qui propriis cognominibus Grisacij appellãtur, & Barones Roræ, nam Rora Grisaco vicina est: itáque nobile collegium Auenione dicitur Rora, in cuius frõ-

te videre licet tria acumina vel cuſpides argenteas,quas Vrbanus & maiores ſui pro inſigni gentilitióque argumento habuere. Cúmque ex Rorana familia hodiè floreant ſeptem fratres, pars eorum catholicæ ſtudent, quo in numero eſt primogenitus opulentiſſimus omnium:quidam etiam Caluinianæ ſectæ addicti ſunt, eo miſeriores quòd Vrbanum familiæ ſuæ ſplendorem lucémque habuerunt. Cęterùm quia Auenio Romanòs pontifices Vrbano mortuo confeſtim habere deſiit,dicam paucis quid de ea ciues narrare ſoleant. Aiunt vrbis ſuæ portas ſeptem numerari, plateas,palatia,collegia,parrochiales eccleſias,monaſteria virorum,& ſepta virginum pari numero cenſeri.quamdiu autem pontificem Romanum habuit quaſi in exilio collocatum,ſolita erat dicere obiicientibus Romam Epiſcopi ſui ſedem eſſe:Cur Auenio ſedes illius non erit?quandoquidem vbicumque pontifex pro vtilitate fidei Catholicæ ſtatuit reſidere,ſedes eius eſt.& ab anonymo illius ætatis Gallo aduerſus Petrarcham ſcribitur non ſine cauſa dici ſolere, Vbi Papa ibi Roma. in quē Petrarcha omnes ingenij ſui vires conuertit,vt doceat nulla ratione adduci debere Vrbanum quintum vt à ſemel ſuſcepto Romam adeundi cōſilio dimoueatur. Poſtremò adhuc dubium eſt Palatium Auenionēſe, an pons, an muri maioribus impēſis conſtructi fuerint.



GREGORIVS XI.



PONTIFICEM bonum cùm omnes Europæ gentes eligi cuperent atque optarent, Maſſiliæ IX. Cal. Ianu. creatus eſt Petrus Belfortius Guilielmi frater, qui Eleonoram Conuenam neptem nobiliſſimi Comitis Fuxenſis cis Pyrenæos ac Vicecomitē Tureniæ in agro Lemouicum in matrimonio habebat. Erant autem prognati Ioanna Rogeria ſeu Monſtria ſorore Clementis ſexti, quæ primùm nupſerat Domino Chambonij vici in finibus Lemouicum, cùm Clemens in minori fortuna, id eſt, Abbas Fiſcanenſis tantùm eſſet. Poſtea nupſit Guilielmo Comiti Belfortij Andegauorū oppidi, prolémque ex eo ſuſcepit, hos videlicet naturales & legitimos liberos Guilielmum & Petrum, cuius vitam ſcribere cœpimus. Id oppidum etſi ad poſteros eorum à Raimundi Belfortij tertij Vicecomitis Tureniæ, vltimi poſſeſſoris temporibus non pertinet, qui ſummo regum imperio eo exutus eſt, Iacobus tamen Belfortius ſeptimus Vicecomes Tureniæ, Coméſque Aleſiæ in agro Nemauſenſi, & Marchio Caniliaci, id caſtri nomē eſt in Gabalis ſiti, cùm ſine liberis eſſet, iámque cōfectus ætate, pridie Cal. Maias milleſimo quingenteſimo vndecimo, publico inſtrumento apud Aruernos & Pontem Caſtri, id oppidi nomen ad Elauerim fluuium, coram Petro Dayo, Petro Bruno & Laurentio Raimundo notariis regiis, & coram quinque adhibitis teſti-

bus donationem fecit omnium bonorum atque actionũ suarum Iacobo Ioannis Monboisserij Aruerni nobilis viri ex Isabella Belfortia sorore sua geniti filio, cuius ipse auunculus magnus & christianus in baptismate sacro sponsor esset, ea lege vt ipse posterique eius perpetua successione mares, Belfortij nomine & insigni vterentur, id est, sex rosis, quas obliqua transuersáque linea intersecat: linea illa Belfortiorum insigne argumentum fuit, sex rosæ Monstriorum: Sed ita conuenerat inter Clementem & sororis suæ virũ vt insignia illa vtrinque gererentur, ob ídque Belfortij oppidi, quo spoliatos maiores suos queritur Iacobus, nomina atque actiones cedit. cæterùm Iacobi Mõboisserij filius Marcus pater est illius Ioannis qui nunc se Belfortiũ iure donationis vocat, gẽtilitiúmque nomen abiicere videtur (vir militari ingenio) qui nuper ab Ægypto & Hierosolymis vltimáque Syria rediit, quo eum pietas & religio deduxerãt: ísque profecturus ad bellum contra Caluinianos mihi donationem illam exhibuit, atque narrauit domi suæ adhuc extare testamentum Clementis sexti, inuentariúmque mobilium eius. Gregorium diximus Guilielmi fratrem Vicecomitis Turenię, ex eo lõga serie orta est Anna Belfortia, quæ nupsit Turrianæ nobili familiæ Aruernorum, & dotalibus instrumentis Turenia quoque eis accessit, opulentum sanè in Lemouicibus castrum multorúmque reddituum, cui amplius ducentæ parochiales ecclesiæ subsunt. Ex hac gente prodiit Henricus Turrianus, qui nũc Caluinianæ sectæ nimium addictus Tureniæ imperat, eáque iurisdictione fruitur præter voluntatem prætérque sententiam Clementis & Gregorij pontificum Romanorũ, quorum in gratiam Turenia olim exempta om-

ni genere tributi, portorij & vectigalium regiorum, eodem vt etiã nõ priuilegio vti fruíque perseuerat: Ac fuit nuper Tutelensis monachus, qui cùm capto illo oppido rebúsque ecclesiasticis iam direptis, in potestatem Turriani venisset, Miror, inquit, te nuper in Belgio captum ab Hispanis, redemptúmque multo auro, rursum in sacerdotes & monachos sæuire, cùm præsertim duos summos sacerdotes Clementem & Gregorium per Annam Belfortiam tritauiam tuam contingas, multúmque his debeas. quæ libera eius vox fecit vt ab illo ne numerata quidem vt alij pecunia, incolumis & saluus dimitteretur. Nũc ad Gregoriũ venio, quem Massiliæ electum constat: hic in disciplinam adolescens professoribus iuris vtriusque præstantissimis à patruo datus, præter scientiam legum & sacrarum constitutionũ, modestiam quoque & singularem prope humanitatem hauserat. quæ res maximè ei ad pontificatum obtinẽdum profuere: quo quidẽ ineunte inter cæteros quos elegit Cardinales vnus fuit Petrus Sarsa cõsobrinus archiepiscopus Narbonensis, qui refici ac restitui Episcopium illius coloniæ sumptibus suis atque impensis mandauit. Postea Britonum & Anglorũ copias in Italia aluit, vt resisteret iis populis qui rebellionis auidi certatim ecclesiasticum iugũ reiiciebãt: In hoc numero fuere Perusini, Foroliuienses, Tudertini vicinorúmque oppidorum incolæ. Florẽtini quoque inter parum obsequentes pontifici Romano numerari poterant. Octouiri reipubl. miserant Catharinam Senensem dicatam Deo virginem ad pontificẽ maximum, qui tum Auenione vnà cum omni comitatu erat, vnde illa rescribit mense Iunio anni millesimi trecentesimi septuagesimi sexti Gregorium pacis amantem esse

foréque. itáque Florētinos si velint pacem habituros, modò re non verbis pacem petant: Catherinam verò reipubl. nomine ad se missam honorificè accepit, præbita ei honestissima domo, in qua sacellum erat, & sorori eam suæ spectatę fœminæ plurimum commendauit, quòd eam præstāti ingenio esse audierat. Hæc igitur cum Senensi per interpretē familiariter de statu Italiæ colloquuta, déque diuinis mysteriis optauit interesse rei diuinæ tūc cùm virgo Eucharistiam perceptura esset: & verò interfuit, vidítque eam statim extasi mirabili correptā: fortè ad id spectaculum secum adduxit Raimundi Vicecomitis Tureniæ vxorem iuuéculā miræ pulchritudinis: hęc credere nō poterat virginem illam extra corpus suum esse: itáque simulato aliquoties pedum osculo eos acu transfixit, sed ne tum quidem vllum dolorem Catharina sentire visa est. Hoc Stephanus Carthusianus qui tunc viuebat, intererátque huic rei cùm gereretur, memorię mandauit. Preces quas ad deū pro Gregorio Auenione rogatu eius summo manè fundebat, exscriptæ à Thoma Petreo notario apostolicæ sedis adhuc extant, earúmque hæc sentētia erat: Vt vicarius Dei Deum ipsum vnicè amaret, cúmque tota mente complecteretur, & Christianas oues rectè legitiméque pasceret. Optabant Itali pontificis in Italiam profectionem, & post infœlicem rebellionis exitum illos populos facilè descensuros sperabant ad vetus obsequium repetēdum, si modò Gregorius exoptatissimus princeps Romam pergeret. Vir sapientissimus existimās hęc omnia mala se absente fieri, de adeunda Italia cogitauit, pacem inter Franciæ Angliæque reges fieri magnopere cupiebat, eiúsque rei causa suos ad vtrumque regem legatos miserat. Consilium eius vbi

certior factus Carolus quintus rex cognouisset, fratri Andegauorum Duci qui Tholosæ tunc erat, statim scribit vt Auenionem pergat, pontificémque Galliæ relinquendæ cõsilio dimoueat. Id ille facere quidẽ conatus est, at dimoueri à cœpto non potuit, etsi erat imbecillo corpore ac valetudinario: atque hanc suæ profectionis causam esse dicebat, quòd pollicitus esset immortali Deo ad Petri cathedram sedémque Romam quàmprimum posset profecturum. Itáque quatuor Cardinalibus Auenione relictis quibus ecclesiastica negotia commisit, è Gallia abiit maiori Cardinalium dolore quàm suo, vt Frossartes Gallicæ scriptor historię qui tũc viuebat, in commentariis vel annalibus suis refert. Nullius autem literis magis motus est quàm Catharinę ad profectionem magnopere incitantis. Extãt enim ad eum quatuordecim epistolæ eiusdem argumẽti, vt sedem Petri apostoli lętus adeat, pacémque subditis suis etsi rebellibus cõcedat: promissa enim omnibus impunitate statim quieturos, rediturósque ad obsequium. Igitur mense Septembri soluens è portu Massiliæ, Romam ingressus est Ianuario proximè insequenti. Incidit nuper in manus meas Itinerarium huius Gregorij incœptum idib. Septem. anni millesimi trecentesimi septuagesimi sexti, põtificatus anno sexto: quo quidem Petrus Amelius Alectẽsis in Narbonẽsi Gallia, Episcopus Senogallię, eius discessum profectionémque Romã diligenter sciteque perscripsit, idque itinerarium in veteribus membranis scriptum habeo: & Romæ frequentibus picturis exceptio eius exhibita est, multitudóque populi illi occurrentis & mulierum turbæ cum teneris infantibus obuiarum, quæ lętari & plaudere Gregorio vrbem ingredienti adhuc videntur

dentur

dẽtur, extántque in templis, porticibus & publicis locis eiuſmodi picturæ, ac teſtâtur lætitiam gaudiúmque ingens ciuium Romanorum ſuſcipientium Gregorium non vt Vicarium ſed vt Deum aliquem in terras delapſum. Senenſium legati, vt cæteros omittam, eum ſalutauere: cōmendat eos Catharina pontifici, nec vllam gentem eſſe ait quæ tam facilè beneuolentia & manſuetudine capi allicíque cupiat. Vt Catharina monuerat res habuerunt, páxque inter diſſentientes populos tádem compoſita eſt auſpiciis & vigilantia optimi prudentiſſimíque pontificis, quem veſicæ dolore ingenti extinctum Romæ conſtat menſe Martio anno milleſimo trecenteſimo ſeptuageſimo octauo, quo die pontificium palatium Auenione fortuito incēdio deformatum eſt. Florentiníque etſi parum amici ſolemnes tamen inferias ei dixerunt, & Roma vt parentem luxit, funere ei in templo Virginis nouæ munificentiſſimè curato. Nec immeritò Romani eum vt parentem appellauere, plurima enim & ampliſſima opera templáque, ruina vel incendio abſumpta vel certè deformia reſtituere cœperat. Quantus autem qualíſque fuerit Gregorius, quis magis ſcire poteſt quàm Theodoricus Niemus hiſtoriæ ſcriptor, qui cum illo in Italiam nauigauit? Ego, inquit, iam luſtris ſeptem & parumper vltrà ſequendo Romanam Curiam recolo vidiſſe me, & peroptimè cognouiſſe interim quinque ſummos pontifices, videlicet Gregorium vndecimum qui fuit dum eligebatur in Papam forſitan circa triginta quinque annos, & ſic attigit mediam ætatem, fuit vir paruæ ſtaturæ, licētiatus in legibus, acutus, ſtudioſus in libris, & libenter cum intelligentibus diſputabat, & diligebat eoſdem, liberalis, honorabilis, & verecundus, omni enim

" petenti se tribuit, nec sciuit aliquid iustè petenti denegare.
" eleemosynarius magnificus in publico & priuato, & valde
" compatiens omnibus afflictis, habens prudentissimos re-
" ferendarios ac etiam secretarios mundos & honestos: qui
" licèt haberet patrem, nec non duos fratres ac etiam quos-
" dam nepotes adhuc viuos dum ab Auenionensibus rece-
" deret causa veniendi ad Italiam, tamen illi eum retrahere
" non potuerunt quòd vlterius in Auenione maneret, sed
" transfretando per mare, eandem intrando Italiam multa
" sustinuit pericula maritima me vidente. Et cùm hoc tem-
" pore Florentinenses, Perusinos, nec non illos de Marchia
" Anchonitanenses, Bononienses, nec nō etiam Præfectum
" Vrbis, & quondam dominos Galeazium & Barnabouem,
" de Vicecomitibus & multos alios potētes hostes inuenit
" in Italia prædicta, tamē ipsæ hostilitates eum, ne iret Ro-
" mam, retrahere non potuerūt: nec certè fratres aut nepo-
" tes suos postquam ad eādem Italiam deuenerat, Marchio-
" nes fecerat siue duces, & octauo anno sui pōtificatus Ro-
" mæ decessit. Cui in papatu successit Vrbanus Papa sextus
ętatis sexaginta annorum. Quo autem die decesserit, Baldus iurisconsultus ad lib. sext. Cod. docet cùm ait, Sanctæ memoriæ Gregorium Papam vndecimum die vigesima sexta Martij Romæ obiisse. idémque auctor narrat decimo post obitum die Cardinales sexdecim, ad quos solos ius competebat eligendi Romanum pontificem, cōclaue ingressos cùm rogati fuissent à præstantissimis ciuibus vt eligerent Papam, qui Romanus, vel Italus esset, & in ipso concláuis introitu populū Romanum à duodecim Cardinalibus (totidē enim cisalpini erant, quatuor Itali) petiisse vt successor Gregorij Romanus ciuis eligeretur, id accide-

rit nec ne postea dicemus. Quamquam miramur Gregorium Baldi ipsius Iurisconsulti auditorem dici à Blondo Foroliuiēsi, & Pio secundo in epitome Decadum eius, nullam tamen de eo tamquam discipulo mentionem à Baldo factā, ne tum quidē cùm de obitu eius ageretur. Denique ne quid omissum de Gregorio queraris, vtque scias cuiusmodi in minori fortuna is fuerit, præbeo tibi exemplum literarum eius, quæ te rei certiorem facient, quas mihi iussu illustrissimi principis ac pij si quis vmquam fuit, Caroli Borbonij Cardinalis & Rothomagensis Archi-
» episcopi exhibitas testor fuisse. GREGORIVS Episco-
» pus seruus seruorum Dei, ad perpetuam rei memo-
» riam. Sedis Apostolicæ circumspecta benignitas votis
» Catholicorum principum quos habet in charissimos
» filios, in his præsertim quæ à deuotionis feruore prodire
» cernuntur, & diuinorum obsequiorum augmentum pro-
» spiciunt, consueuit annuere gratiosè, vt ipsi eo feruentius
» se in operibus bonis exerceant, quo in illis per dictæ sedis
» clementiam gratiosius fuerint exauditi. Sanè charissimus
» in Christo filius noster Carolus Rex Francorum illustris
» nobis significare curauit, quòd ipse ad ecclesiam Rotho-
» magensem specialem gerit deuotionis affectum, & apud
» ipsam sui corporis vel cum apostolicæ sedis licentia par-
» tis eiusdem perpetuam proponit eligere sepulturam, spe-
» rátque prout optat in ipsa ecclesia diuina officia eo deuo-
» tius & quietius maioríque clericorum numero celebra-
» ri, quo ipsi clerici & personæ ecclesiasticæ in ipsa commo-
» rantes ecclesia & imposterum moraturæ pluribus fuerint
» priuilegiis communiti. Quare nobis humiliter supplica-
» uit, vt nos ecclesiam & personas in ea pro tempore degen-

tes ad hoc vt personæ ipsæ maiorem causam habeāt in ipsa ecclesia personaliter residēdi, ac diuinorum officiorum obsequia deuotius altissimo impendēdi, dignaremur specialibus priuilegiis cōmunire. Nos igitur qui vbique præsertim in ipsa ecclesia quæ grandi præpollet priuilegio dignitatis, & in qua olim nos in minoribus constitutis Archidiaconalem obtinuimus dignitatem, diuinum cultum, quietis pulchritudinem, & deuotionis feruorem intensis desideriis affectamus, præfati Regis qui suam deuotionem ad eamdem ecclesiam, ei multos & perpetuos prouentus & redditus liberalitate regia largiendo operis exhibitione monstrauit, supplicationibus inclinati, personis ipsius ecclesiæ tenore præsentiū infra scripta, de speciali gratia auctoritate apostolica indulgendo, statuimus & ordinamus: Quòd Archiepiscopus Rothomagensis pro tempore in quosuis ecclesiæ Rothomagensis Canonicos, & alias personas quæcunque dignitates, personatus aut officia pro tēpore obtinentes, nec non capellanos, vicarios & quoscunque alios in numero quantocunque in ipsa ecclesia beneficiatos, seu alios de choro eiusdem ecclesiæ vsque ad cētenarium numerum existentes, ipsorúmque canonicorum & cuiuslibet eorum veros & nō fictos familiares, non propterea quæsitos vel receptos seu domesticos & continuos commensales, corúmque expensis sine fraude nullam iurisdictionem spiritualem ciuilem, vel criminalem etiam ratione delicti aut contractus, vel rei de qua agitur valeat exercere, illis dūtaxat exceptis qui ex prædictis ratione suorum dignitatum, personatuum aut officiorum habēt specialem & ecclesiasticam iurisdictionem, quam ab eodem Archiepiscopo tanquam suo superiore tenent. Et his etiā

qui extra præfatam ecclesiam in ciuitate vel diœcesi Rothomagensi ecclesias curatas seu alia beneficia obtinent, seu imposterum obtinebunt, in quantum huiusmodi iurisdictio & cura, eorúmque exercitiũ, ac alia iura super ipsis ecclesiis seu beneficiis eidem Archiepiscopo competẽtia tangerentur, ipsi Archiepiscopo subiectos decreuimus remanere: declarantes ad cautelam, quòd per præmissa Archidiaconos & alios eadem dignitates, personatus & officia, in iam dicta ecclesia obtinẽtes, vinculo fidelitatis, quo nomine feudorum quæ tenent ab ipso Archiepiscopo, ab eodem non intendimus liberare, nec ipsi Archiepiscopo aliquod circa hoc præiudicium generari. Volumus autem ac decernimus ac statuimus, quòd præfatum capitulum in decanũ dictæ ecclesiæ, ipse verò decanus & capitulum eodem decano præsente & ipso absente idem capitulum soli & insolidum habeant & liberè exerceãt omnimodam spiritualem iurisdictionem tam in ciuilibus quàm criminalibus in omnes & singulos canonicos ecclesiæ supradictæ, ac etiam alios obtinentes dignitates, personatus & officia in eadem & alios quoscunque & qualitercunque in ipsa ecclesia beneficiatos in numero quantocunque, seu de choro eiusdem ecclesiæ existentes, vsque ad numerum cẽtenarium supradictum & familiares supradictos, exceptis casibus superius declaratis. Ad hæc volumus & etiam ordinamus, quòd appellationes si quas à quibuscunque grauaminibus aut interloquutoriis seu diffinitiuis sentẽtiis per dictos decanum & capitulum coniunctim, vel diuisim in causis de quibus ad ipsos spectabit cognitio inferẽdis aut proferendis interponi contigerit, ad Romanum pontificem duntaxat vel legatum dictæ sedis, si tunc erit in illis

» partibus appelletur. Quòd si forsan ambę partes pro celeri
» expeditione negotij, & vt earum maiores labores & ex-
» pensæ vitentur, consentiant, Archiepiscopus Rothoma-
» gensis existens pro tempore vt præfertur, vel alius capax
» iurisdictionis huiusmodi quem ipsæ partes ad hoc concor-
» diter elegerint, cognoscendi de huiusmodi causis appella-
» tionum, eásque terminãdi, & quod decreuerit faciẽdi ob-
» seruari per cẽsuram ecclesiasticam auctoritate præsentium
» tanquam delegatus in hac parte habeat potestatem. Ar-
» chiepiscopus quoque existens pro tempore electionem
» eiusdem Decani confirmet vel infirmet, prout fuit hacte-
» nus consuetum, ac plenam & liberam iurisdictionem sal-
» uis præmissis in præfatum capitulum vt & tamquam cor-
» pus retineat. Ita tamen quòd postquam ipsum capitulum
» visitauerit semel, donec prius visitauerit totam suam pro-
» uinciam, ipsum non valeat visitare. Cæterùm volumus &
» auctoritate prædicta decernimus, quòd omnia & singula
» supradicta perpetuò & irrefragabiliter obseruentur, non-
» obstantibus quæ super ipsis seu eorum aliquo lis in Ro-
» mana curia cuius statum haberi volumus, pręsentibus pro
» expresso vertatur, nec non aliis constitutionibus, statutis
» apostolicis ac priuilegiis, indultis, consuetudinibus, com-
» positionibus, sententiis & aliis contrariis quibuscunque
» specialiter ordinationis fœlicis recordationis Vrbani Papę
» quinti decessoris nostri super his vel aliquo eorum factæ.
» Quæ omnia quo ad hoc nullam habere volumus roboris
» firmitatem. Nulli ergo omnino hominum liceat hanc pa-
» ginam nostri statuti, ordinationis, cõstitutionis, declara-
» tionis & voluntatis infringere, vel ei ausu temerario con-
» traire. Si quis autem hoc attemptare præsumpserit, indi-

gnationem omnipotentis Dei ac beatorum Petri & Pauli Apoſtolorum eius ſe nouerit incurſurum. Datum Auenione quarto Cal. Nouembris, pontificatus noſtri anno primo. Quo loco ſuprà attigimus Gregorij in Italiam profectionem, de Petro Amelio Alectenſi Auguſtiniano loquuti ſumus, is ſcripſit nauigationem eius Romam vſque, & maritima oppida, vrbes, ciuitates & vicos, quos quotidie videbăt, ſimul nauales ſocios itineris comites, eóſque omnes qui in famulatu pontificis tunc erant, & naues eas quibus vehebantur propriis nominibus diſtinguit, earúmque rectores, multáque ſcitu digna, vt compendio dicam, breuiſſimè complectitur. Quam deſcriptionem ab eo factam operępretium eſt, ne pereat, huic operi intexere à vili inſtitore Lutetiæ coëmptam.

ITINERARIVM DOMINI GREGORII PAPÆ VNDECIMI INCOEPTVM XIII. Septembris, anno Domini milleſimo trecenteſimo ſeptuageſimo ſexto, Pontificatus ſui anno ſexto.

Floris pulchritudo, & tu tamen pauperum
Dulcoris origo, conſolamen mærentium,
Eboris rutilatio, & caſtitatis lilium,
Pudoris protectio, & exemplum decor virginum,
Maris ſtella, viáque proficiſcentium,
Vocaris domina de Donis, regina Auenionenſium.
De tua ciuitate tuis donis mirè prædita longis temporibus
Exiuit gemma grata, & clarè prædita cælistibus,
Nobili proſapia generata, annexa regalibus,
Deo accepta, & placita hominibus, ſacerdos altiſſimi Gregorius,
Die tertia decima menſis ſeptimi,

Tibi aßignata à cunctis, vocatáque dies sabbati,
Seruis tuis grata pro electione ieiunij,
Heu fletus est, hæc imitata diem mæroris maximi.
Tibi virgo gloriosa explicare dolorem nequeo,
Dum amœna tempora colore immutata video,
Multum grata, rubicundioráque ebore antiquo,
Genas, colla rubricata, splendidiora claro topatio.
Ciuitas speciosa magnalia dicta sunt de te,
Nunc iaces prostrata in puluere & cinere,
Remanes orbata viro absque scelere,
Ab omnibus spreta velut peccatrix absque fœdere.
Oculi tui oculi columbarum obfuscati sunt lachrimis,
Dilecti filij tui vberum tuorum ablactati sunt vberrimis,
Speciosi sponsi filiarum tuarum lacerati iacent in viis,
Placidi tui intuitus irrigati sunt in verbis maximis.
In nouis noua ciuitas, & noua habitatio,
In te prima cœna & prima statio,
Pulchra & amœna gratáque mansio,
Multis est amara & horribilis inuitatio.
Manet dies Dominica secunda diæta omnibus olim grata.
Conuenit turba magna quæ currit, vterque sexus facie immutata.
Oriuntur suspiria gemitúsque, referantur cordis secreta,
Traditur familia, cùm dolet dominus, franguntur viscera cuncta.

Superſedeo de oſculis quoniam mixta ſunt lachrimis.

In Orgone terra abundans lapidibus, die tertia Petrus iacitur,
Sed in humo petrea spinosáque granum inane seritur,
Arcta est via, ex vno latere alueo Druentiæ clauditur,
Et altera ripa saxea macerie inexpugnabili modo protegitur.

O Deus quare ergo non clauditur, ne vmquam ſemita inueniretur!

Mars Deus belli crudele ac mortale texitur bellum,
In solis ortu ad imperiale palatium accessit gemma sacerdotum.
O mirabilis structura, mirabile præsidiũ, ex te fulget magnanimitas principũ,
Nec tu claudis semitas, sed omnibus patefacis ingressum.
Merito colonus nuncupatus, quasi de cœlo sis, aut de cœlo descenderis,
Idcirco tellus fertilis, non arida stimulis, sed prouisionis vocaris,

Frondoso

Frondoso ligno obumbraris, oliuetis arboribúsque pomiferis splendearis,
Tuo principe contenta sis, cuius es charissima, ne duobus confundaris.
Lætè obuiam principi cum omni genere musicorum venisti, [ostendisti,
Rectè consonantiam fecisti promendo, cantantibus mœstitiæ gemitus non
Placidè crapulam nobis parasti, multiplicia fuerunt pocula, plurima fercu-
la ministrasti.
Donet tibi Deus de rore cœli benedictionē, & te magnificet, quoniam sic nos
recepisti.
Dies Mercurij sciētiarum dominus, tibi Deus debetur verus latriæ cultus,
Qui eam adduxisti de nubibus, qui dedisti tuis seruis humilibus:
In Aquensem regiam vrbem ante solis ortum viam direximus,
Longa latáque fuit via, sed dulcis & amœnus aduentus.
Grata, amœna ciuitas regalis, cameráque, læta familia,
Turba magna occurrit apostolorum principi: senex antistes cum lætitia,
In eam ingreditur summus Pontifex cum sua comitiua,
Strata domicilia, parietes pannis sericis cooperta sunt omnia.
Palatium admirabile quid de te efferam præconiis?
Ex tua structūra elucet magnanimitas tui principis,
Grata fiunt conuiuia, vina electa, obmutesco de ferculis,
Geminata diēta, in te mansit dignitas sacerdotalis.
Veneris dies Ægyptiaca liquidò in ortu diei ane nunciata,
In alpibus mula cespitat, campana frangitur, via errata,
In Trecis paratur meridionalis mansio refectióque grata,
Quia fiunt triplicia omni bonorum copia, quia ciuitas amœna.
Sancte præsul maximine in te capitur nocturnalis dormitio,
Super te ara sanctæ Magdalenæ celebratur sacra matutinalis libatio.
Processit exinde antistes sumpto sabbatinali prandio,
Pergit per arbusta scallentia deserti, somnum capit in Auriolo.
In montibus & super saxa construitur nouella ciuitas,
In lustris densosis ducitur agnina simplicitas,
Fructibus, seminibus, vinis electis pollet parua communitas,
In domibus fumo dealbatis tertia die mansit regalis dignitas.
Mane ante lucem non fuit nobis vanum surgere,
Tunc cum faculis, & ingenti lætitia, celeriter incedere,
Ad vrbem sanctam Massiliensem accedere pro tanto munerē,
Lætantes plaudentésque manibus, incepimus loca sancta visere.
In ingressu meridionalis æstas incœpit nos durè affligere,

In incessu turma popularis nos atrociter opprimere,
In introitu occurrit omnis cœtus cœnobicus cum canticis & honore,
Lætatus omnis conuentus, vtriusque sexus de tanto principe.
Legislator Christique Vicarius Anachoretarum metas ingreditur,
Veritatis doctor, Christianæ fidei ancora, cœnobitarum septa aggreditur,
Sanctitatis doctor, pudicitiæ titulus, inter monachorum claustra situatur,
Dignitatis zelator à membris suis, dúxque mœstè sequestratur,
O splendor mundi, & lux lucis, caue ne obtenebreris,
Gubernator firmamenti fige pedem, rumina iter quo proficisceris,
Rector cleri adhibe tibi consilium ne irriteris,
Orator veri Dei pete vt mentem illustret ne confundaris.
Eia Christi milites, consortes apostolici, sæculíque rectores,
Sponsi ecclesiastici nobiles surgite, vigilate, efficiamini pastores vigiles,
Euangelij æmulatores, caput consulite, illi vos coniungite velut amatores,
Veri iudices, mundi principes, custodite ecclesiam ne intrent lupi raptores.
O nautæ sanctissimi nauem Petri rectè dirigite,
Anachoretæ verissimi, ecclesiæ Apostoli, anchoram firmiter tenete,
Lucernæ mundi super montem positi, radios vestros pandite,
Ecclesiæ armamentum ad quem locum transfretatis attendite.
In Mercurij sancto consistorio quidnam egistis?
Caput omnium Romanum præsulem inuolui pelago permittitis?
Lemouicensem virum perfectum in Episcopum Prænestinum elegistis?
Deus illum protegat quem sic periclitari sinitis.
O gloriosa & nobilis ciuitas nunquid tibi sufficiebat structura mirabilis,
Sacrarum reliquiarũ abundantia, dominorũ & mulierũ speciositas amabilis,
Nauium ex omni mundi climate concursus, portúsque amœnitas affabilis,
Nisi suscipere mereres Romanum pontificem XII. *diebus cum suis famulis.*
Ecce ex hoc te beatam dicent omnes generationes.
Iouis, septentrionale regnante, vespera cunctis est amara,
Dum palatium cœnobitale egreditur legis sanctæ norma,
Et ambitum nauilem ingreditur præsularis dignitas præclara,
Contubernium frangitur viscerale, fluente oculorum acerba lachryma.
O cor triste cur merore in exitu dulcis Prouinciæ consumeris:
Amor patriæ numquam te deseret, crede firmiter quocumque ieris,
Decor sæculi vale, exora pro me, loqui nequeo, offuscor lachrimis,
Durior est saxis, qui non demollitur in tuis congediis.
Deus quis vmquam cogitare poterit, quæ & quanta fuerint lamenta.

Gemitus, lachrimæ, rugitus, mugitúsque, suspiria numquam extiterunt tanta,
Partus mulierum dolores exedunt recessus tui terra benedicta,
Dominus lachrimatur, omnis maxilla lachrimis rigatur, franguntur viscera cuncta,
In insula somnum capit ante Palatium Galianæ,
Legislator, princips orbis, qui sceptrum tenet imperiale,
Anchoram regit nauis, & nauita efficitur genus regale
Tristu & flebilu dormitio cum ligamine frangitur cordiale.
O Venus flebile est tuum principium, finis quis sequetur?
Ventus est nobis contrarius, & Papa portum Milonis aggreditur,
Deus iter nostrum prospicit, surgente aura prosperè via paratur,
Summus præsul sumpto prandio ibidem sancti Nazarij littus ingreditur.
Suscepta leui cœna noctis hora prima inuitat stationem,
In plaga de Ronsellu summus pontifex firmat stationem,
Patria est nobilis Tholonensis diœcesis, non habet habitationem,
Trina dierum noctiúmque spatia peregimus ibi mansionem.
Serotina & dominicalis est pluuia, numquam fuit talis,
Tronitrua insurgúntque fulgura, inuasit nos timor mortalis,
Palpebra non dormitat, mens illecebra ruminat, mors est finalis,
Quietatur temporis malitia, opitulante Dei clementia, dies est lunaris.
Crucem sanctam fert miles strenuus, sancti Iohannis præcingitur balteo,
Gentem sanctam regit, admirallúsque pelago minatur suo baculo,
Barbam bifurcatam gerit senex, tyrióque pollet vultu procero,
Procellam superat nocte Iohannes Castellanus Empostæ nobilis, euaso baratro.
Quid est Iohannes Euangelista tu in maris viam rete acquisisti?
Iohannes Baptista absque labe leui in eremo locustas comedisti?
Iohannes Chrysostome tuo opere sermonéque os aureum nominari meruisti:
Et tu Iohannes Hierosolymitani ordinis Ramelli pelago fluctuare permisisti?
Die ipsa lunæ sexta Octobris compulatur, & exinde exiuimus,
Flante vento boreali ante Tholonum nimis celeriter transiuimus,
Magnæ erant elationes maris, nec propter hoc cessauimus,
Tandem in occasus solis portum de Reneston vix intrauimus.
Dum medium silentium tenerent omnia in noctis medio,
Surrexit ventus horribilis borealis in Foroiulij pelago,

Timent nautæ, pauent turbæ, lamentantur omnes sine remedio,
Inchoat senex vetulus, prosequitur puer paruulus laudes Christo.
Omnes fundunt preces altissimo, spondent vota sancto Quiriaco.
Excitatur Antistes, & expauescit de tam magno periculo,
Quiescente mari properat infrà accedere ante locum de Grimaldo,
De naui celeriter egreditur, somnúmque capit in sancto Tropesio.
Mercurij octaua Octobris exiuimus portum de Vermigneriis,
Ventus erat septentrionalis nobis valde placibilis,
Noster transitus fuit ante Leones Foroiuliensis diœcesis,
Gauisus Pontifex fortuna arridente largitur beneficia miseris.
Defert munera abbas cœnobita sancti Honorati magnificè,
Confértque gratiam retribuens illi, gerens vices Christi mirificè,
Aufert nobis vesperam tempestas diei initiatæ clarificè,
Defert cœnam Antipolis, obuiam sibi Lemouices & Narbonenses pelagistæ.
O Antistes Christofore, vbi est tui generis nobilitas promulgata?
Absorpta est in aduentu summi Pontificis largitas grata,
Mutat nomen tua diœcesis Grassa Prouinciæ nuncupata,
Quid nobis attulerit referat societas diu fatigata.
Die Iouis clarificata ante Riciam velox fuit noster transitus,
Cum hilaritate nimia Villam Francham ceu portum Oliuæ intrauimus,
Prandium, cœnámque lætè, abundè, quasi famelici auide suscepimus,
Nocte eadem in tranquillitate & silentio clarescente hemisphaerio quieuimus.
Die Veneris minus bene consulti mare intrauimus vento flante,
Prope Monachum mane peruenti, retro reuersi fuimus mare impellente.
Ad locum vnde recesseramus Oliuæ applicuimus fortuna obiiciente,
Dispensat Pontifex in gradu tertio consanguinitatis lege contradicente.
Gaudet exercitus, credit ad propria cum gaudio remeare,
Sed non sinet altissimus corda principum sine causa mutare,
Expergiscit plebs Niciæ ad pedum oscula cum hilaritate,
Mansit ibi vsque Mercurium præsul cum humilitate.
Paupertatis professor Francisce modice cur prosperitati ecclesiæ inuides?
Alias in tua die fuit tectum capellæ Palatij Auenionensis reductum in cineres,

Nunc verò in tua octaua gentem summi pontificis nauigare non sines?
Pugia nauis frangitur, & vela per aërem voluuntur lacerantúrque funes.
In barcha sunt cursores, iani toréfque lectisterniis papalibus,
In banda iacent sacerdotes, votáque spondent Deo cum suis promissionibus,
In hora noctis tertia frangitur anchora, & antenna cum suis ligaminibus,
In media nocte omnia desperata, vociferantur cuncti validis clamoribus.
Regrediuntur nautæ desperati de sua saluatione,
Discurrunt hinc inde per mare sine gubernatione,
Submerguntur merces & clericus incaute absquè dilatione,
Mane inueniunt se nautæ in sancta Margareta cum admiratione,
Calixtus fuit nobis charus & mihi propitius clarescente sole,
Viam patefecit Mercurius xv. Octobris relicto rure Oliuæ.
Pretiosa Oliua, relictáque in nauem extraneam mutata in Aue
Anchonensi labescente altero sole nos tranfretauit in Ianuensi littore.
O pretiosa inter baccharum & lilia sacerdotum Oliua,
Cur retrò hac die pedem fixisti desiderio fraudata,
Et iter tuum non prosequeris iuuenili consilio decepta
Debilis exitus nunc tutus, nocturnus somnus in Monachali platea.
Iouis tibi fuit dies lætabunda, cum sole oriente emispherium clarificauit,
Quæ te fortuna arridente in nobili littore absque portu collocauit,
Cur timet noctis tenebras, qui mensium latebras patefacit,
Nam ei cuncta obediunt, mare, terra & venti cùm imperauerit.
Venus naturæ amicabilis decem milliaribus remeatis in locum voluptatis collocauit.
Structura mirabilis benedictus opifex qui te ædificauit,
Verbosa curiositas, & inanis iocunditas quæ te fraudauit,
Amœna ciuitas Sauona nuncupata in ea nocte præsul pernoctauit.
Dies Sabbathi, dies celebris, gratè placidéque initiata,
Lucæ medico, Christi apostolo, euangelistæque, est hæc consecrata,
Mane mare ingreditur Christi Vicarius cum acie facie læta,
Mare dirè erigitur prope Lucernam, euasit barathrum hora vespertina.
Quare ventus irasceris, & mare quid mane eleuaris,
Aut certe ignoras ditionem illiúsque dulcedinem quem tuleris,
Vel fortè mores eorum iudicas ad quos eum geris,
Primus ipse Ianuæ portum ingreditur cui colla subderis,
Mirabilis patria, excelsa ædificia, montuosa gibbosáque terra,
Petrosa, arbustuosa, quasi non descenderit in ea ros, aut pluuia,

Mercimoniæ sunt multæ pluréſque diuitiæ populares, mixta tamen cuncta,
Apparatus eſt maximus plus tamen in apparentia quàm in exiſtentia.
Erigunt ceruicem, non reuerentur hominem fronte capillata,
Cupiunt ſibi cuncta ſubdere cæca mentéque elata,
Spernunt pauperem, ſpondent ſe carere omni inopia,
Et tamen vix ſeritur, neque nent in eorum patria.
Poteſtas ipſorum eſt maxima, non tamen naturale dominium,
Imperialis eſt ditio principatus atque, monarchale myſterium,
Veruntamen magna fuit ſagacitas quando acquiſierunt Cyprum,
Sed potior iuſtitia qua obtinuit meritò triumphum.
Cane antiſtes, profer verbum tuum, vt luceat ſicut gemma,
Demulce corda flammantia, emunge longè ad te venientia,
Benignè ſuſcipe cœtus Ianuenſium, *affectionem confirma promiſſione.*
Amplectere cunctos ad te venientes cum forti confœderatione.
O præſul magnifice non te decipiat cooperta & inflata nobilitas.
Nominalis vocaliſque dignitas in facto comprobatur, & propalatur veritas,
Ruſticalis propago non nouit regalem nobilitatem fictáque ingenuitas,
Accipe ligam ipſorum cum firma confœderatione, quia ſolemnis eſt hæc communitas.
Recede & dirige greſſus tuos cum ſagacitate antiſtes magnifice,
Iam elapſus eſt dies duodecimus quo fuiſti in Ianuenſi *ciuitate,*
Rumores inſurgunt, ſtridunt dentibus, ſpreta præſulis dignitate,
Cùm eos non accepiſti in tuo ligamine cum benignitate.
Vale ergo nobilis ciuitas cum tuis opulentiis,
Perſeuera in tuis mercimoniis & ſta in tuis commerciis,
Precor te recole de antiquis eccleſiæ amicitiis,
Adiuua ipſam ac protege cum tuis diuitiis.
Celebrata Apoſtolorum Simonis & Iudæ excelſa ſolemnitate,
Suſceptáque leui cœna iam clauſa die noctis obſcuritate,
Ingreſſa mare præſularis ſanctitas cum nimia celeritate,
In galea Anconenſi ſomnum cœpit cum hilaritate.
O ſtella mirabilis, ſitus tuus, & ingreſſus tuus eſt inueſtigabilis,
Quænam ſcis aut quomodo vocaris, ignota es & inſtabilis.
Fertur tamen quòd apoſtolos per dies tres antecedis aut ſubſequeris,
Quapropter planeta Apoſtolorum Simonis *& Iudæ ab omnibus nominaris.*
Tuæ influentiæ tamen ſunt horribiles, timent nautæ, tumet mare,

Surgunt venti, currunt nubes, eriguntur maris elationes, mouentur cometæ,
Magna sunt tonitrua, fulguráque, coruscationes cum grandine,
Non est colonus qui audeat his debus nauigare.
Sequens Mercurius Octobris xxix. læti de lectulo surreximus,
Preces gementes altissimo cum altis suspiriis fundimus,
Quatenus in almam vrbem diu desideratam prosperè applicaremus,
Sed fortuna obiiciente in solis ortu Delphini *portum intrauimus.*
Quinta feria quare obdormitas? torpórne inuasit te aut somnolentia?
Surge, propera egregie pastor, supra gregem tuum cum solertia vigila,
Inuade hostes tuos, atque cunctos eorum seueritate penetra,
Non sinas fœtas tuas torqueri, tyrannicéque cruciari fame aut inedia.
Dies Veneris *vigilia fuit celebris, frustra nauigare cepisti,*
Ferè viginti milliaria extra portum Delphinum fœliciter nauigasti,
Tertiarum hora fortuna impellente, retrò versus prælibatum portum intrasti,
Ostendebant tibi dij, quòd hanc diem merito celebrare debuisti.
In visu mentis intellexit hoc antistes sibi adeo specialiter reseruasse,
Patrono loci procurante sancto Hieronymo anachorita, eximio doctore,
Vt in tuam celebrem memoriam sanctorúmque, omnium solemnitate
Noui cœnobitæ loci sancti Hieronymi gratularentur perpetuò papali visitatione.
Pedester incedit per scalenta deserti velut Romipeta,
Ad anachoritas die Veneris, *quasi hora diei sexta,*
Columna & basis præsulum de nocte audit Christi sacramenta,
Quia ibidem recreantur tota die membra fatigata.
Mane sabbati adsunt omnes sancti, missam celebrat Vicarius *Christi,*
Intrat Oratorium sanctum, ad aram doctoris sancti Hieronymi
Confluunt omnes, nautæque obtupescunt de amœnitate exigui loci,
De tam solemni libatione sacra, sine sermone gaudent omnes sancti.
Intellexit paupertatem Monachorúmque inediam pastoralis clementia,
Aspexit quantitatem Eremitarum, supplétque inopiam, confert iocalia,
Vidit exiguitatem redditium, & obtulit eis magnalia munera,
Exaudiuit vota precantium, largitur eisdem pretiosa priuilegia.
Insurrexit gens elata, sustinere non potuit inanem inflationem,
Inuida mens, superbáque non compatitur æqualem prosperitatem,
Inuident se mutuò Catalonia, & Ianua, abhorrent correctionem,
Numquam inter se habuerunt veram & sinceram æmulationem.
Post aspera verba peruenerunt ad acerbiora crudeliáque verbera,

Pisanorum est solemnis communitas cum suis gratiosis muneribus,
Lucanorum grata ciuitas, cum ipsius opulentiis & amœnitatibus,
Offerunt tibi encænia magnificéque tuis fratribus dominis Cardinalibus.
Caue ne excæcetur oculus ecclesiæ, aut decipiatur blandis sermonibus.
Si meminissent antiquarum ecclesiæ subuentionum, nunc pro te firmiter decertarent
Cum sua acie tibi occurrerent, & pro ipsorum matre viriliter dimicarent,
Sibi ipsis pro futuro prouiderent, téque seipsos non illuderent,
Excæcauit eos malitia, noluerunt intelligere vt bene agerent.
Intelligite viri eruditi, attendite iuris periti sententiam nostri codicis,
Vir duplex, animus inconstans in omnibus viis suis.
Quamobrem verbum duplex in vestro ore male geritis,
Apte nudéque loquimini, de lingua pandite quæ latent in cordibus vestris.
Caueatis ne circumueniamini in falso negotio patrem nostrum,
Attendatis si est ne hoc verbum nostrum, amicissimus omnium?
A Florentinis quid nam accepistis, cur ergo manu tenetis partem ipsorum?
Ab ipsis dudum destructi fuistis, & adhuc ducemini propter eos in interitum.
Quid est se fingere contristari de delictis, & perseuerare in maliciis?
Veniunt quidam canibus rabidiores falsi religiosi in ouium vestimentis.
Aiunt si populus non deliquisset, veniam non exegisset, misericordia non est neganda miseris.
Cupiunt excusationem inuenire in peccatis, & nolunt confiteri de commissis.
Vorago pessima & abyssus versutiæ profunda, quid deglutire intendis
Gentem sanctam, Regale sacerdotiũ, imperiale dominiũ, populũ acquisitionis.
Ab istis non persequeris, sed à tuis iniquitatibus & maliciis,
Frustra ante innocentes laqueos tendis, qui ab ipsis irretita eris.
Flos lilij falso nuncupata, vtinam redoleres, & te cognosceres,
Et animum tuum à superstitione vana, & à paganitate reuocares,
Deum qui in cælis, & dominum qui in terris præest agnosceres & coleres,
Tempus esset vt præterita peccata lugeres, futuráque mala præuideres.
Consommata die octaua Veneris 14. Nouembris, Anchonẽses sunt licẽtiati,
In Liorna vndecim diebus effecti ferè frenaticique tertio sunt illusi
Acerba sequestratio quando membra copulantur alio capiti,
Anchonenses Sabbatho fortuna ridente Plumbinum sunt ingressi.
Cur sic mundi facula te duci permittis, qui radios abscondis,
Caue ne tertia mutatione dirè lugeas desperatæ salutis,
Columbina simplicitas à suo volatu potest retardari pennis eleuatis,

Kkk

Inordinata voluntas conuenit fraudari spretis consiliis.
Serotina fuit pluuia, dulcis & amœna propter rei euentum,
Dominica XVI. *Nouembris tota à Plumbino abscessimus ante solis ortum,*
Hilarata facie, ciboque roborata fœliciter ingressi fuimus Herculinum,
Prima noctis vigilia cum ingenti lætitia ibidem cœpimus somnum.
Parat & hæc apostolorum principi, itérque totæ aciei,
Refutat eum Plumbinus, vento Orientali *flante & contradicente ei.*
Turbat nautas Thetis obscuritas, sed applaudit Ferraria tristi faciei,
Dormitat antistes in Elba Ferrariæ, intrat Lingonem prima hora diei.
Progreditur pedester præsul, quærens requiem, occurrit ei Christi templum,
Mane ingreditur egregius Pastor cum fratribus suis Oliuæ suum
Ariditate loci obiiciente non decuit eum ibi triplicare tabernaculum,
Petrus, Ioannes, & Iacobus non sunt cubicularij, sed totus grex ouium.
Defert Ioannes Rogerij *nobilis nouus cubicularius & primus* Narbonẽsis
Pollet sacris dotibus, mores tenet regios, fulget virtutibus politicis.
Apparet senex caluitie iam ornatus magis, maturitate quàm temporis,
Floret iam trina dignitate adepta sibi merito à Deo *collatis.*
Nec defuit Petrus *monachus imbre cælestis pluuiæ irrigatus,*
Doctorali dignitate insignitus, multiplicibúsque abbatiis iam decoratus,
Nunc Referendarius Carpentoracensis antistes sollemnísque pastor egregius,
Isti fuerunt comites peregrinationis assidui cum aliis nobilibus.
De Baro præclare Ioannes sub diacone senior cubicularie tũc absens fuisti,
Epistolas quas legis bene intellexisti, quia ter naufragium pertulisti,
Petre de Cassaneis *calue venerabilis tua probitate regestrum obtinuisti,*
Mare *tuas bullas cum earum emolumentis refutat, tu vidisti.*
Doctor *egregie Helia cum tua doctrina, claráque sagacitate*
Antistitem quare non consulis cum nobili præclara fraternitate,
Ne terram benedictam, mellifluam desirat cum sua grata amœnitate,
Videtur tibi ne hoc palatium fore Parisiense cum sua nobilitate?
Cauallionensis præposite Petre Guiraudone cum tua grata societate.
Etiam præsens extisti leuémque cœnam suscepisti cum hilaritate,
Roberte fidelissime tu etiam in straminibus iacuisti cum tua sagacitate,
Romanũ præsulem nunquã deseruisti quocunque ierit seruiẽs cum humilitate.
O Pelagus *infidele neminem reuereris, nec vlli parcis,*
Fluctus tuos nimis acerbè eleuas, inflauit te ventus aquilonaris,
Domnus *Glandacensis in thalamo patitur tuis limphis,*
Hic homo sanctus & est mundi princeps, quem tu absorbere cupis,

Sanus & incolumis ex te progreditur denudatus rebus,
Humerus rustici in terra tulit apostolicum vnúmque de Cardinalibus,
Dominus condolet de bonis euanutis, plus tamen de domesticis humilibus,
Mercibus naufragatis in littore se gratulantur mutuò plaudentes manibus.
Mare præceptis ac nutibus tui principis in nullo obtemperas,
Per te conuenit habere Romanum *præsulem quem tu manè refutas.*
Nobilem Ambianensem Cardinalem sine causa cur sic infestas?
Maßiliensem ciuem de Brandis Stephanum *cum galea naufragas?*
Grandis fuit excubia, sed incauta vigilia,
Inanis extitit sola in mari anchora turbata maria,
In arduis negotiis geminata debuit fore sapientia,
In magnis periculis non licuit nautam capere somnia.
Oritur tempestas horribilis, anchora frangitur, & galeæ latus aperitur,
Ingreditur galeam fluctus maris, & nauis in profundum demergitur,
Promerentur vota, funduntúrque preces altißimo, scelera illi panduntur,
Naufragantur omnia personis reseruatis, ibíque iocalia perduntur.
Veneris feriata XXI. *Nouembris multis extitit amara,*
Virginis Ceciliæ vigilia in Christo *obdormiuit clara gemma,*
Cardinalis Narbonensis senex antistes humatur in Pisana *ecclesia,*
Maris fractus laboribus spiritum eius suscepit cæli gloria.
Bene memor Petre nobilißime reuerendißiméque Camerarie apostolice cœli hospitalitate,
Dignè in memoriam vertitur iugis beneficij accepti largitas grata cum humanitate,
Æmulatione paterna summum præsulem filialíque suscepisti cum humilitate,
Et me eius seruulum benignè in tua mensa recreasti cum hilaritate.
Retribuat tuæ ditioni benignitatíque perlustret immensitas supernalis,
Proficiat incœptam operationem dignitatémque adeptam pietas diuinalis,
Dirigat tuam celsitudinem cum probitate fraternali trinitas supercælestialis,
Constituat tuam dignitatem in gloria Christi *humanitas virginalis.*
Insula Maria non te decuit retinere mundi principem,
Silua deserta & solitaria pro tanto exercitu non habuit habitationem,
Egressa acie de Ferariæ alpibus mare tulit Romanum *præsulem,*
Arrepta via progreditur liberatus à turbine, firmat in Plumbino mãsionem.
Gaudet immensè Plumbinus *de aduentu tam magnifici principis.*
Letatur exercitus hilarata facie, liberatus de tantis periculis,
Inane extitit gaudium tantis opidis cùm nil sequutum fuit muneris,

Quid tibi obtulerit œconomi tui reponant in tuis thesauris.
Iouis XXIX. Nouembris multum celebris ac plurimis amabilis,
De Plumbini littore eleuatur Præsul cum suis seruulis,
Festinat Clemens ac pius pater, iungere se suis famulis
Portum sanctæ Reparatæ erga argentarium aggreditur cum suis domesticis.
Sequens Veneris mare quasi mediterraneum ingreditur,
Orbitellus à cunctis merito ac propriè nominatur,
Cum barcha Friuoli transit sternuúmque sic opidum aggreditur,
Vndique parua tellus dempto latere vno mari circundatur.
Laureatur comes Nolanus nobiliter, coronãtur omnes sertis frondosis, [lu,
Armatur malleus hæreticorũ Petrus Augustiẽsis, Episcop⁹ mõtu Flasconis fide-
Accenditur lucerna qua mons argentarius splendet velut sol multiplicatis faculis,
Gaudet Roma, Thussia, Campania, Anconáque fidelis intellectis signis,
Quid est crucifer Christi præclare signo eius frontem munisti,
Subdiacone apostolice nobilissime iugu in tuis epistolis legisti,
Christum ferè pontificem, & tu per pontem in mare cecidisti,
Tunc non gerebas crucem ante præsulem cùm submergi dubitasti.
Remeant ad propria galeæ illustrissimæ serenissimæque reginæ Siciliæ,
Festinant Romam accedere desiderio fatigati cruciatíque inedia dire,
Properat sceleriter se iungere tuus strenuus dux Berroy suæ sponse
Anhelat grata seruitia impendere nobilissimæ dominæ Ioannæ delectæ suæ.
Eia commilitones mei nutriti in delitiis, comedite carnes de suibus
Qui familici nimis auidè sumitis animam de brusonibus,
Non adipse frumenti aut meri suturati estis, vel lacte de ouibus,
Sed præsentia Romani præsulis velut manna cælesti repleuit nos dominus.
Humatis iam aliquibus, fracti laboribus infectíque malo aëre,
Dimissis etiam ægrotãtibus in magnis periculis festinauimus inde progredere,
Viam cum ingenti hilaritate ingressi fuimus relicto exiguo rure,
Non enim decuit Papam in orbitello paruulo cum tanta acie remanere.
Calcato mare paruulo pedester progreditur pastor cum suo baculo,
Spreto opido suum gregem ducit per arbusta in Herculio,
Recto itinere cum luminaribus properat accedere die Iouis clauso,
Seromet illo nauem ingreditur quasi consummato cursus brauio.
O castitatis zelator, pudicitiæque æmulator, gemma omnium præsulum,
Veritatis prædicator Nicolae excelse est nomen tuum,
Charitatis largitor, tua vigilia dulce tribuit de Herculio exitum,

Puritatis præseruator hæc tua itineri marino imposuit terminum.
Tellus Corneti *nimis opulenta, fertilisque es decorata turribus,*
V*icus tui lati existunt, hinc inde eructant grauibus,*
Rus tuum suscepit die veneris Romanum pontificem cum validis clamoribus,
Zelus tui nos coëgit obliti offensionem in tuo littore descendere de nauibus.
V*espera ipsius diei Veneris littus Corneti amicorum tuebatur cuneis,*
Gens armata præstolabatur dominum suum cum magnis suspiriis,
Terram aggreditur Antistes *cum lætitia sumpto prandio euasis periculis,*
Clamitantibus viuat pax misericordiámque poscentibus paruulis.
Terram aggreditur Antistes *in littore acceptis patriæ clauibus,*
P*opulus vociferatur dimissis offensionibus, tubis clangentibus,*
P*arce domine populo tuo, & moriatur præfectus cum suis sequacibus,*
Ingressus opidum Corneti cum ingenti gaudio pax vallatur perpetuis promissionibus.
In vinea domini Sabbaoths *Gregorij Papæ vndecimi quasi hora dubia venisti*
In ea colonus es, iam totam palmitibus tuis terram implesti,
Sæculi terminum significatum in vineæ cultoribus bene intellexisti,
Ac etiam tu in sero præ consortibus tuis in ea denarios accepisti,
Certe ambigo an finis sæculi in hora duodecima terminetur,
Expauescor mundi turbine, crebra vbi mala perpetrantur,
Inuoco inspectoris clementiam, quem latere nil potest vt ecclesiam tueatur,
Imploro illius misericordiam quod tua mens ab intentione sua non fraudetur.
Confortare & esto robustus, te introduxit dominus in terram melliflue͂tem
Euigilare & expergescere, torpor ne inuadat te, sed destrue malignantem
A*ggredere in brachio extenso in virga ferrea posside Petri hereditatem,*
R*eminiscere oro te prædecessorum tuorum qua iustitia destruxerunt Barbarorum ferocitatem.*
V*ale præsul sanctissime,* Deus *inspirauit te*
A*ttende quid verbum scriptum sit de te,*
S*urge senex & esto iuuenis, primam petram recole,*
Intuere prædecessorum tuorum vestigia, mundus audiet te,
Sed tu conculcabis inimicos Christi fortissime.
I*ndulge mihi precor humillimæque simplicitati ignosce,*
S*i quid minus bene locutus sum de tuo itinere*
Te & me reducat in patriam sempiternam C*hristus qui vocauit te,*
I*n pastorem gregis sui qui est benedictus in secula seculorum. Amen.*

FRatribus qui sunt in Auinione afflicti salutem & pacem bonam dicũt fratres vestri per Italiam dispersi. Bene faciat nobis Deus, & meminerit testamenti sui sancti, quod habuit ad Clemẽtem sextum, qui illustrauit nos & annum iubilei concessit. Orationibus instate, vigiliis, eleemosynis, precibúsque dominũ pulsate, vt tandẽ aperiat cor nepotis sui eiúsque successoris Gregorij vndecimi inclinet & inducat ad id faciẽdũ. Scribimus vobis insuper mala quæ meritò venerunt nobis his diebus, ex quo recessit Iason à terra sancta, quæ vos legentes, magnificè gratias Deo immensas agatis, qui liberauit nos de supradictis periculis, mihi quoq; indulgeatis meęque imbecillitati ac imperitiæ adscribatis, quia passus Leoninos & Rhetoricos prosequutus non fui, propter minus bene intelligentes consortes meos. Pro me peccatore Christi seruulo Senogalliẽsi indigno Episcopo exoretis consorte in vestris tribulationibus. Scriptum & completum in Alueolo Corneti in die sancti Nicolai Antistitis, anno Domini millesimo trecentesimo septuagesimosexto, Pontificatus prælibati Domini Gregorij Papæ XI. anno sexto.

Explicit itinerariũ Marinum sanctissimi ac beatissimi domini domini Petri Rogerij de Belloforti, sola Dei clementia Gregorij Papæ vndecimi vsque Conretum Thuscanensis diœcesis, vbi fuit curia à quinto Decembris vsque decimumtertium Ianuarij.

INCIPIT DE CORNETO ITINERARIVM VSQVE ROMAM.

Martis Ianuarij XIII. nobis extitit paradisi terestris ianua,
Attenuatis maxillis & fluctibus fatigatis, suíque vnisoli aruina,
Euanuitis quinque septimanis in oppido Corneti cum mœstitia,
Electis tribus Archiepiscopus, summus Antistes mare ingreditur cum lætitia.
Somnum cœpit in galea ante littus Corneti Pontificalis serenitas,
Populum suum recensuit charitate Dei inflammatus pastoralis dignitas,
Ouium suarum curam gerit cum clementia præsularis sanctitas,
Pauperumque debiliũ omnem multitudinem in barcha iubet recipi paternalis pietas.
Quid est nobilissime Guischarde Tyro ephebus Vicecomes de Cõbornio omnem colorem mutasti,
Numquam patria nouit te cuius propaginis tu trabem dulcem traxisti,
Quod præsigium fuit cùm mare ingredereris ensem tuum perdidisti,

Non iubes velut propheta quod ferrũ nataret, quinimo ipsum perquiri fecisti.
O mare de tui itinere hæsitans vaticinatus fui qualis finis sequeretur.
Clarè intueor quòd mentiti sunt aruspices arioliq́ue dum prophetantur,
Liquidè conspicio quòd mutata sit nostri sententia quòd præsul Romam non ingrederetur,
Vnde vobis loquor quod obstruxit vestrũ os altißim⁹ dũ mirabilia operaretur.
Menti etiã sunt philosophãtes, loquẽtes de flebili principio male terminatè,
Decepti sunt Physici cum suis falsis constellationibus determinantes inepte,
Imperiti sunt obloquuti falsè vaticinantes de seculi sceptrum tenente,
Saluati sunt Christicolæ hac die cum summo pontifice Dei clemẽtia opitulãte.
Tempus esset vt mare tuum dominum cognosceres, illiq́ue obedires,
Deus in terris est quem vtero tuleris cui nunc arrides,
Ventus nunc culpam confitetur, & tu aura eidem adhæres,
Domnus Antistes est quem absorbere iugis satagisti cui modò applaudes.
Media nocte egredientes de littore Corneti septemtrionali flante,
Clara hemispheria rarefacientia aëria, claritate nimia emicante,
Maria quietante prosperè nauigauimus tota ea nocte,
Fortuna obiiciente barcha equorum lapidatur vento impellente.
Mane Mercurij prandij hora cum ingenti gaudio Fauses peruenimus,
Prosperè feliciterque prius trina anchora percußione suscepta Tyberim introiuimus,
Lætè cum immenso gaudio, suscepto prandio Ostiam ingreßi fuimus,
Murale præsidiũ mirabile est, ciuitas venerabilis nullius exiſtẽtiæ ibi cœnauimus.
Sero illo properauerũt senes Romanorũ venerabiles ad eorũ præsulẽ accedere,
Gaudio immenso repleti, plaudentes manibus non valebant verbum proferre,
Deo teste in terris tanta iubilatio non visa fuit, nequeo explicare,
Accenso lumine chorisabant cum tubis & faculis calui decrepiti cum sonore.
Veneris sequens surrexit media nocte antistes, vt laudes Deo caneret,
Libatis sacrificiis aliquali dormitatione suscepta tuba cecinit, vt omnes excitaret.
In galeam reuertitur Romanus pontifex vt per alueum vrbem accederet,
Ventis & remis cùm vela violẽtãtur cõtra impetũ fluuij vt Romã applicaret,
In ortu diei ingresso Antistite galeam Maßiliæ, omnes lætantur,
In exitu Ostiæ galeæ Anchonæ & Maßiliæ obiurgantur,
In ascensu Aluei obuiam sibi inuicem è contrario paulominus omnes periclitantur,
In egressu impeditur præsul sãctißim⁹, mœstitia & dolore omnes angustiãtur.
Euasis baratro Christicolæ almã vrbem satagũt applicare cũ labore nimio,
Relictis retro galeis celeriter properauimus sumpto prãdio in Portuẽsi pelago,

Effusis Deo precibus supplicibus nobis in ripa obuiãtibus flentes præ gaudio,
Eleuatis vexillis, equis oneratis, tintinabulis cum asceʃoribus in cãpo magno.
Currebant banderarij Romani *velut dementes tubis clangentibus,*
V*eniebant senes, pueri, ac iuuenes clamantes Viuat dominus,*
Stabant in litore sancti Pauli infiniti populi cum luminaribus, [*bus.*
Expectabãt Romanũ præsulem, cum nimio apparatu, Viuat Papa vociferãti-
Nocte præuctus non descẽdit in terram dominus, ibidẽ pernoctauit in alueo,
Bene consultus somnum cœpit Antistes *in galea in Tyberio,*
Mane autem facto confluebãt Romani *innumerabiles à sancto* Paulo,
Sole resperso descendit de galea prius bis libato sacrificio.
Die ipsa Sabbati XVII. *Ianuarij Simone Petro* Romam *prius cathedrato*
Antecessore tuo, cuius tu vestigia sequeris, ibidẽ cathedram tenuisti primo,
Te ingrediẽte doctore gẽtiũ ecclesiã, tuæ sanctitati occurrit mirabilis processio,
Flectente te genua largito panno aureo missam audisti à Senogalliẽsi Episcopo.
Facta visitatione sancti Pauli *palatij, ordinatáque processione domum præsul egreditur,*
Via incæpta obuiant pontifici histriones, cum filozis via tractatur,
Luta sũt nimia, infinitus est apparatus, corizãtes in iubilo omnes progrediũtur,
Tuba clangente conuocatáque acie mirabili vexilla eriguntur.
A*dest societas nobilissimi ephebi tyronis Remondi Turennæ multum grata,*
R*egalisque, nobilis, & fortis acies erat militum benè armis decorata,*
Multa milities, plurima sagacitas, velut castrorum acies bene ordinata,
N*ec defuerunt primicerij bandereriique etiam senator manu armata.*
E*ggrediẽte summo pontifice sancti* Pauli *palatiũ affuerũt mille histriones,*
P*rogrediente præsule antè chorizabant induti omnes panno albo manibus plaudentes.*
C*anente tuba processio incipitur, & banderiæ eriguntur omnes iubilantes,*
Mane hora prima iter omnes ingressi fuimus eundo lætantes.
V*exillum ecclesiæ gerebat senex* Tyro Empostæ *Castellanus,*
Domiciliũ quilibet egrediebatur propriũ, occurrit infinitus populus Romanus,
Nobilium filij pileos ferebãt ante dominum, iste est dominus quẽ sperabamus,
Vociferantium vox erat etiam, viuat Papa, *euntes lætè eamus.*
In porta ciuitatis affuerunt innumerabiles prælati induti pontificalibus,
S*igna gerebant papalia imperialiáque cum Clericis & sacerdotibus,*
Tintinabula cum omni genere musicorum resonabant cum sonoribus
Limina cùm ingreditur Romanus Antistes, dominiũ ei traditur cum clauibus.
Almæ vrbis cõsiliarij, senator, Bandarẽses omnes coperti sunt pãnis sericis,
Vnde

Vnde ostendebatur magnanimitas Romanorum nobilium cum eorũ opulẽtiũ,
Verè non credebam in præsenti seculo videre tantam gloriam oculis propriis,
Dirè fatigatur præsul prolixitate itineris cum suis seruulis.
Per mediũ vrbis proficiscendo ambulãtes mulieres præ gaudio lamẽtabãtur,
Super tectum ascendebant cum nimia deuotione præsulem intuebantur,
Hilariter collendas spargebant velut rosarum flores, omnes gratulabantur,
Celeriter per vicos currebatur, sicut Dei paranymphus Bertrandus Raphini mancionator,
Hora completorij ad gradus sancti Petri ieiunij lætè peruenimus,
Tota perlibata die in processione & diuina laude insudauimus,
Clausa die nimium afflicti cum luminaribus prandium suscepimus,
Membra fatigata debilitatáque magnificè gemmatis ferculis refocillauimus.
Tibi Chiste splendor patru immensas laudes refero,
Tuæque virgini matri humilem veniam postulo,
Simoni Petro Paulóque apostolo me recommendo,
Mihi indulge Gregori si minus bene loquutus sum de tuo itinerario,
Loquar & vtinam in tui præsentia referam in conspectu altissimi quæ gesta sunt in futuro seculo. Amen.

De Roma vsque Anagniam.

Monitus sancto spiritu proficiscitur Abraham de aram versus plagam Orientalem,
Præmonitus pristino casu, non mutatur, sed viam aggreditur Campanialem,
Cõsultus diuino nutu roboratur inter ipsũ amicitia populúmque eius cordialẽ,
Inflammatus diuino flatu, ingreditur stratam versus montem superagionalem.
Illo tempore quo paracletus sanctus corda discipulorũ tẽperãtia inflãmauit,
Sabbato more solito XVI. Maij norma præsulum stationem mutauit,
Palatio sancti Petri Tusciæ derelicto summus põtifex almam vrbem intrauit,
Libato matutinali sacrificio, ad sanctam Mariam maiorẽ accedere festinauit.
Mane orto iam sole, in vigilia Pentecostes, celeriter currunt manipuli,
Romæ namque bandarenses cum suis cuneis accesserunt nobiléque marescalli,
Almæ vrbis conciues cum nobilibus confluebant lætè more hostili,
Turbæ iubilantis erat sonitus, Viuat Papa, zelo zelati seruiamus illi.
In exitu palatij S.Petri, adfuit Senator cum cõciuibus nobilibus,
In progressu mirabili astitit Tyro nobilis dominus Raimũdus de Turena cũ militibus,
In egressu domicilij extitit Marescallus strenuúsque miles Hugo de Rocho cũ baronibus.
In incessu nobili non defuit caluus ephebus miles Guido de Bruinis cum suis sequacibus.
Equestres seu habenarum præsulis directores erant manipuli induti panno consimili.

Histriones ioculatorésque erant innumerabiles, qui præibant, etiam & musici
Rectores vrbis & sacræ societatis trepudiabant omnes clerici & laici,
Conseruatores antecedebant omnes induti loricis, currebant periti & seruuli.
Traiecto ponte sancti Angeli parietes strati erant pannis aureis,
Incepto itinere versus plateam Parionum hinc inde erant parata velis sericis,
Orto sole refulgebant vultus, velut meridies ac depicti manibus angelicis,
Recto itinere pleniora & exuberantia apparebant vsque ad finem itineris.
Prolixa fuit dieta, sed multum breuis propter sui amœnitatem,
Ingrata imparilitas viarum, sed grata nimis propter populi affabilitatem,
Arta via repleta turbis non valens capere venercam speciositatem,
Per acta spatia peruenimus lætè ad sanctæ Mariæ *maioris montem.*
Quanta fuit inde almi spiritus in templo sanctæ Mariæ iubilatio,
Tota vrbs sacra congregata ibi, interfuit mane in Papali *sacrificio,*
Sancta & immaculata est ecclesia Dei *genitrix multum grata in ædificio,*
Vlla lingua carnis non potest exprimere, nec ego fari valeo.
Electa fuit à Deo *& gloriosa Virgine Maria ab initio in mõte superagio,*
Dotata & irrigata imbre cælesti candoréque niueo in singulari exemplo,
Completa rore deitatis, velut ara Gedeonis in Augusti initio,
Cõstructa & ædificata per almæ vrbis Episcopum Liberiũ *cum ciue patritio,*
Feria sequens tertia ad sedem suam accedit ecclesiam Lateranensem,
Gemma feruens omnium præsulum, vobis dans normam rectam præsularem,
Lucerna ardens super candelabrũ ibidem missam secretè celebrat singularem,
Sancta mens sancta sanctorum intrat post sacrificij sanctam libationem.
Surgit ab acubitu suo summus sacerdos altissimi Gregorius cõpleta oratione,
Exiuit palatium Lateranense cum sua nobili comitiua incepta processione,
Occurrit ei innumerabilis populus vtriusque sexus cum iubilatione,
Accessit iterum ad sanctam Mariã turba lacrimãte præ gaudio & dilectione.
Euanutis octo diebus Pentecostes adest dies sanctæ Trinitatis,
Expletis omnibus diuina celebrat Antistes ibidẽ in tabernaculo sũmæ sancti-tatis,
Imbutis populi mentibus eius sanctæ conuersationis exemplo & honestatis,
Completis sacris libationibus ad propria remeat turba in voce tubæ iubilantis.
Pulsatus deuotis precibus suorũ canonicorũ S. Ioannis Lateranẽsis ecclesiæ,
Deuotus pastor gregem suũ reuisitat in solemnitate sacratissimæ Eucharistiæ,
Ornatus sacris vestibus solemnia peragit super mensam Christi *cœnæ,*
Tantus populus Romanus adfuit quòd ambitus loci nequierunt capere.
Reseruata Eucharistia *repositáque per suas manus sacratissimas in custodia,*
Largita benedictione solemni atque promulgata septemnali annorum sacra indulgentia,


Ostensa apostolorum capita plaudendo manibus turba repatriat cum lætitia,
Apprensa habena equi non valebat præsul æquitare impediente turba.
Patienter ferens egregius pastor oppreßionem à suis deuotis ouibus,
Lætanter iens benignéque suscipiens vota à suis seruis humilibus,
Iter præbens profundæ humilitatis sanctitatísque deuotis suis sequacibus,
Gratanter audiens, publicam suscipiens legem, Mosaycam sumptis Iudæorum cerimonialibus.
Ingresso templum sanctæ Mariæ in monte superagio cum lætitia,
Aggresso prandium solemne cum Romanis nobilibus totáque familia,
Completo conuiuio roboratur inter ipsum & Romanos sincera amicitia,
Peracto spatio duorum dierum viam direxit in Anagnia cum solertia.
Aue virgo Dei genitrix, quæ talem elegisti locum pro tuo famulatu,
Salue templum dominicum à Deo decoratum dotatúmque cum tuo tabulatu,
Vale mons & regio temperata, multum grata cum tuo aspectu,
Bene tibi sit alma vrbs sacra prædita cælestibus cum miro affatu.
Quid Virgilius agnitor virium, regionum, herbarum de te fari potuit?
Quid Solinus speculator vrbium & climatum in te intueri valuit?
Quid Vegetius scrutator Tyronum nobilium de tui strenuitate disceptauit?
Quid Tullius compositor dictionum & versuum de te fabulari debuit?
Quid Iudas Machabæus de tui prodigalitate in sacro canone exarauit?
Quid Sallustius scriba doctus de tui fundatione exordióque texere potuit?
Quid Lucillius Martialísque doctus, Seneca de te sculpi potuerunt?
Quid sexus fœmineus Sibyllarum futura vaticinantes de te prophetarunt?
Quid Valerius memorator gestorũ historiatúmq; de tui vetustate habuit?
Quid Iosephus sãctus ãtiquitatũ vetustatúmq; de tui nobilitate reserare debuit?
Quid Tripertitor temporum recollectórque chronicorum de te exarare valuit?
Quid Vincentius seminator gestorum aßignatórque temporum de te in suis codicibus inseruit?
Quid omne genus poëtarum & doctorum in laudem tui extollere potuit?
Intellectus ménsque mea ferè parui pẽdit, quoniam veritatẽ tuam siluerunt,
Oculus meus intuitus est infrà, mœna tua sanctißima vrbsque corruerunt,
Verecundor quam plurimum, quia & ego insufficiens minúsque eloquens suscipere nesciui,
Imaginórque ipsa mirabilia & inenarrabilia de se testibus perhibent veritati,
Quod etiam si homines silerent, ipsi lapides loquerentur cuilibet intuenti.
Quoniam diu strenuẽ pro vtilitate rei publicæ in agone certasti,
Quia diu sinceram fidem illibatam inuiolatámque seruasti,

Quia diu fouisti filios, quos lacte proprio in tui decore nutristi,
Quamdiu fauisti illis qui proprio cruore te sunt mercati,
Tamdiu sceptrum ditionis totiúsque mundi caput erectum tenuisti.
Auertisti faciem à Christo tuo interdum, & non auxiliata ei in bello.
Recessisti sponsa, sponsa, & fornicata es cum amatoribus multis à tuo dilecto,
Voluisti te submittere excæcata deceptáque in aue consilio domino legitimo,
Abisti currens post viros alienos sine rubore orbata proprio viro.
Attende quæso vbi prostrata fueris, & quanto tempore ibi iacuisti,
Aduerte exoro vbi vestem regalem sordidasti, & disploidem in cõfusionem induisti
Recole postulo celsitudinem dignitatis tuæ ditionísque qua mundum registi,
Intuere peto nunc vbi sunt qui te beatam dicebant, tibíque arridebãt in proprietate tui.
Abierunt, alienati sunt retrorsum, téque velut desertam spreuerunt:
Aduenerunt tibi dies mali, nec fuit qui te adiuuaret, omnes recesserunt.
Circundederunt te inimici tui vallo, & florẽ pulchritudinis tuæ abstulerũt:
Clamauerunt venite disperdamus illam, téque destruere cogitarunt.
Audiuit dominus & misertus est tui pro paternitatis affectu,
Venit ad te sponsus tuus facie rutilans cum grato aspectu,
Reconciliauit traxítque te miserans tui dilectus diuino nutu,
Leuauit dexteram suam, amplexatus est te pastor charitatis amplexu.
Habes nunc sponsa quem per vicos & plateas tam diu quæsisti:
Tenes eum filia Syon, téque zelo sinceritatis coniunges illi,
Possides nunc amorem suum, tene, nec dimittas quem tantum concupisti,
Fulges iam spendore illius, omissúmque dominum si adhæres ei, recuperasti.
Læta nimium in aduentu sponsa fuisti extollens in iubilatione,
Oblita scelerum & miserationum vetustarum plaudisti manibus præ admiratione,
Turbata plurimum die sabbathi penultima Maij in pastoris tui profectione,
Afflicta cogitationibus Antistem in recessu non tuisti tua munitione.
Certè non te deseret, ne turberis dilectus, sed mutat duntaxat stationem:
Crede firmiter zelo zelatus est tui, nunquam te deseret propter tui amorem.
Perge post illum, adhære ei qui non recedit sed quærit recentem regionem.
Dirige gressus tuos præsul sanctissime incœptos, ne dubites radium solarem.
Recedente ab alma vrbe summo Antiste mane primo diluculo, [populo,
Proficiscente versus Companiam nobilem per talem planiciẽ cõpatiebatur suo
Pergente increpata custodia vocabat fœtas tradito pede pro sancto osculo,
Eunte præsule deprædatur quidam, capitur latro, nunc moritur in patibulo.

Sitienti asperso puluere præbuit diuina pietas solemne refrigerium,
Deficienti & lasso subuenit Dei genitrix de crota ferrata templum,
Intranti cœnobitale domicilium præbebat omni volenti aquam in poculum,
Cupienti & exusto solis ardoribus præstabat multum placibile solatium.
Situs hic est in montibus supra mare in lucis densosis,
Conuentus iste est cœnobitarũ græcorum fundatus in honore Mariæ virginis,
Locus est valde amœnus, distat ab vrbe decem milliaribus circũdatus limphis,
Domus est bene fundata supra firmam petram licet in locis aquosis.
In ea mansit serena sanctitas præsularis geminata dieta propter amœnitatẽ,
In ipsa egregiè collocati fuerunt duo Cardinales propter ipsius affabilitatem,
In ipsa ecclesia astiterunt quatuor Prælati propter loci fœcunditatem,
In qua tota ipsorum familia semper extitit propter illius capacitatem.
Primo mane Iunij ante lucánum corpus Christi omnibus viam patefecit,
Ingresso itinere eum sequitur turma sed incautè talis casus euenit,
Percusso Salmerio antistitis Carpentoracensis gladio crudeli manu interiit,
Orto iam sole summus pontifex egresso cœnobio Anagniam viam arripuit.
Prodiit exinde progrediens summus pontifex rectè per deserti squallenta,
Abiit egregius pastor cum amicis suis, per heremum & nemora,
Venit turba per campestria plurima ad beatorum pedum oscula,
Siluit tellus in aduentu principis, pacificatáque sunt omnia.
Porrò siluam grandem ingressus lucus tuebatur castrorum diuersis cuneis,
Credo illam fore vallem vmbrosam Iosaphat in terra promißionis:
Puto quòd nemus lignorum Cosdroë & saltus Libani non sit similis,
Spatio peracto transacta hora tertiarum applicuimus vallem Mutonis.
Opidum illud solemne est in ingressu Campaniæ Prænestinæ diœcesis,
Castrum forte est in montibus inter siluas obsitus filicis,
Castellum vnius domini nobilis est almæque vrbis conciuis,
Domicilium illius pulchrum, cum aspectu mirabili cum ornamentis sericis.
Recreati in illo tota die hospitati egregiè sospitati pernoctauimus,
Excitati bono mane immẽsas laudes Deo obtulimus sacrificiúmque libauimus,
Refocillati iter nostrum continuauimus per vallem opacam condensis nubibus,
Roborati asperè & cum celeritate illo mane XII. milliaribus equitauimus.
Cum tertiarum hora finem daret diei Martis sexta mensis Iunij,
Dum turmarum cõcursus appropinquaret ad pedum oscula recedebant hilarati ieiunij,
Vrbium in voce tubarum populi ad eum confluebant præ gaudio exanimati,
Territorium Anagniæ applicamus optatum cum lætitia ingenti sole exusti.

Appropinquăte summo antistite ciuitatem Anagniæ cum nimia hilaritate,
Ingrediente pastore gregem suum, currebant oues cum nimia auiditate,
Progrediente præsule accesserunt populares corisantes velut histriones cum iucunditate,
Intrante suburbia adfuit turba cum processione iubilando cum sonoritate.
Antiqua & solemnis est hæc ciuitas situata in alpibus Campaniæ,
Longa valde nec lata, pollet vno vico inter alia communitas Anagniæ,
Amœna grata in aspectu, circumdata vallibus collísque planicie,
Vicina ferè sideribus caret fluminibus, pollet fontibus cisternísque pluuiæ.
Alta ædificia, structura lapidum maxima, terræmotu ruináque dissipata,
Grata domicilia, fumo dealbata, lignis castaneis cooperta & constructa,
Agmina hominum & mulierum in vultu sunt colorata pari forma,
Exusta solis ardoribus facies non rutilat colore tetro assimilita.
Quia alba, deliciosa, rubra, inuisa & penitus ignota,
Grana optima cum fertilitate & fructuum copiositate nimia,
Ænaria electa regio temperata gens bona cum rusticali affabilitate grata,
Deuota plebs, simplex, grex fideliter ambulat in sua prædia.
Secretum est ô alma ciuitas Romana nobilis in Campania illustri,
Subdolum deposco si pandam in laudem ne imputetur referanti,
Saxum concauum in modum specus latet in Anagnia in loco eminenti,
Stagnum reputo aquam abundè præbens omni volenti & haurire cupienti.
Retrò matrem virginem iacet quæ nobis peccatoribus aquam tulit salutis,
Puto eius precibus illud ibidem præseruatum suis fidelibus tempore sterilitatis,
Credo quòd in seculo non est ei simile in cuspide montis,
Ergo ne terreamini vltramontani nobiles, sitientes ibi lympham bonam haurietis,
Quæ ad æthereum thalamum ascendisti, in Anagnia mirabile templum elegisti,
Quod crebrescentibus miraculis portentis prodigiisque ostendisti & mirabiliter decorasti,
Tu etiam mentem summi antistitis Gregorij vndecimi tua gratia perfudisti,
Cum sancto flamine ignito in tui deuotionẽ imbre cœlesti imbuto commouisti.
Pastor egregius suscepto mundi regimine feruentius in tui deuotione zelóque perseuerauit,
Doctor eximius percepta tui gratia te in suam matrem adoptauit,
Rector pius vniuersum perlustrauit, tua oratoria iugis sui principio decorauit,

Sator honestatis tuã natiuitatẽ adamauit, & sacra vigilia primus adornauit.
Nutu spiritus almi, cuius septiformis gratia inflammatus septima Septembris ieiunium mandauit,
Ritu perpetuo sua potestate celebrari cum missa stabiliuit & ordinauit,
Dictu suo firma promissione vallato etiam cum bulla vnde prædicta promulgauit,
Affatu diuinóque suo relatu hanc deuotionem inserui quam suo munere amplificauit.



VRBANVS VI.



SEXAGENARIVS, exigua statura, crassus corpore, coloréque fusco, Vrbanus ad pontificatum promotus est. præclaræ in eo quidem virtutes ante pontificatum elucebãt, eruditio prope singularis, amor iustitię & castitatis, odium simoniæ ac munerum, beneuolentia ingens erga bonos doctósque viros: sed virtutes illas pontifex factus visus est aut nũquam habuisse aut vno veluti momento amisisse, tunc cùm magnopere illis indigebat: plerumque enim Deus iis quos odit mentem eripit. Quomodo autem non Cardinalis electus fuerit, operępretium est dicere. Id collegium ex Gallis hominibus compositum fermè erat, quatuórque tantùm Itali in eo numerabantur, quorum notissimus Ioannes Vrsinus ciuis Romanus, hic põtificatum appetens Quirites suos monebat, vt hac voce vterentur, Romanum aut certè Italum põtificem volumus, vímque si opus esset etiam afferrent. Galli Cardinales qui se alibi quàm Auenione esse viderẽt, & alterutrum optandum faciendúmque, Bartholomęum


Neapolitanum sibi cognitum & in curia Auenionensi penè educatum, etsi nondum Cardinalem, pontificem maximum dici voluerunt, quòd in eo non dubias animi virtutes deprehendissent. Itáque in hunc modum à concordi eorum discordia vt videbatur electus, amplissimi sacerdotij dignitatem adeptus est. Baldus Iuriscōsultorum decus, & Boninsegnius ciuis Florentinus, complurésque Itali, & Gallicus scriptor Frossartes vim illatam collegio sagittis lapidibúsque confectum negotium asserunt, sed ita vt nemo Cardinalium læderetur, vtcúmque sit, pontifex tamē Vrbanus erat & in possessionem missus, eúmque verè & propriè esse Episcopum Romanum Baldus qui tūc de iure respondebat, quęrentibus affirmauit, responsúmque eius ad commentarios in lib. 6. Cod. continetur: Vrbanúmque nutritum in Gallia, & mores gentis induisse dicit: Verùm quia populus correptis armis in Vaticanum ierat, clamarátque inconditis vocibus, *Romano ô vero Italiano lo volemo*, conclauéque ipsum vi effregerat, nisi quidam cisalpinus Cardinalis clara voce percontantibus dixisset Cardinalem D. Petri electum esse, sed nolle consentire, de cisalpinorum salute vitáque actum erat: nam audita Cardinalis voce, irruerunt in Cardinalem S. Petri, eúmque renitentem & inuitum in apostolica sede collocarunt. Interea singuli Cardinales elapsi aut diffugere aut absconditi latuere, donec tuba popularis ad sanitatem animi rediret. Itáque Galli sententias mutaturi non videbantur, nisi intēpestiuè eis succēsens Italos quoque Cardinales verbis terruisset, quod minimè ab eo factum aut non tam citò oportuit. Ineuntem enim magistratum multa videre, sed ad tempus fingere & simulare præstat. Igitur Cardinales Galli

pe

per ſpeciem vitādi vrbani æſtus Anagniam primùm mox Fundos ſe recipiunt, ſcribúntque Italis qui ſeceſſerant ab vrbe, vt ad ſe veniant, ſingulis eorum pontificatum polliciti. Illi ſpe prędæ literas quas accepiſſent nō legunt ſociis, ſed recta eunt Fundos, quod eſt oppidum ſitum non procul à Caieta & mediterraneo mari, habitíſque comitiis pontificem creant Robertum Gebennenſem genere nobiliſſimum, facundum & eloquentem ac ſtatura mediocri: eíque Clementis ſeptimi nomen tribuunt, deceptíſque Italis illum Auenionem traducunt. Quidam morbi neceſſariò ſunt lethales, talis igitur fuit calamitas tunc inuecta in meſſem ac ſegetē Dei immortalis, inuecta à quibus? ſoli Cardinales tantæ perturbationis auctores fuere. Porrò facilè eſt ignem accēdere: at cùm ſemel vagari cœpit & ſubiectam materiam corripere, non niſi difficillimè extinguitur. Vtri igitur magis rei ſunt læſæ maieſtatis diuinæ Itali an Galli? perinde hos atque illos accuſo. Nihil enim boni fecerunt, contrà plurimum mali intulerunt in orbem terræ. Catharina Senenſis ad Vrbanum octo epiſtolas mittit, quibus hortatur ad eccleſiam Romanam, vt hortum optimis & ſuauiſſimis floribus, ita ſanctiſſimis Cardinalibus muniendam, qui ſint veluti columnę firmiſſimæ; & ad im ſtaurandam illam impellit. Simul ad Carolum Francorum Regem ſcribit, Bartholomæum Archiepiſcopū Barenſem ſiue Vrbanum ſextum legitimè electum coronatúmque à Cardinalibus, nec in metum cōferendam eſſe electionem. Quas eius epiſtolas à Chriſtianis hominibus magnopere legi cupio. Scribit eadem tribus Cardinalibus Italis qui ab Vrbano diſceſſerant, vt ad ſanitatem animi redeant: illum enim nō metu ab iis ſed legitimè electum coronatúmque,

cùm archiepiſcopus Bari tantùm eſſet, nec in Cardinalium numero cenſeretur. Quòd ſi populo irruenti dixiſſent Cardinalem D. Petri ciuem Romanum in pontificem electũ eſſe, id quidem factum ad vitandam populi inſanientis audaciam mináſque & inuſitatum furorem, quem tamen euadere vix potuiſſent. Ergo Vrbanus ſe deſertum videns, Cardinales ſex & viginti creat, quo in numero multæ fallaces herbæ, quarum fructus non apparuit, id eſt multi parum digni parúmque idonei fuere: ac torrentes dirarum fulminúmque globos ipſe & Clemens in alterutrum effũdebant, irrita ſpe reſtitutionis in gratiam, neuter enim cedere paratus erat. Omnis deinceps cura in locupletando Frãciſco Pregnano molli & effœminato iuuene poſita eſt, quem tamen pontifex moriens miſerum reliquit, vixit enim vt equus intractatus & nouus. Cætera verò Vrbani acta ex Theodorico Niemo eius ſcriba, petat qui volet, ab illo enim quid egerit copioſè veréque exponitur, quemadmodum & in quarto Florentinæ hiſtoriæ libro plurima de eo referũtur à Boninſegnio, cuiuſmodi eſt illud pacẽ ab Vrbano, Florẽtinis ineunte pontificatu datam acceptamque magno plauſu lætitiáque Hetruſcæ Gentis, Genuæque Ligurum, vbi ſuſceptus magnificè à Duce & ciuibus fuiſſet feráq; immanitate & pluſquã barbara occidi iuſſiſſet quinque Cardinales quos diu in fœdiſſimo carcere clauſos detinuerat: deniq; repente amiſiſſe viſus eſt virtutes omnes quibus abundare eum ante pontificatum fama erat. Ergo id de pontificibus veriſſimè affirmare poſſum, alios ab inimicis iure laudari, alios vituperari ab amicis. Tãdẽ moritur Romæ, nec ſine ſuſpicione veneni, rectéque eum Catharina Senenſis monet, vt ſibi caueat, eſſe enim quoſdam qui

exitium & mortem pontifici Romano minitentur. Hunc etiam diu post excessum laudant Lucensium oratores beneficij ab illo accepti memores, principe legationis Nicolao Tugrino, cuius verba hæc reperio in oratione habita ad Alexandrum sextum. Commemorato enim Vrbani quinti in suos ciues beneficio, Vrbanus, inquit, sextus paulo post ad libertatẽ, libertatis quoque & iustitiæ, sine qua libertas stare non potest, insignia addidit, dum Genua Romam peteret nocte Natalis domini diuinis peractis supremũ ciuitatis nostrę magistratum ense & pileo gemmis auróque exornato donauit.



BONIFACIVS IX.




VNC procera quidem statura, ac decorum vultu, singularíque humanitate præditum, sed præceptis grammatices solummodo imbutum & scribere, canereque vix scientem, quis putasset ad pontificatum vmquam peruenturum? Cardinalis erat ab Vrbano decessore creatus, nobilísque & clarus genere, & quamuis iuuenis, modestissimus tamen atque cõtinentissimus, vt iuuentutem cum senecta permutasse videretur, vtar enim Bonifacij cognominis historici testimonio, Cardinalium, quod genus siue doctum, siue ignarum, tamẽ pontificiæ dignitatis capax habetur, quòd sine doctrina etiã magnæ res ac præclarę ab hominibus geruntur. Petro Thomacello illi

nomen erat, patria Neapolis, mater rapacissima fœmina, fratres nihilo meliores. Legitimis ergo suffragiis Cardinaliũ qui maiori ex parte Neapolitani erãt, pontificatum adeptus est quarto 9. Nouẽb. trecẽtesimo octuagesimo nono, qui erat annus ætatis tricesimus quartus, vt Boninsegnius refert, vel quadragesimus quintus si Theodorico Niemo assectatori pontificum malumus credere. Hoc quidẽ Bonifacio pontifice anno millesimo trecentesimo nonagesimo quarto Clemens Auenione obiit, conditúsque ibi est in templo Cælestinorum, vbi tumulus eius nunc quoque magnificentissimus visitur. Successit Clemẽti Benedictus decimus terti⁹ Luna cognomine, & pro insigni argumẽto lunam ferens, vir sanè doctissimus. Ac Benedicto quidem Carolus 6. Francorum rex obsequium præstari iussit anno millesimo trecentesimo nonagesimo octauo. Id denuò restituit anno quinto pòst, tandem desiit eum colere. Quinquennio pòst Ioannes Gerso Cancellarius ecclesiæ Parisiẽsis cõcionẽ habuit Academiæ nomine ad Benedictũ Massiliæ nonis Nouemb. sæpe hanc vocem repetens, Benedicte, benedic hæreditati tuę. Epistola verò ad serenissimum principem Aurelianẽsium Ducem scripta Tarascone anno millesimo quadringentesimo tertio meminit denegati à rege Francorum erga Benedictum officij, se enim & subditos suos ab eo subtraxit: quarum rerum fides in actis Senatus Parisiensis adhuc seruatur. Hoc sedẽte Hieronymus eius medicus genere Iudæus contra eorum perfidiam libellum scripsit longè doctissimum mense Augusto millesimo quadringentesimo duodecimo, põtificatus Benedicti decimo octauo, cui Petro Lunæ nomẽ fuisse refert initio libelli. Bonifacius interim Romæ erat, vrbémque omni mortalitate turbatã vidit; nihilominus li-

beratione delictorũ publicata Romã concursus ingens ex omni Europa factus est, ac penè tãtus quãtũ sub Bonifacio octauo & Clemente 6. fuisse suprà demõstrauimus. Cæterùm à quinquagesimo anno ad tricesimũ Vrbanus sextus iubilæum reduxerat, siue rogatus in gratiam Romanorũ, siue vt quæstũ faceret. Sixtus denique è numero illo quinquennium detraxit, cùm esset Tybure quarto Cal. Septemb. millesimo quadringentesimo septuagesimo tertio. Quòd si quis ad tempus iterum contrahere volet, efficiet vt res propter raritatem celebris vilescere negligíque incipiat: siquidem populus mirari eclipsim solet quia rara est, orientem verò quotidie solem in pretio ferè non habet. Ad Bonifacium autem missi sunt legati Benedicti decimi tertij aduersarij eius rogatum vt rationem inirent schismatis ab ecclesia penitus auferendi. Cúmque is nullo modo persuaderi potuisset vt id vellet, & dies esset tertius Calen. Octob. Bonifacius repentè correptus morbo ex febri & calculo Cal. Octob. moritur anno millesimo quadringentesimo quarto, ac sepelitur in Basilica D. Petri, legatíque illi contra ius gentiũ capti sunt à præfecto molis Adriani, nec dimissi nisi prius numeratis aureis quinquies mille: ac molem quidem illam antea penè dirutam à Romanis Bonifacius egregiè muniendam curauit. Vt autem pessimo exemplo beneficia ecclesiastica pluris licitantibus vendiderit, & fructus annales singulorum suos esse voluerit, vtque maternis fraternísque direptionibus sedem Petri infamem fieri passus sit, copiosè exponitur à Theodorico Niẽmo optimo illius temporis scriptore. Itáque nihil amplius dicam, nisi quòd in auaritiæ vitio natus, in eodem vsque ad obitum mãsit: quin adiiciam elegantem

" Poggij facetiam in numerosam fratrũ & agnatorum turbam hunc pontificem affectãtium, Bonifacius, ait, Pontifex nonus, natione fuit Neapolitanus ex familia Tomacellorum: appellãtur autem vulgari sermone Tomacelli, cibi facti ex iecore suillo admodum contrito atque in modum pili inuoluto interiore pinguedine porci. Contulit Bonifacius se Perusium secundo sui pontificatus anno: aderãt autem secum fratres & affines ex ea domo permulti, qui ad eum (vt fit) confluxerant, bonorum ac lucri cupiditate: ingresso Bonifacio vrbem sequebatur turba primorum, inter quos fratres erant & cęteri ex ea familia: quidam cupidiores noscendorum hominum, quærebant: quinam essent qui sequerẽtur? Dicebat vnus, item alter: hic est Andreas Tomacellus, deinde hic Ioannes Tomacellus, tum plures deinde Tomacellos nominatim recensendo. Tum quidam facetus, Hohe permagnum fuit iecur istud (inquit) ex quo tot Tomacelli prodierunt, & tam ingentes.



INNOCENTIVS VII.



ETsi res gestæ Bonifacij IX. probari Christianis parum possunt, hoc tamẽ improbari non potest quòd successorem sibi optimum delegit, ne id quidem sciens, quis enim futura videt vt presentia? Eo igitur mortuo Cardinales cõuersi in Cosmatum mediæ staturæ hominem, corporéque gracili pon-

tificem illũ ſalutauere decimo ſexto calen. Nouemb. 1404. erat Coſmatus patria Sulmonẽſis, ad quã Apuliç vrbẽ natus Cæleſtinus quintus Romanæ culmen dignitatis obtinuit. quòd ſi ille Cæleſtinus verè fuit, hic Innocentium re quidem & nomine ſe præbuit, tripléxque illi elogium Theodoric⁹ tribuit, pacifici, mitis & probi. Leonardus Aretinus aliíque illius temporis grauiſſimi ſcriptores idem faciũt: addúntque iuris cõſultiſſimum fuiſſe & delectari ſolitum colloquiis doctorum virorum. addit eodem Bonifacius ſingularem facundiam venuſtatémque dicendi. Sed ea tamen lege dicta electus eſt, vt pro virili noxium ſchiſma tolleret: id tamen vt faceret renunciatus pontifex perſuaderi non potuit, vt Bonifacij eiuſdem teſtimonio conſtat. Idque ſinguli collegæ antequam electio fieret iureiurãdo ſe facturos promiſerũt. Nomina factionum peſtifera ſunt. Gibellinos & Guelphos, funeſtas voces, quis crederet huius innocentiſſimi viri temporibus locum habuiſſe? Columnæ ciues Romani Gibellinos ſe profitentur, Vrſini cõtrà, vincere eos beneficiis, vincere innocentia & probitate optimus pontifex nõ poterat, vexatúſque ab iis quotidie „ aliquid noui petentibus Innocentius, Cõceſſi equidem „ quicquid à me petiſtis, nec iam ſupereſt quod petere „ poſſitis, niſi hanc pontificiam veſtem vultis. Importunos nimium illos eſſe mitiſſimo reſponſo indicans, Ludouicũ Melioratum fratris filium iuuenem triginta fermè annorum audacem & temerariuṁ Innocentius Romæ alebat, atque vtinam alibi aluiſſet ipſe & alij qui in poſterum ſequentur. plerumque enim agnati noſtra auctoritate ac nomine abutuntur in perniciem miſerorum. Hic moleſtiſſimè ferebat à ſeptemuiris patruum quotidie vexari:

GREGORIVS XII.



Enetiæ vrbs clara Italiæ in Hadriatico ſinu poſita, nullum ciuem ſuum Romanum Epiſcopum adhuc viderāt: viderunt autem mortuo Innocentio ſeptimo, tunc enim Cardinalem Angelum familia Coraria natū Patriarcham Aquileienſem ab eodem Innocentio creatum elegerunt, virum quidem ſeptuaginta annos natum, priſca ſeueritate & ſanctimonia reuerendum: quid enim obſtat quominus Aretini verbis vtar ex ea epiſtola qua electum Gregorium duodecimum fuiſſe ſignificat Franciſco principi Cortonenſium? immò quid obſtabit quominus epiſtolam illam huic operi ad rerum fidem inſeram? Quod flagitas, inquit, vt ad te ſcriberem de actis noſtris, eſt mihi quidem non ſatis ocij ad ſingula exarāda, attamen percurram, quæ magis digna cognitu videbuntur. Poſt Innocentij mortem funúſque de more illi peractum, longa patrum deliberatio fuit, ſuperſederéntne electione, an alium in demortui locum crearēt? Faciebat verò dubitationem quòd principes Galliarum, quorum vt ſcis populi diuerſa ſectantur, per pontificem ſuum, quem Benedictum vocant, ſtrictis promiſſionibus adegerant, ſeſe abdicaturum eſſe, ſiue Cardinales noſtri mortuo pontifice ſuperſederent electione, ſiue pontifex ipſe item ſe abdicaret, quo vtriuſque collegio in vnum conueniente, vnica indubitati pontificis ſequeretur aſſumptio. Sancta certè


Nnn

prouiſio principum Galliarum, & à cunctis fidelibus meritò commendanda. Neque enim finem vllum inueterati ſchiſmatis ſperare licebat, ſi de iure diſceptaretur: præſertim cùm pręter Deum ea cauſa iudicem nullum haberet. In hac igitur conſultatione, cuius tu & cauſas & reſpectus iam cernis, occupati patres quid vtiliſſimum eſſet haud facilè ſtatuebant, propterea quod in superſedendo & ſeditionum metus, & longior temporis dilatio & fruſtratio aduerſarij & huiuſmodi multa timebantur, & in eligendo voluntas eius, qui aſſumptus eſſet, formidabilis videbatur. vicit tandem eorum ſententia, qui eligendum quidem pōtificem ſuadebãt, ſed validiſſimè obligādum, quo aduerſario ſe abdicare volente, ipſe quoque pōtificatum dimitteret. Ea mente iam conclaue ingreſſis, ſuperuenit Ioannes Dominici à Florentinis orator, huic poſtulanti contra conſuetudinem feneſtella conclauis aperta eſt, & alloquendi patres facultas permiſſa. Summa orationis eius iſta fuit, miſſum ſe à Florentino populo, vt patres cohortaretur, electione ſuperſederent, eam quidem certiſſimam eſſe viam vnionis conſequendæ. Hæc multis verbis, magnáque facundia homo dicēdi exercitatiſſimus cùm egiſſet, patres per ſe ipſos feruentes magis incendere viſus eſt. Itaque reſponſum à patribus eſt, quando iam conclaue intraſſent, electuros quidem, verùm ita prouiſuros, vt electus qui fuerit, procuratione potius ad deponendum pontificatum quàm pontificem ſe factum intelligere poſſet: id enim iam pridem ſe conſtituiſſe, atque ea mente conclaue ingreſſos: finito in hunc modum colloquio, ſuum ad negotium patres reuertuntur. Cautio ab illis hæc adhibita eſt, vnuſquiſque patrum promiſit ſolemniter ac Deo

vouit, & iureiurando sanxit, vt sibi contingat ad pontificatum sumi, aduersario pontifici statim scripturum, inuitaturúmque ad sese inuicem abdicandos, procuraturum insuper omnium via & modo vnitatem, ídque bona fide, sine vlla fraude, promissionem & votum & iusiurandum quod ipse præstitisset, omnibus regibus, principibúsque per suas literas primo quoque tempore significaturum, quo eosdem testes haberet obligationis suæ. Ea multis solemnibúsque verbis cùm in libellum redegissent, & chirographa singulorum confecta essent, agitare posthac de
» electione cœperunt: vir quęrebatur non tam peritia rerum
» gerendarum, quàm fide integritatéque idoneus. Quippe
» ad benè agendum in hac quidem re non calliditate consi-
» lij, neque profundo, arcanóque pectore, sed bona volun-
» tate opus fore videbatur. Ita animati cùm singulos per-
» penderent, tandem in Angelum Corarium natione Vene-
» tum, mentem consensúmque omnes verterunt. Is fuerat
» paulò ante opera Innocentij pontificis inter patres adsci-
» tus, cùm antea titulo tenus Patriarcha Constantinopoleos
» haberetur, vir prisca seueritate & sanctimonia reuerendus.
» Is ergo conclaui egressus, promissionem, votum & iura-
» mentum, quæ priuatus fecerat, nunc in potestate consti-
» tutus iteratò nouauit: atque ita loquitur de vnione, vtsi cę-
» tera desint, pedibus & baculo sese iturum ad eam confi-
» ciendam asseuerat. Nos opera videbimus, & certè spes bo-
» na superest, ob eximiam huius viri integritatem. Præterea
» tanta est omnium in hanc rem conspiratio, atque ita erecti
» cunctorum animi, vt si tergiuersari voluerit, nullo modo
» sint permissuri. Hæc Aretinus pontificius secretorum rela-
» tor, apud quem summa fide continentur res gestæ Grego-

» tij pluribus epistolis, quas ego propter breuitatem operis
» omittendas censeo, ne longior sermo fastidium pariat. Et
» quia huius pontificis res cum Alexandri vita, Ioannis
» & Martini rebus coniunctæ sunt, idcirco supersedere ac
» differre cogor, vt facilius & cæteras eius actiones & mor-
» tem deinceps tradam. Poggius quoque inter historicos
» occultorum curiosissimus eo pontifice viuebat, notus
» Cardinali Burdegalensi sapienti prudentíque viro, quàm
» Gregorius parū ipse sibi constiterit ostēdit: id verò quàm
» turpe est, cùm dicta mortalium factis deficiētibus erube-
» scunt. Abiurationem enim illam de quo loquimur, Gre-
» gorius vocatis notariis publicis se facturum promiserat, vt
» ex Bonifacij eruditi sanè viri Pontificia historia constat.
» Gregorius duodecimus, inquit, antequam pontifex crea-
» retur, in conclaui & postea quoque plurima se facturum
» pollicitus est pro schismate quod tunc in ecclesia vigebat:
» atque adeò aliquibus diebus in eo quod promiserat per-
» mansit, vt etiam pontificatui se cessurum si opus esset spō-
» deret. Postmodum verò dulcedine ductus dignitatis iu-
» ramenta & promissiones omnes irritas fecit: nihil seruans
» eorum quæ antea pollicebatur. Hoc egrè ferens Cardina-
» lis Burdegalensis, vir grauis & consilij singularis, mecum
» de hisce rebus aliquando loquens: Hic, inquit, nobis ef-
» fecit quod histrio quidem Bononiensibus se asserens vo-
» laturum. Cùm explicari mihi fabulam rogarem: Histrio
» fuit nuper Bononię, ait, qui proposito palam edicto se vo-
» laturū ex turri quadam quę est versus pontem sancti Ra-
» phaëlis milliari amplius iuxta vrbem prædixit. Congrega-
» to ad diem constitutum omni fermè Bononiensi populo,
» sole & fame vsque ad occasum solis homines ludendo ma-

" cerauit. pendebant omnes animi ſuſpenſi ad aſpectum
" turris volatum hominis expectantes. Cùm ille interim in
" turris cacumine oſtenderetur, aláſque quateret volaturo
" ſimilis, ſéque deorſum proiectum fingeret: erat magna ad
" hæc ſigna populi acclamatio patulo ore turrim aſpicien-
" tis. Tum hiſtrio poſt ſolis tádem occaſum ne nihil actum
" videretur, verſus ad eos renibus, nates populo oſtentauit.
" Ita illuſi omnes inedia & tædio confecti in vrbem noctu
" redierunt. Eodem modo noſter, inquit, qui poſt tot o-
" ſtentationes tandem nobis poſteriora oſtendendo ſatiſ-
" fecit.



ALEXANDER V.




Is Æ vrbs Hetruriç antiqua & illis temporibus potẽs, Piſanæ ſynodo nomen dedere, in qua erant Cardinales viginti duo, tres Patriarchæ, centum octoginta Archiepiſcopi vel Epiſcopi, trecenti monaſteriorum patres, ducenti octoginta duo theologi, legatíque principum Europç ad vim tempeſtatis calamitoſæ ab eccleſia Dei repellendã, Ioãnes Gerſon in libello an Papa ex-
" authorari poſſit, Hi Dei nutu, inquit, & ſpiritus ſancti ſicut
" credendum eſt inſpiratione tracti fuerunt, qui ad conuo-
" cationem ſacri concilij Piſis celebrandi dederunt operam:
" hanc conuocationem pro finali ſcuto ſuæ protectionis ad
" Deum quæſiuit in morte Carolus Rex Franciç: ab iis Gre-

gorius duodecimus & Benedictus decimustertius rogati vt adeſſent, cùm noluiſſent comparere, citati peremptoriíſque edictis venire iuſſi, octauo Id. Iunias quadringenteſimo nono ſententia in eos lata eſt, qua vt hoſtes concordiæ eccleſiaſticæ damnati ſunt, pontificatúque exuti. neque enim eum magiſtratum alia conditione habuerant, niſi vterque eorum ſpopondiſſet ſe daturum operam vt ſchiſma tolleretur, ídque chirographo confirmaſſe arguebantur, neuter verò volebat pontificatu cedere. quid mirum? Maxima res eſt pontificatus, at lucet vanitas hominum in eo appetendo, rectè enim Origenes in Eſaiam: Qui vocatur ad Epiſcopatum, ne putet ad principatum ſe vocari, ſed ad famulatum totius eccleſiæ. Decimo quinto pòſt die cùm Gregorius Ariminum ſeceſſiſſet infauſtam olim cõcilij ſedem, minùs fauſtas ſibi Piſas habuit. In Epiſcopio enim illius vrbis Cardinales cõgregati Petrum Philaretum genere Cretenſem Theologiæ præceptis inſtructiſſimum & natura magnanimũ, licet ſecta Franciſcanus erat, vnicum tamen & verum pontificem Romanum eſſe voluerunt, data ei plena licentia ad diſciplinæ eccleſiaſticæ emendationem, quam pro ſapientia ac luce dignitatis ſuæ impoſterum regeret. Innocentius Tertius tres Cardinales crearat, quos omnes ſucceſſores habuit, Gregorium, Alexandrum & Martinum, magnos ſine dubio viros: & huic quidem Philareto Alexandri nomen datum eſt. Fuerat ex Theologo Pariſiẽſi Archiepiſcopus Mediolani Inſubrum, poſtmodum Cardinalis, ac demum in viuentium pontificum dignitatem locúmque vocatus eſt eccleſiaſticæ cõcordiæ cauſa, annúmque ætatis ferè ſeptuageſimũ attigerat. Admirationis plenũ eſt quòd vir optimus narrauit ſe

nec parentes, nec fratres aut aliquem ex agnatis cognatísve suis vmquam vidisse, sed à Franciscano quodam Italo susceptum in Creta, ductúmque in Italiam, mox in Angliam missum: cúmque Oxonij operam humanioribus literis dedisset, Lutetiam Parisiorum venisse vt philosophiæ & theologiæ studia disceret, in eáque diu professum sciētiam rerum diuinarum, & ad lib. sententiarum commentarios scripsisse. Ineunte pōtificatu auditæ ab eo sunt legationes omnium ferè Europæ principum publicè gratulantium ecclesiæ tranquillitati & quieti. Cæterùm Alexander Romam ab aduersariis occupatam optauit quidem cupiítque, at nō potuit pōtifex videre, Bononiámque se cōferens in ea vrbe D. Ambrosio in epistolis cognita, postquam nullū pietatis officium sciens omisisset, ineunte vndecimo mense pontificatus sui vita functus est, cōditúsq; in æde Francisci apud suos. Erat vir dignissimus altissimo qui eum secutus est honore, natura quippe illum esse iusserat benignum & liberalem: lautus verò in victu & esse & videri volebat, ac vinis propter senectutem generosis vtebatur. Hæc Theodoricus & Boninsegnius de vita eius clarissimi scriptores tradunt. Quibus socium adiungere placet Baptistam Fulgósium præclarissimum illa ætate virū, quem enim præconem virtutis suæ Alexander habuit? libro enim quarto memorabiliū factorum: Adeo liberalis pontifex Alexander quintus fuit, multis in virtute præditos homines, insigniáque opera impensis, vt persæpe familiariter narrare soleret: se olim diuitem Episcopū (Nouariensi enim ecclesia potitus erat) postea Cardinalem factum eguisse, atque deinde pontificatu ornatum, ad mendicitatem pene redactum esse. O fœlicem virum, qui vir-

tute fortunáque inter mortales tam sublimem honorem nactus, eo benè vti quod perrarò contingit, sciuisti. Cùm amicos atque bonam famam opibus vtiliores honestiorésque, atque minùs animi laboribus obnoxios, quàm aurum in quo omnia in contrarium inueniuntur, esse duxisti.



IOANNES XXII. *vulgò* XXIII.




ONSENTIENTE Cardinalium collegio Baltazar Cossa, cui patria Neapolis, stirps non ignorata fuit, cùm Bononiæ legatus esset in antiqua Petronij sede (qui Eucherij Lugdunensis Episcopi temporibus vixit, vt libro secundo huius operis demonstratũ est) Pontificis Romani nomen onúsque obtinuit. Quantúmque Bononienses Cossæ huic debeant, attingere non est necesse, scitè enim in annalibus eorũ perscriptum est. Bonifacius ei nonus purpuream vestem & Cardinalis amplissimum honorem tribuerat: mortuo verò Alexandro quinto ad summum magistratum sacerdotiúmque promotus est rerum experientia magis quàm vitę sanctimonia pręditus, vt Pij secundi & Blondi testimonio constat, quorum ille ad pontificiam dignitatem non fortuna sed sapientia duce tandem peruenit. Iam quintum pontificatus annum numerabat, cùm apud Laudem Põpeiam Insubrum vrbem quinto Cal. Decemb. concilium ex præscripto

pto ſynodi Piſanæ indixit Cõſtantiam anno quadringenteſimo decimo quarto. Cõſtantia ad Rhenum flumen eſt in Mogontina Germaniæ prouincia à Cõſtantio Conſtãtini patre nomen habens, ac iuxta eam lacus eſt omnium amœniſſimus, in cuius infima parte vrbs ſita non quidem magna ſed opulenta & pulchra, Conſtãtiam igitur ingreſſus Ioannes eodem anno menſe Octobri honorificentiſſimè ſuſcipitur, ac mox Synodũ habere incipit pręſente Sygiſmũdo Cæſare viro ſanè religioſiſſimo. Et quia de ſtatu eccleſiæ agendum erat viuentibus adhuc põtificibus duobus Gregorio 12. & Benedicto 13. qui ipſe à portu veneris in Catalauniam nauigarat, celebrãdæ, vt fama erat, ſynodi cauſa, Rogatus Ioannes ſponte renuncians ſummo ſacerdotio pontificióve muneri, ſi ex vſu reipubl. Chriſtianæ id facturus videretur, cùm poſtea ex eadem Cõſtantia homo nõ plenè ſibi conſtans mutata veſte profugiſſet, citatus peremptoriis edictis nõ comparuit, damnatúſque eſt & magiſtratu illo deiectus. Sententia verò ſynodi cõtra eũ lata cauſas complectitur ob quas ea dignitate exutus eſt. Fulgoſius magni nominis iuriſcõſultus ad l. Barbarius Philippus ff. de officio prętoris, de Ioãne déque ſe ipſo ita breuiter ſcribit: Memini cùm eſſem in concilio Conſtantienſi quia hoc ſpecialiter imputabatur Ioanni viceſimo tertio quòd erat ſymoniacus, de hoc eſſe aliquoties diſputatum, & circa hoc aliqua arguebam, licet nõ ſim theologus. Hactenus Fulgoſius Baldi iuriſconſulti & ſocius & amicus, vt ipſe Baldus ait conſilio CVIII. Addendum eodem eſt Ioannis Gerſonis Theologi graue teſtimonium; cùm enim de Ioanne vigeſimo tertio loqueretur, ait, Accuſatus inter cętera fuit & cõuictus quòd fuerat notoriè ſimoniacus. Gre-

gorius quoque per procuratorem absens fatetur se quoque renunciare: nec ita multò post admodum senex decedit Romæ, vt Alamanni Cardinalis ac legati pontificij in Gallia literis ad scholam Andegauensem narrari video, quę in chartario eiusdem Academiæ custodiũtur, quásque ante aliquot annos Rector eiusdem Academiæ designatus sæpe legi. Supererat profugus Luna: hũc vt contumacem, indignũ ac Republicæ Christianæ pestiferum illa synodus remouit, vnicúmque & verum pastorem ecclesię eligendũ censuit. Nec prætereo scõma elegãs quod apud Poggium reperio: nam cùm synodus Cõstantiensis legatos ad Benedictũ duos misisset Benedictinæ familię monachos, eósq; cùm is vidisset in atra veste ad se venientes, Synodales, inquit, coruos audiamus. Tũ alter eorũ, minimè, inquit, mirum videri debet, si corui ad deiectũ cadauer accedimus. Ioannes verò post diuturni carceris molestias Hildebergæ in Germania perpessas, tandem beneficio Martini successoris planè liber rediit in Italiam, pedésque ei exosculatus renunciationem quam in carcere fecerat, professus est nullo se metu, sed sponte & liberè fecisse, in eáque vrbe decessit quæ gentis Hetruscorum nobilissima est, XI. Cal. Iun. millesimo quadringentesimo decimo nono. O miseram quorũdam mortalium sortem, qui se è fortunatissimis repentè infœlices vident! Agnatos verò suos se ipso fortunatiores habebat non in Italia modò sed in Gallia. Nam Cossæ apud Andegauos nobilem clarámque familiam faciunt & pietati Christianæ obsequentissimam, ex qua gente Timoleon Cossa egregiæ fortitudinis adolescens Mucidani in Petracoriorum finibus pro Dei causa Caluinianos oppugnãs, fortiter occubuit anno à partu Virginis

millesimo quingentesimo sexagesimo octauo. Verùm vt ingenuè loquar, nullus historicorum illius temporis mihi videtur aut verius de Ioanne aut breuius scripsisse quàm Fulgosius, non ille quem paulo antè iuriscõsultum appellauimus, sed auctor dictorum memorabilium. is enim libro sexto, Magis varia quidem fuit, sed non tam sæuum exitum Ioannis 23. fortuna habuit, qui post quartum adepti pontificatus annum, cùm esset in Constantiensi concilio, damnationem suam confirmare, deinde Pontificatum deponere coactus: cùm fugam tentauerat, in insula Rheni, cui D. Marci nomen est, in carcere asseruatus est, atque ab eo loco, ad Bauariæ Ducem trãsmissus, in vrbem Dalbergam, illinc Manheyta in castrum deportatus, triennium per ignominiam, in rerum omnium necessitate peregit: coëmpta demum (ab occultis amicis adiutus) magno auri pondere fuga, Florentiam petiit, vbi Martinus quintus erat, eius in pontificatu successor. Illic nõ sine omnium admiratione ac simul cõmiseratione, quia in fugitiui hominis forma, lachrymabũdus, humi genu nixus, supplicare aliis cernebatur, cui principes, reges, imperatórque ipse non modò paruerant, verumetiam pedes venerabundi consueuerant deosculari: qui præterea multos ad Cardinalatus honorem euexerat, qui tunc in eo cõsilio pontifici assidebant, pontificatu priuatus, ingentis muneris loco Cardinalatum accepit.



MARTINVS III. *vulgò* V.




GAPETI Columnæ ciuis Romani præſtantiſſimi viri filium Othonem, cùm iure ciuili & pontificio operam Peruſij egregiam dediſſet, Innocentius ſeptimus in gratiam ciuium Cardinalē creauit. hic eſt Otho, quem ob ſingularem eius prudentiam ac iuris vtriuſque cognitionem Cardinales, Patriarchæ, Archiepiſcopi, alíque eccleſiarum antiſtites Conſtantiæ elegerunt. Ipſéque ob induſtriam explorata eius fide & grauitate ad tanti officij magnitudinem adhibitus Epiſcopi munus præclarè gerere cupiens (errant enim qui ſe Epiſcopos putāt, quòd Epiſcopi nomen habeāt, neſcientes non rem quidem nomini, ſed rei ipſi potius nomē deberi (Martinus nominari voluit, propterea quòd tertio Idus Nouembres tantus ſibi honos delatus eſſet, qui dies eſt feſtus Martino Epiſcopo Turonum in Gallia viro cum apoſtolis cōferendo, vt Sulpitij Seueri verbis vtar in ſacræ hiſtoriæ libris. Sigiſmūdus Cæſar coronationi eius interfuit, eáque Cōſtantiæ peracta eſt, in ipſiúſque ſynodi actis cōtinetur vnam potiſſimum ob cauſam tantam dignitatem adeptum, quòd nulli vmquam factioni vel conſentire omninò vel conniuere viſus eſſet. Reuerſus autem in Italiam quanto omnium gaudio quantóque plauſu illuſtrium ciuitatum & maximè vrbis Romæ ſuorúmque ciuiū exceptus eſt? prudentiam impoſterū magis magíſque coluit cuſtodita eccleſiaſtica cōcor-


dia & pace, beneficiis ritè legitiméque collatis habita virtutis & scientię ratione. Synodū quoque indixit Ticinū, mox Senas, quia infectam peste priorem illam vrbē certò sciebat. Denique ita vixit, vt laudem magnā apud omnes gētes ac populos sit consequutus. quæ duabus iterum rebus aucta est, prima studio iuris & æqui: conceptis enim verbis ad eos quos prouinciis suis iuríque dicundo præfecisset, scribere erat solitus vt illius diuini verbi meminissent, DILIGITE IVSTITIAM OMNES QVI IVDICATIS TERRAM. Altera est patientissimi animi veréque Christiani testimonium datum orbi terræ: cùm enim fratres duos, vnum peste, alterum fortuiti repentiníque incēdij casu extinctū amisisset, nullum abiecti animi signum dedit: quarum rerum Bonifacium Simonetam qui illa ætate in Italia vixit, non ignobilem historicum, posteritas testem habet. Erat Martino admodum cordi Gallię pax, itáque sanctæ crucis Cardinalem ad eam componendam inter Franciæ & Angliæ reges legatum misit, & cum vtroque rege sæpius colloquutus, tamen in tanta sentētiarum diuersitate difficile fuit cōcordiam statuere. Itáque re infecta in Italiā, vt Poggius narrat, ad pōtificem rediit, qui aliquāto pòst moriens anno plusquā decimo tertio pōtificatus sui ac in templo Laterani sepultus, nec vexatā intestinis bellis Italiam, nec templa vrbis semiruta vt erant, sed ingēs desideriū sui reliquerit apud ciues suos, vt Bonifacij octaui & Alexandri in Columnienses decreta is Martinus vna litura deleuisse videatur. Poggius admodum senex in descriptione vrbis, Nuper, inquit, Pontifex Martinus paulo antequam diem suum obiret, ab vrbe in agrum Tusculanū secessit valetudinis causa: etsi autem honestissimè ducebat

" vitam vt mortalium fœlicitas comitem habere solet inui-
" diam, populus tamen perpetuò insanus, eum & aliquot
" successores eius pereunte cum simul inuidia mortuos lau-
" dauit. Rectè igitur Gobelinus historicus præfatione libri
" primi, Martinũ quintum, inquit, vidi & Eugenium quar-
" tũ, & Nicolaum quintum, & Calistum tertium, quos dum
" vixere damnauit populus, fato defunctos magnis extulit
" præconiis. Ac mihi quidem videtur pontificiæ historiæ libros excutienti Baptista Fulgosius vitam résque gestas Martini quem sæpe viderat, non minùs præclarè mandasse literis quàm vel Platina vel quicunque alius fecerit. Isque
" libro octauo sic ait. Non minoris momenti Christiano-
" rum iudicium in Martino quinto pontifice fuit, quàm an-
" tea Venetorum in Victore Pisano fuisset: nam cùm schis-
" mate discissa esset Christi tunica, ad diuersos pontifices in-
" clinante variis studiis ecclesia, in Constantiensi Concilio,
" vbi Cardinalium numerus duos & triginta superabat, ab-
" dicatis põtificatu Ioanne, Gregorio, atque Benedicto, mi-
" ro omnium consensu põtifex creatus fuit, atque ex Otho-
" ne, qui gente Columna ortus erat, Martinus quintus ap-
" pellatus est: vnum enim illum ob singularẽ virtutem, bo-
" nitatem atque doctrinam tanto honore dignũ duxerunt,
" neque ipsorum suffragiis, sed à Deo electum ferebant.
Quia verò publicè interest scire quo pontifice quis perpetua recordatione dignus vixerit, temporibus Martini floruit Nicolaus Tudeschius apud Cataniam Siciliæ vrbem virginis Agathæ patriam, ex eáque ortus Benedictinæ familiæ se addixit, vt ipse initio commentariorum ad librũ secundum decretalium narrat. Postea in amplissima & ornatissima Senarum vrbe ius pontificium interpretari cœ-

pit anno 1421. continuíſque decem annis in pontificum decretales epiſtolas cōmentarios inſtructiſſimos orbi dedit: tātámque auctoritatem & gloriam nomini ſuo peperit, vt Archiepiſcopum Panormitanum electus ſit, Sicilia tota alumnum ſuum honorante. Sed iam ante eum in Gratiani congeriem Gregoriíque noni libros quinque ſcripſerat Henricus à Seguſio, apud quem legi ipſum decretales epiſtolas Lutetiæ profeſſum. quo verò tempore vixerit non ne apertiſſimè tradit his verbis: Dominus Canthuarienſis archiepiſcopus vtebatur pallio Lugduni domino noſtro Papa in eadem ciuitate apud ſanctum Iuſtum morante. Hic de Innocētio quarto loquitur, qui in Lugdunēſi Synodo fuit, vt in eius vita expoſuimus libro quinto huius operis. Hic Henricus ille eſt quem Oſtienſem ferè vocamus ab Oſtia Epiſcopatu Romæ vicino, & admodum antiquo.



EVGENIVS IIII.



ONDELMERIAM gētem apud Venetos inclitam illis temporibus fuiſſe certum eſt. Ex ea ortus Gabriel à Gregorio Cardinalis munere donatus eſt, antequam is pontificatu exueretur. deinde à ſynodo Conſtantiæ habita Cardinalis iterum inſtitutus, ídque ex actis facilè oſtenditur. Poſtea mortuo Martino ſummo pontifice laudantibus collegis Pontifex deſignatur, per-

mittentibus superis vt Gregorij auunculi locum teneret, qui extrema senectute illum amisisset. Ac Picentes ille quidem ad quos missus à Gregorio legatus erat, in fide & obsequio ecclesiæ Romanæ confirmauit. Bononienses verò qui nouis rebus studere dicebantur, ita composuit vt pontifici maximo audientes fuerint. His rebus gestis apud Mineruam vir aspectu insignis, licet parum doctus, amantissimus tamen eruditorum hominum, pontifex creatur Romæ anno quadringentesimo tricesimo primo quinto non. Martij. Quiescebant Columnæ & Roma ipsa tranquillitatem ac pacem colebat, iis leui de causa irritatis offensísque Francisci, qui & nepos Eugenij & Cubicularius eius esset, liberiore probro quod vir otiosus in Romanos ciues protulisset, cùm illi ab hoste agros spoliari quererentur, castella diripi, pecora abduci: Ergo, inquit, Romani spem vestram in pecoribus posuistis: Veneti sine pecoribus vrbanius viuūt. Scommate illo perstrictis ab homine Veneto ciuibus Romanis, vt Bonifacius Simoneta in Eugenij elogio narrat, tanta in vrbe seditio mota est, vt correptis armis populus Romanus in furorē atque insaniam versus repētè videretur. Eugenius quāquam insons, cùm Romanos incensos libertate videret, sumpta alia quàm pōtificia veste nauiculàmque ingressus, Ostiam primùm, postea Pisas, mox Florētiam se recepit. Et bella quidem passim in Italia à principibus gerebantur, ne solum pontificem rebellium armis vexatum putes. Cardinales ipse quidem plurimos eruditione & scientia rerúmque vsu præstantes fecit, vnus tantum rerum ipse sibi dedecori atque exitio fuit. Inter cæteras igitur curas quas pontifex Romanus habere debet, ea est non minima, ne homines aut parum

rum idoneos aut fatuos atque amentes ad Cardinalis nomen magiſtratúmque vocet, vti Eugenio cõtigit cùm Angelotum ciuem Romanũ eo honore proſequutus eſt. Quo audito nuncio Laurentius ſacerdos vrbanus cùm rogaret vicini cur tam lætus eſſet, Bene, inquit, ſe res habet, magna enim in ſpe ſum, poſtea quàm dementes atque inſani Cardinales fieri cœperunt, me quoque Cardinalem futurum. Poggius qui hanc facetiam narrat mihi author eſt, Angelotum à prandio dormientem à ſeruo ſecta gula gladio interemptum, & poſt Eugenium temporibus aliorum quoque pontificum vidimus Paſquillum marmoreum eam ob cauſam grauiter querentem,

" *Optime pontifex galerum*
" *Paſquillo hunc tribuas roganti,*
" *Si imbelle ſum, atque rude marmor,*
" *Complures quoque creari Epiſcopos*
" *Ipſo me mage ſaxeos videmus.*

Per id tempus habita eſt œcumenica ſancta & magna ſynodus cura beatiſſimi Eugenij & Pij Græcorum Cæſaris Ioannis Paleologi Florentiæ congregata, ac magnis & illuſtribus referta Theologis: iis enim propemodũ verbis vtitur Gennadius Archiepiſcopus Cõſtantinopolitanus, qui ante Archiepiſcopatũ Georgius dicebatur, in defenſione ipſius ſynodi à ſe edicta. Nã cùm à Mahometanis omnes vicinas prouincias Paleologus occupatas videret, de profectione in Italiam cogitare cœpit, & conſtituendo quantumuis difficili cum Latinis religionis conſenſu, vt hac ratione omnium optima facilimáque ſubſidia ad pellendos Turcas cõpararet, qua de re cùm ad Eugenium ſcripſiſſet, hic conatus eius Italiæ iucundiſſimus fuit. Itaque & Pon-

tifex naues misit in Thraciam & pecunias in sumptus dedit: consilium igitur suũ Palealogus significauit Episcopis eruditionísque laude præstantibus viris, horum præcipui Trapezuntius, Bessarió, Isidorus, Gemistus philosophus. hi cum Patriarcha Iosepho, qui postea Florentiæ obiit, in Italiá nauigarunt, Marco Ephesi Metropolita exarcho synodi ante profectionem designato. Cúmque ad Latinos venissent, post plures sanè congressus, & biennij moram vnionem tantùm fecere, quemadmodum acta Florentinæ synodi testátur, sed exitu nullo qui bonus fuerit, quòd subscribere recusaret Ephesius, & verborum concertationes Constantinopolim reuersi alias denuò multi sererent: totámque hanc narrationem hausimus è Græca historia nuper allata è Gręcia & in Latinum sermonem versa. At Eugenius pridie non. Iul. anni millesimi quadringentesimi trigesimi noni, ad omnes Christianos literas misit de Latinorum Græcorúmque concordia & consensione, dignas profectò quę legantur à piis & orthodoxis hominibus, extant enim in libro constitutionum & literarum apostolicarum Romæ nuper edito. Sed extat responsio Ioannis à Turre cremata presbyteri Cardinalis S. Sixti, ad Basiliensium oratorem, in qua locum hunc reperio. In œcumenica synodo Florentina Occidentali & Orientali ecclesiis conuenientibus, præsidente sanctissimo ac beatissimo Domino nostro Eugenio Papa quarto, diuina & Apostolica auctoritate diffinitũ est, Apostolicam sedem & Romanum pontificem in vniuersum orbem tenere primatum, & successorem esse beati Petri principis Apostolorũ, & verum Christi vicarium, totiúsque ecclesiæ caput, & omnium Cristianorũ patrem ac doctorem existere, & ipsi in bea-

to Petro paſcendi, regendi, & gubernandi eccleſiam vniuerſalem à Domino Ieſu Chriſto plenam poteſtatem traditam eſſe. Ex eo Græcorum hominum numero quos in Italiam veniſſe retulimus, Romanus pótifex duos tantùm ad ſacrum in vrbe magiſtratum vocauit, Beſſarionem Nicenum & Iſidorum Ruthenum, eóſque fecit S. R. E. Cardinales, viros omni vírtutú genere ornatos, quorum ille & Georgius Trapezuntius de primàtu Apoſtoli Petri inſtructiſſimis voluminibus plurima tradidere. Per id tempus Ioannes Ludouici Aureliæ Ducis ex Valétina Inſubri minor filius, Comes Engoliſmæ & Petracoriorum, obſéſque à fratre Anglis datus anno milleſimo quadringenteſimo decimo tertio cùm nonum ætatis annum vix decurriſſet, iuueniles tamé annos in illo veluti carcere conſumpſit, ac tum Baſileę de eo in pontificem ſubrogando deliberatum eſt, propter heroicas virtutes quibus eum affluere notiſſimum erat, etſi fruſtra, quòd Deus poſt annos exilij ſui triginta duos longíque veluti carceris moleſtias in Anglia perpeſſas, vxorem ei & liberos nepotéſque ac pronepotes potentiſſimos ac maximos deſtinaſſet, Franciſcum primú Galliæ regem, eiúſque filios. quo ex numero vnus es Henrice tertie pietate & religione conferende cum maioribus tuis: huic autem Ioanni & Carolo filio eius, Aloyſiæque Sabaudiæ vxori quid acciderit mortuis referre placet, ne id factum quod reuera maximè impiú eſt, vlla vmquã deleat obliuio. Quieuerant vſque ad annum milleſimum quingénteſimum ſexageſimum ſecundú, nam tunc Grandimontanus Caluinianæ ſeruiens eius generis copias Engoliſmam rapuit vrbem Aquitaniæ ſecundæ ad Carantonum amnem Auſonij verſu celebrem, ab illis immanitate

barbaris imagines in templis sunt dirutæ, & ornamenta vestésque sacerdotum in priuatos vsus & castrenses tunicas: sepulchra etiam principũ Regij nominis sunt aperta, Ioannísque & Caroli filij Aloysiæque nurus cadauera reperta; sed horum quidem, aër vbi ea attigit, statim in cineres abierunt: at Ioannis mirati sunt integrum & incorruptum permansisse. Itáque vnus ex his Ioannes Ruffierus, qui se Flãdrum Cẽturionem vocabat, Engolismæ natus, adacto in viscera lato pugione in principem illum nefariè sæuiit, nasúmque pręcidit: postea cæteri milites caput ei crudeli feritate secuerunt, relicto trunco in illa subterranea fornice in qua funeratus olim fuerat. Triẽnio pòst Carolus frater tuus Rex Christianissimus, túque Henrice piissime qui nũc imperas, in illam fornicem vnà cum Catharina vestrę pietatis matre descendistis religionis causa, vt piè trũcum illũ veneraremini, ac regio iussu testes facinoris in Ruffierũ & socios auditi ex iuris disciplina: sed is statim celeri fuga sibi salutem quæsiit, nec amplius vmquam visus est. Anno autem millesimo quingẽtesimo sexagesimo octauo vrbe à Caluinianis capta truncus optimi sanctissimíque olim principis erutus è sepulcho ac militari ioco diu per templũ quod Petro dicatũ est, brachiis tractus, modò pedibus raptatus, denique ab impiis in frusta concisus est. De cuius eximiis virtutibus, pietate, vitæ instituto & sanctitate atque obitu deposuerunt annos post mille quingentos decimo octauo coram Antonio Stanno Engolismensi Episcopo testes septuaginta omni exceptione maiores, & in depositione illorum quæ apud me ęst reperi deliberatum esse de Ioanne in pontificem deligendo. Ventum tandem est ad Fœlicem, ísque Dux Sabaudiæ absens in Eu-

genij locum suffectus est. De hoc Fœlice Fridericus tertius, Imperator, cùm oblatas filiæ nuptias liberè respuisset, dixisse fertur familiaribus suis, Si venditorem pontificatus aliquem reperire Amedeus posset, vilissimi emptoris nomē empturum, ambitionē eius sordésque arguens. De Fœlice hactenus. Cuius coronationē ab Ænea Syluio descriptam & in cōmentarios relatam dixisse sit satis: orationem enim in Fœlicem eiúsque mores à Poggio Florentino scriptam prætereo. Ipsi verò Æneæ, qui aduersus pontifices Romanos pro Cæsaribus Germanísque steterat, demississimè veniam petenti libenter ignouit, hac voce vsus: Scimus te, inquit, cum multis deliquisse, sed erratum fatenti non possumus nō ignoscere: ecclesia namque pia mater neganti debitum nunquam remittit, fatenti numquam retinet. ídque ex libro primo Commentariorum Pij Gobelino Vicario Bononiensi auctore discimus. Eugenij quoque temporibus floruit Alfonsus Tostatus: hunc Hispania excellentium ingeniorum parens in Madrigalæ tenui vico genuit, vnde profectus Salmanticam (quam vrbem Thormis modicus amnis penè interluit) primùm iuris ciuilis ac pontificij, mox theologiæ studia auidè amplexus est, designatúsque ex Salmanticensi scholastico Episcopus Abulæ nobilis municipij tredecim volumina de rebus sacris edidit.



NICOLAVS V.



NTER optimos sanctissimósque pōtifices, Nicolaum quintum Eugenij successorem numerādum censeo: etenim nec pietate in Deum, nec amore & beneuolentia erga pios, nec vllo genere virtutis inferior fuit religiosissimis quibusque pontificibus: extinctáque omni dissensione ac schismate, quod nullū deinceps fuit, pōtificia auctoritas ritè initiata tantùm meruit augeri, vt recedi ab eorum præceptis nefas putemus, qui ad illam dignitatem peruenerint. Tuscia illi vitam & Bartholomæus pater medicus dedere apud Sarazanam oppidū non procul à Macra fluuio situm, quamuis antiquam originem ex Luca duceret. Roma verò eum nō tam genere clarum quàm pietate doctrináque & animi dotibus excellentem, vt Gobelinus Pij secundi notarius in commentarios retulit, ad maximum sacerdotiū vocauit: ritè legitiméque designatum Cardinalis Lusitani vox ostendit. percunctantibus enim ciuibus quis è collegio renunciatus fuisset, modestissimè respondit, Nos Nicolaum, at Deus pontificem elegit. Cur illi Nicolao nomen? Nicolaus Albergatus Cardinalis liberalitate sua studia illius promouerat, cùm Bononiæ humaniores literas, mox philosophiam ac theologiæ arcana disceret, sumptúsque omnes fecerat, proptereáque hominis optimè de se meriti nomen sumpsit, cùm prius Thomas vocaretur. Hæc gratitudo animi eminet inter


cęteras virtutes, mortaliúmque animos cōciliat amatori & cultori suo. Missus in possessionem pontificatus Principes ac Respub. Italiæ per legatos monuit, vt bellis tandem finem facerēt: cúmque illi irritam fecissent petitionem precésque suas, conuersus ad Deum supplicationes publicas decernit, precatúrque vt pacem christianæ genti solus ipse præstet. pacis enim amantissimus fuit, & pōtifex renunciatus, & ante pontificatum post Eugenij exequias oratione ad Cardinales habita ipsos ad pacem optimum omnium mortaliū bonum, cuius nomen dulce est, & res ipsa salutaris, inter Italos cæteràsque gētes Christianas statuendam cohortatus est, vt Poggij in oratione ad Nicolaum testimonio constat. Mox Fredericum Cæsarem rogat Fœlici imperet, vt Christianæ concordiæ causa nomen pontificatus deponat. quod ille fecit. Tùm verò ingens gaudium lætitiámque sensit schismate penitus extincto, quod imposterum nullū fuit, atque vtinam ne sit. tātus enim est morbus vt semel eo infectæ mortalium mentes ad sanitatem non facilè redeant. Nicolaus quoque in annum iubilei incidit, viditque Romæ tot peregrinorū millia quot duo Bonifacij prædecessores olim viderāt. Federicum Cæsarem in Italiam nuptiæ & coronationis honos vocabant, à Nicolao vtrumque præstitum est: nam & eum diademate imperij exornauit, & Eleonorā Lusitaniæ regis filiam illi in vxorem dedit. Gēnadius Patriarcha Cōstinopolitanus iussu Mahometis potentissimi Turcarum
» regis electus de Nicolao scribit in hūc modum: Quid euenit nostra memoria nunc sub Nicolao quinto pontifice
» maximo? cùm legati à Constantino Imperatore qui vocabatur Dragases, ad eum missi adhuc supersint, quibus li-

" teras dedit plenas timoris& horroris, vbi apertè cum exe-
" cratione prophetizat excidium & internecionem extre-
" mam infœliciumGræcorũ:In quibus post alia multa(cùm
" conuicia & probra resciſſet, quæ à Græcis quotidie impu-
" dentiſſimè iactabantur) mirè & hoc dicit. Omnes gentes
" decretum quod ſancitum eſt receperunt, Græci verò ne-
" que receperunt, neque ſpes eſt eos vmquam eſſe receptu-
" ros,quæ ſuper concordia& vnione decreta ſunt.procraſti-
" nationes enim procraſtinationibus ab eis ſemper præ-
" tetexuntur , excuſationes & reſponſiones in ſingulis.
" Neque verò Græci arbitrentur Romanum pontificem
" ita eſſe mente deſtitutum,omnémque Occidentalem ec-
" clesiam,vt non intelligat quæ in ſingulis dilationibus reſ-
" pondendo nugantur. Optimè cuncta nouimus: ſed tole-
" ramus in Ieſum reſpicientes ſempiternum ſacerdotem, &
" dominum; qui ſterilem illam ficum vſque ad annum ter-
" tium iuſſit aſſeruari,agricola iam ad exſcindendam arborē
" ſe accingente,quia nullum fructum ferebat. O magnam
" calamitatem,anno M. CCCCLI. hanc conſcripſit epiſtolam,
" & M.CCCCLIII. capta eſt Conſtantinopolis. Num poteſtis
" dicere hæc vera non eſſe? minimè gentiũ,cùm id ſit mani-
" feſtũ,& res ipſa apertè loquatur. Tres,inquit,annos expe-
" ctabimus,ſi fortè à ſchiſmate & ſeparatione conuerteritis,
" & vos verè decreto adiunxeritis,ſecundum ſaluatoris de fi-
" cu præceptum. Si verò nō, exſcindemini, ne terram ocio-
" ſam,& inutilem reddatis.Hoc miraculorum miraculũ ma-
" ximũ:quod(vt in epiſtola ipſa ſcribit Nicolaus Papa)Græ-
" corum gens illa magna & formidabilis,ſapiens,clara, for-
" tis,terrarum domina,ob diuinam vltionem ita in barbaro-
" rũ ſeruitutem abducta ſit.Hęc enarranti mihi ſubit lamen-
tari

» tari & deplorare excidium gentis nostræ, quamquã vos
» non intuemini tantam cladem: Legatus põtificius Græcæ
» genti prædixerat cum Barlaamo monacho disputãs, Vidi
» & rectè memini, inquit Gennadius, cùm interfuerim dis-
» putationibus cuiusdã monachi Barlaam, quæ habitæ sunt
» Cõstantinopoli cum quodam Legato apostolico de pri-
» matu Papæ, vbi cõcludens legatus dicit: Ego quidem pos-
» sum cunctas obiectiones vestras diluere (nõ enim Christi
» ecclesia & præses illius summus Põtifex misit hominẽ qui
» nesciat vestris dubitationibus respondere) sed vos semper
» in nugacibus verborum argutiis versamini. Quare mihi li-
» bet dicere tibi breue ac verum verbum, quod & aliis Græ-
» cis, mihi iniunctum est dicere. Hæc dicit Papa: Si volueri-
» tis & audieritis me, bona terræ comedetis, secundum pro-
» phetã. Si verò nolueritis, neque audieritis me, gladius vos
» deuorabit. Num pontificis os locutum est hæc? num ha-
» bes huic quid contradicas? lege & expende, an euenerit si-
» cut ipse dixit, hic autem nuncius capti direptíque Bizan-
» tij Europam omnem perculsit, statímque inter dissentien-
» tes principes résque publ. Italiæ pax composita est. Anno
» autem sexto pontificatus huius Nicolai quinti Guilelmus
» Cardinalis cognomine Estotauilla presbyter tituli S. Mar-
» tini in montibus in regno Franciæ, singulísque Galliarum
» prouinciis apostolicæ sedis legatus pontificis iussu Acade-
» miam Parisiensem optimis constitutis legibus instaurauit
» Cal. Iun. anno millesimo quadringentesimo quinquage-
» simo secundo, vti ex Chartario ipsius Academiæ mihi cõ-
» stitit, & ante eum quidem Ioannes tit. S. Marci & Ægi-
» dius tit. S. Martini in montibus S.R.E. Cardinales aposto-
» licæque sedis legati leges eidem Academiæ dederant, quæ

ſtatuta appellantur, quas Guilielmus ita probat ſi nō inſtitutis ſuis repugnent, eáſque laudat. Biennio pòſt Nicolaus partim dolore animi, partim febri & podagra vexatus anno 8. pontificatus ſui Romæ excedit è vita, eique patria tribuléſque ſui multum debebūt, qui Lunenſis Epiſcopatus ſedem ad eos tranſtulit, vt Sarzana propter interitum Lunæ condita clarior nobiliórque fieret. Atque vtinã extaret libellus ille de vita & moribus illius ſanctiſſimi patris ac ſapientiſſimi viri pientiſſimíque pontificis à Philelpho ſcriptus, quem à Blaſio Giglino abbate D. Ambroſij cui commodo illum dederat, tam auidè repetit epiſtolarũ decimo tertio, etſi eodem libro Calixto tertio ſcribens Nicolai vitam vnica epiſtola ſciẽtiſſimè complexus videtur, elogiúmque eius Pij ſecundi epiſtola ad Academiam Colonienſem exprimi, ſuo loco dicemus. Extat Poggij quoque oratio ad Nicolaum, in qua hæc ſunt verba: Quid grauius, quid ſanctius, quid ſapientius, (vt aliàs omittam) illa vltima oratione tua poſt Eugenij exequias ad Cardinales habita? in qua veluti præſagium fuit talem te futurum qualem tunc pontificem exoptaſti? Sunt etiam hæc, tum ſacras tum gentilitias didiciſti, nullum doctrinæ genus te fugit. Hactenus Poggius de Nicolao refert, ſéque Romanam curiam vltimis verbis annos quadraginta ſequutum teſtatur. ô miſerum aſſectatorem tot pontificum, qui nihil ex aula præter inopiam & canitiem horrendam retuleris! Sed iam tempus eſt veniendi ad Calixtum Nicolai ſucceſſorem, tametſi publicè intereſt locũ illum ex octauo libro Fulgoſij excellentis hiſtorici proponere omnium mortalium oculis. Quid enim magis inuſitatum aut nouum poteſt videri? non poteſt, inquit, niſi mira res ipſa

" quoque dici, & cui supra modũ propitiam se fortuna præ-
" beret, ea quæ Thomæ Sarzano contigit, qui vno atque eo-
" dem anno, Episcopus, Cardinalis ac Pontifex creatus est,
" & in põtificatu Nicolaus quintus appellatus. Longè enim
" hoc difficilius atque rarius fuit, quàm Pompeio ante legi-
" timum tempus triumphare.



CALIXTVS III.



IROR Hispanos nationem, vt sibi videntur, natam imperio, ante hoc tempus nullum protulisse pontificem Romanum, nisi Damasum & Ioãnem Adriani quinti successorẽ. Hispanos dicas fuisse, quia Lusitania Melæ tertia pars Hispaniæ dicitur. Calixtus autem verè Hispanus fuit, generosis quidem parentibus in agro Valentino prognatus, vbi visuntur Sagunti antiquæ vrbis vestigia fide & ærumnis inclitæ: domesticum ei nomẽ Alfonso Borgiæ fuit, ab Eugenio autem institutus Cardinalis septuagesimo septimo ætatis anno pontifex dictus est, corpore quidẽ imbecillo & valetudinario, sed animo ingẽti, bellum in potentissimos hostes nominis Christiani Turcas parare ausus est, cùm ij vt rapidissimi torrentes capta Constantinopoli iam se in Hungariam effudissent.
" Qua de re Æneas Siluius loquitur in hunc modũ: Summus
" sacerdos corpore & mente ita valet, vt ante complures an-
" nos animus illi ad euersionẽ Mahometanæ sectæ magnus

est & ardens. Inuitabat principes ac respubl. ad id bellum, quod planè necessarium videretur reipubl. causa. Extat oratio Syluij qui Pius secundus postea fuit, in qua Fridericus Calixto obsequium offert, viresque suas ad reprimẽdos immanissimi Turcæ impetus, cuius ferociam vt cœlites mortalium precibus victi ipsi multo magis retunderent, circa meridiem campanas in templis Christianorum pulsari iussit, à quo more nõdum discessum est. Cæterùm mors octogenarij senis & res Italicæ iterum turbatæ optima eius consilia euerterunt: decessit enim Romę anno quadringentesimo quinquagesimo septimo, octauo Idus Augusti, vt epistola Pij ad Parisiensem Academiam missa cõtinetur. Vocẽ Calixti illam quam quotidie vsurpabat, non debeo prętèrire. Nulli dubium est, quin Apostolica sedes sit omniũ ecclesiarum parens, à cuius nos regulis deflectere indecorum sit. His enim verbis vtebatur, quæ à Pio in epistolis expressa videre licet. Nec verò senectus ipsa impedimẽto fuit Calixto quomin⁹ quotidie aliquid legeret, aut legi ab alio præsens iuberet, à pueritia optimis literis deditus, præcipuè iuri ciuili cui olim incubuerat, cùm in schola apud Hilerdam versaretur, id est, oppidum Hispaniæ Caio Cæsari notissimum. Quo magis miror quòd ad Æneam Senensem, qui mortuo Calixto successor datus est, scribit Philelphus Bessarionem Cardinalem Nicenum queri apud Calixtum pontificem solitum, quòd Nicolai quinti ornatissimam librorum suppellectilem temerè dissipari pateretur. Itáque operæpretium facturus sum, si ex libro 13. epistolam Philelphi ad hunc Calixtum tertium hic adiiciam. Etsi nonnullos existimabam fore beatissime pater Calixte tertie, qui

meam erga te obseruantiam audaciæ nomine deprauarent: malui tamen honestatis & officij mei quàm aliorum aduersus me calumniæ habere rationem: Nam qui pluris facit commodum quàm virtutem, is mihi videtur totus ex fortuna pendere, quæ vt instabilis est & fallax, ita omni virtuti maximè aduersa atque inimica. Quare non quid imperiti sentiant, sed quid sentiendum sit mihi fuit considerandum. Itáque iis omissis omninóque reiectis ita mihi agendum est cum tua sanctitate, vt intelligāt omnes nihil mihi fuisse potius quàm fauere laudi tuæ, quam qui de se negligit, is vt Apostolo Paulo repugnat, ita se hominem esse obliuiscitur. Quid enim est magis hominis quā omni studio atque diligentia sequi amplexaríque virtutem? At laudem quid aliud esse dicimus, quàm orationem eam, qua virtutis magnitudo demonstratur? Itáque absurdum est qui bonis actionibus delectatur, eas pati in obscuro esse: quasi quod inuidorum est proprium, alios nolit sui imitatores. Vt igitur dignitatis gradu cæteris omnibus mortalibus pręstas, ita operā te dare oportet vt amplitudine præstantiáque virtutis & sapientiæ cunctis hominibus superior iudiceris. Nam vt grauiter ac rectè Cyrus ille superior dicere solitus perhibetur, neminē decet imperare, qui subditis sit deterior. Et Bias ille Prienensis qui vnus est inter septē numeratus, pulcherrimè monebat imperium virum demonstrare. Quòd si morum similitudine beneuolentia generatur natura, dissimilitudine verò odiū: quis ambigat eundem esse, & bonum, & doctum virum: qui bonorum doctorúmque virorum consuetudine vtitur ac familiaritate? Quantam sibi gloriam comparauit


» Nicolaus quintus qui te non antecessit in pōtificatu: cùm
» ad cæteras virtutes suas vitæque sanctimoniā tanta erudi-
» tione, tanta sapientia, tanta eloquentia polluit, vt omni-
» bus benefaceret, omnes ad se accerseret, quos vlla vel in-
» genij vel doctrinæ præstantia insignes esse audiret. Vi-
» demus vnius eius optimi sapientissimíque pontificis,
» vel diligentia, vel munificētia id esse factum, infinita penè
» Græca volumina, quæ nostris hominibus erant ignota, de
» rebus maximis atque clarissimis à Græcis philosophis, hi-
» storicis, oratoribus, eleganter scripta, in Latinum esse tra-
» ducta sermonem, idémque factum est de libris theolo-
» gicis atque mathematicis: adeò vt non multum iam inui-
» dendum sit Græcis auctoribus, ita multos apud Latinos le-
» gere liceat. Quòd si diutinus aliquāto fuisset in viuis, cum
» reliquis rerum aut optimarum, aut admirabilium scripto-
» res, tum poëtę ipsi maximéque nobilissima illa duo diui-
» ni Homeri carmina, quibus hominū vita in omnem par-
» tem instituit atque ornat, Latinitatē induissent. Qui post
» vrbis Constantinopolitanæ captiuitatem atque miseram
» illam & infortunatā depopulationem, nūcios suos & ne-
» gociatores clam misit per vniuersam illam & Europam &
» Asiam, quæ Turcis paret, ad conquirendos emendósque
» Græcos codices: nulli neque labori parcens, neque impen-
» sæ. Neque id negocij frustrà susceptum est: Nam innume-
» rabilia prope volumina ingenti etiam pretio aduecta sunt
» in Italiam: itáque iure optimo dici potest, non periisse
» Græciam, sed in Italiam, quæ olim magna Græcia dicta
» est, vnius eius Nicolai pontificis clementia commigrasse.
» Et ne omnino se gręcū dics, quis Latinueret haberi mallet,
» & nuncios & negociatores misit quamplurimos per vni-

» uersam Europam cum grandi pecunia: qui diligenter vbique odorarent, si quid Latinæ grauitatis & elegátiæ vsquã lateret, ídque nullius pretij habentes ratione͂, omnino ad sese deuehendum curarent. Scio vnum ex iis fuisse Enochum Asculanum, qui quondam fuerat Florentiæ auditor noster vnà cũ Ænea isto Syluio, qui nũc Senæ se gerit Episcopum. Is enim Enochus in Daciam vsque profectus est, & vt referunt aliqui in Hirlãdiam vsque, quæ quàm longissimè vltra reliquas omnes insulas de quibus extet memoria apud priscos rerum scriptores, posita est in mari Oceano è regione Germaniæ ad Septemtrionem. Itáque eo tibi maior cura iniecta est pater beatissime, quòd ei in pontificatũ successisti, cui nihil potius fuit quàm cõsulere cõmuni omnium bono, prospicere publicæ Christianorum omnium vtilitati & gloriæ, quàm ea sequi atque complecti, quæ Romano pontificatui, & ornamento & splendori futura essent. Non suos ille curabat aut locupletare, aut magnos reddere, qui sciret iam sibi nullam esse sui potestate͂, intelligerétque turpissimum duci in viro graui & sapienti mentem cum ore non conuenire. Nam quid absurdius dici queat, quàm eum agere quicquã imperiosius & pro animi impotentia, qui se in omnibus literis scribat seruũ seruorũ Dei? Rectè igitur Nicolaus quintus in omnibus suis actionibus assiduè Deum præ se ferebat, suorúmque omnium oblitus commodorum, referebat omnia ad dignitatem, & amplitudinem Romani pontificatus. Et ne vllam sapientiæ partem neglexisse videretur in vita, intelligerétque non solùm duo esse viuendi genera, alterum contemplatiuum, alterum actiuum; sed rursus actionum alias esse bellicas, alias vrbanas, quicquid temporis ab in-


„ telligentia rerum admirabilium atque diuinarum superat:
„ id omne ita ad virtutes bellicas transferebat, vt vrbanas nū-
„ quam à se reiiceret,& has tantūmodo. Iam ad Dei & chri-
„ stianæ religionis dignitatem & gloriam, parabat magno
„ conatu & viribus bellum aduersus Turcos: quos animad-
„ uerteret quotidie magis magísque inualescere : nec aliud
„ animo volutare quàm perniciem & exitium nominis Chri-
„ stiani. Itáque belli neruos, hoc est pecunias, & ab aliis cō-
„ parabat, & suis ipse non parcebat. Intelligebat enim om-
„ nia oportere esse communia pro Christo Iesu: classem or-
„ nabat ingentem & validam, copias vndique accersebat, ni-
„ hílque prætermittebat, quod ad belligerendi, quod ad cō-
„ sequendæ victoriæ rationem attineret. Neque tamen hæc
„ dum ageret, literarum & humanitatis studia à quotidiana
„ sua consuetudine aliena faciebat: sed sciret eum se virum,
„ qui diuinum in terris solium regeret atque gubernaret:
„ omnem in sese hominis excellentiam repręsentabat, vt nō
„ minus in omni vitę actione, quàm in vniuersæ intelligētię
„ studio reliquis mortalibus præstaret. Itaque viros doctos
„ & eloquentes assiduè apud se habebat, neque vllum omni-
„ no negligebat, in quo pręclaram ingenij vim aliquam in-
„ tueretur: Quanta verò in omnes homines munificen-
„ tia vteretur, nemo omniū melius nouit, quàm ipse tu pa-
„ ter beatissime: Faciebat autem & prudenter & rectè: cùm
„ nosset nihil esse ad excitanda ingenia alendásque discipli-
„ nas accommodatius honoratione ac beneficētia. quo qui-
„ dem consilio atque benignitate id effectum iam videba-
„ mus, vt non Latini modò, sed cæteræ etiam nationes in
„ omni orationis, in omni doctrinæ cultu expoliretur. Re-
„ uocauit illum ad se. Deus omnipotens, qui agit omnia
semper

» ſemper pro ſumma infinitáque prouidentia : & ei in pontificatum ſuccedere te vnũ idcirco, vt mihi perſuadeo, voluit, quoniam prudentiſſimum innocentiſſimúmque cognoſceret. Quid enim tibi deeſſe ad prudentiam poſſit, qui & extremum ſenium viuis, & in negotiis ſemper maximis, variis & difficillimis ſumma tua cũ laude es verſatus? Videmus te illam actionis partem, quam ille temporum calamitate coactus inierat, quàm diligentiſſimè proſequi. Nam tui quęſtores vbique ex populis Chriſtianis pecunias exigunt ad conflandum per continentem in Turcos exercitum. Claſſis quoque exædificata eſt rebus omnibus ornatiſſima, & maxima, virtuti bellicæ quantum intereſt, perpulchrè conſulitur. Sed reliquum eſt, ne vrbanæ fiat iniuria. Nam ſi viris eruditis & eloquentibus à nobiliſſimo illo & ſanctiſſimo põtifice Nicolao quinto prudẽtiſſimè conſtituta præmia ſuſtuleris, quid de te vno relinquatur deſiderandum, non obſcurè ſuſpicari potes. Noli obſecro, qui ſcientiſſimus ſis, à quoquam ſimulari inſcitiæ. Quod eo facilius accidet, quod accuſant nonnulli, non tuam (qui innocentiſſimus ſis) ſed tuorum quorumdam non tam ſubreptionem, quàm incuriã iſtius bibliothecæ, quæ tanto nuper labore, tantáque impenſa ex vniuerſo prope terrarum orbe comparata eſt. Huic igitur crimini quod nulla tua culpa conflatum eſt, vt quam primùm, & quam accuratiſſimè occurras, oportet: Nam confictis etiã rumoribus perſpiciendum eſt, ne quam tibi tanta probitate pontifici famæ notam, vbi neglecti fuerint, poſſint inurere. Animaduertimus enim fieri malo hominum more, vt flagitioſorum famulorum errata in iuſtos etiam integerrimóſque dominos nonnumquam referant. Itáque ti-

» bi peruidendum arbitror, dum bellum paras in Turcos, ne
» domi prædam ipse patiare, frustra enim foris iusti existi-
» memur, si domi iustitiam non seruamus: in his præsertim
» rebus quæ nostræ non sunt, sed reipub. sed ecclesiæ Ro-
» manæ, sed Christi Iesu. Quare cùm diligens librorum ra-
» tio est habenda, ne pereant, tum qui eos & exercent & no-
» runt, honorificè simul & commodè retinendi. Cui enim
» vsui sint futura, tot & tam præclara in omni genere disci-
» plinæ Latina Græcáque volumina sine his viris, qui & Græ-
» cè sunt & Latinè eruditissimi, Neque arma bellica sine mi-
» litibus ac duce vtilia sunt: neque triremis sine remigibus, &
» gubernatore. Sed hæc tu pater beatissime longè pruden-
» tius & melius dinoscis, quàm ipse norim exprimere: Li-
» buit tamen quæ mihi veniebant in mentem, pro mea er-
» ga te pietate non præterire silentio, vt intelligeres mihi
» splendidissimnm tuum nomen curæ esse non mediocri.
» quòd si qua fortassis in re tuas aures offenderim, id impru-
» dentiæ ascribe, non voluntati. Vale pater clementissime,
» & me commendatum habe, ex Mediolano XI. Kalend.
» Martias anno à Christi natali die M. CCCCLVI.



PIVS II.



X libro epiſtolarum Æneæ Siluij eum Siluio parente prognatum ſcimus, ſic enim orditur epiſtolam: Æneas Siluius poëta, genitori ſuo Siluio ſalutem. & patrem quidem rogat vt nepotem hilari vultu ſuſcipiat, nec putet diuitem fœminam in filio mentiri. poëticis enim ſtudiis & amoribus deditus ex furtiuo concubitu naturalem filium habebat: quod illi cum diuo Auguſtino commune ſit, ſolutus quippe adhuc erat, poëticas artes ac delicias tantùm colens: poſtea magnos viros ſequutus, per eos effecit vt Frederici tertij Cæſaris ſcriba ac notarius fieret, quo in munere prꝗſtantis ingenij vires exercuit, támque acceptus domino fuit, vt eius interceſſione ex Senenſi Epiſcopatu ad purpureꝗ veſtis honorem à Calixto pontifice maximo ſit vocatus. Inter epiſtolas eius vnam reperio, qua Cæſari ob tantum in ſe beneficium gratias agit, vt ille olim Auſonius Gratiano: vtitúrque Virgiliano verſu, *Habes tota quod mente petiſti*. Simul Calixti deceſſoris ſui probitatem laudat. quo quidem mortuo incredibili omnium collegarum conſenſu fit Epiſcopus Romanus, cùm ab eligendo Beſſarione Græco homine Alanus Cardinalis Auenionēſis Collegas auertiſſet, quòd indecorum videretur Græcum hominem euehere, quaſi Roma Latinos, ſapientiſſimos viros doctiſſimóſque non haberet, vt Gobelinus Pij notarius fideliter narrat, ídque accidit men-

ſe Septembri milleſimo quadringenteſimo quinquageſimo ſeptimo, quantum ex literis eius ad Academiam Pariſienſem datis manifeſtum eſt, vbi hoc diſertè ſcribitur:
» Electionem Romani pontificis Deo, non hominibus de-
» beri. Extat Philelphi ad Pium iam pontificem de electio-
» ne huiuſmodi epiſtola in hunc modum: Quod nihil vm-
» quam in vita mihi iucundius contigit, neque optabilius
» quicquam accepi, nunc te ad XVIII. Cal. Septemb. diuina
» benignitate ad ſummum eccleſiæ Romanæ pontificatum
» aſſumptũ eſſe, cum maximo Cardinaliũ omnium cõſen-
» ſu, incredibilíque totius Reipubl. vel vniuerſi potius (vt i-
» ta loquar) orbis terrarum lętitia atque gaudio. Quid enim
» in pręſentia tuę gratuler ſanctitati, cui nihilo plus dignita-
» tis ſummus iſte põtificatus attulerit, quàm tu ipſe ob innu-
» merabiles tuas diuináſq; virtutes põtificatui? &c. Vale pa-
» ter beatiſſime, ex Mediolano quinto Cal. Septẽb. M.CCCC.
» LVIII. Renuntiato pontifici oblati ſunt ei ad ſpectandum theſauri à Calixto demortuo relicti, quaſi magnum quippiam & viſu pulcherrimũ: at diuinus ille vir videre noluit, Auferte hæc, inquit, citius enim expendemus quàm alij congeſſerint. atque hoc factum eius nulla hiſtoria tradit, ſed Bernardus Iuſtinianus laudat ea oratione quam ad Sixtum quartum nomine Venetæ republ. legatus habuit. Octobri verò proximo Carolum ſeptimum regem Francorum hortatur, vt Mantuam ad conuentum Chriſtianorum proficiſcatur: atque agnoſcit non immerito ob Chriſtianam pietatem egregiè à maioribus defenſam nomen Chriſtianiſſimi regis ab illis hereditarium accepiſſe: ad alios quoque reges vt idẽ faciant literas miſit. Cęterùm Carolo breui extincto, ad Ludouicum vndecimum

eiuſdem argumenti epiſtolam ferri iubet; ſimul rogat vt ſanctionem pragmaticam abroget, latam temporibus diri ſchiſmatis, ſedíque ſuæ penitus inuiſam. Rex ſe illam abrogare ſcribit. Interim Mãtuæ ſexto Cal. Oct. quadringẽteſimo quinquageſimo nono præclarã orationem habet, qua expoſitis Turcarũ viribus ab bellum in eos gerẽdum hortatur; ipſéque tam pij conatus prçco, põtificatus ſui anno ſexto publicis literis id bellũ Chriſtianæ genti ſignificat. At febrium mille ſpecies expertus, vt ipſe loquitur, & familiarem calculi dolorem, fractúſque tot exhauſtis pro Chriſtiana Republ. laboribus, non ita multo pòſt apud Anconam maritimã vrbem excedit è vita, dignus Virgiliano elogio, *Sum pius Æneas fama ſuper æthera notus:* nóſque vitam eius breuiſſimè complexi ſumus, ſed copioſè & ſine odio à Platina exponitur. Magnus vir Coſmus Medices, qui illis tẽporibus in Hetruria floruit, cum id bellum à Pio pararetur. Pius, inquit, ſenio confectus iuuenile facinus aggreditur. ſed vtinã hanc Pij vocẽ audire Europa illa ætate potuiſſet, *Æneæ magni dextra cadis.* impia enim Mahometi ſecta periculũ eſt ne nos aliquando abſorbeat. Nec verò neceſſe eſt dicere quos libros ediderit, quàm eruditus, quámque pius re & nomine in põtificatu fuerit, quibúſve muneribus affecerit viros pietate & ſanctimonia illuſtres. At illud in primis laudo, quòd Catharinam Senẽſem miræ virginem eloquentiæ, & immortali gloria dignam, inter Diuas retulit tertio Cal. Iulij, põtificatus anno tertio: vt hoc facto patriã ſuam magnopere honoraret: in agro enim Senenſi natus erat apud Corſinianum oppidũ, maioribus Picolomineis, quç familia olim ex Roma Senas tranſlata, in id oppidum commigrarat. Poſtea ridente for-

tuna Senensis Episcopus factus est, ídque Philelphus libro octauo epistola ad ipsum Æneam perspicuè indicat his verbis: Accepi te Senis declaratũ Episcopũ, quod & tibi & Senensibus vehemẽter gratulor: nam & tu viues in patria, viues trãquillè, viues cum dignitate, & Senenses eũ pontificem sunt adepti, qui sit integerrimus, innocentissimus, doctissimus. Hæc Philelphus qui libro secundo epistolarum anno millesimo quadringentesimo tricesimo primo ad Nicolaum iurisconsultum scripserat in hunc modum: Iuuenis est Senensis Æneas, honesta natus familia, mihíque charissimus, non solùm quòd annos duos meus auditor fuit, sed etiam quòd ad ingenij acrimoniam dicendíque leporem attinet, moribus est vrbanis & cultis. Idémque pontifex consentiente Cardinalium collegio Corfiniani cathedralem ecclesiã cõstituit, Piétiámq; imposterum patriam dici voluit: cuius rei Gobelinum historicum magnæ auctoritatis ac nominis, qui res eius libris duodecim posteritati diligẽter veréque exposuit, testem habeo. Itáque eum humanissimum pontificem fuisse omnes mortales sciunt. Referam ex libro nono cõmentariorum factum eiusdem summæ humanitatis plenissimũ: cùm enim in agro Senensi Floram oppidum inuisisset, descendissétque ad inferiorem fluuium qui trutas gignit præ cęteris Italiæ sapidissimas, accolæque coram eo piscati essent, media per armenta qua pascebantur in pratis, custos gregis, qui numquam pontificem vidisset, vestimenta Cardinalium, & purpuratorum admiratus ornamenta, quamuis paululum hæsitauit, quem pro summo pontifice venerari oporteret, visa tandem aurata sella, quę humeris hominum inter equites portaretur, sessorem a-

» dorandum ſtatuit, & emuncta vacca quæ aderat, vas figu-
» linum ex quo bibere atque edere conſueuerat, lacte plenũ
» pontifici lætabundus obtulit, quem propter æſtum ſitire
» arbitrabatur. Pontifex memor illius qui Artaxerxi Perſarũ
» regi iter habenti, comprehenſam vtraque palma porrexit
» aquam, ſubriſit, nec dedignatus eſt nigrum & vnctum tã-
» quam biberet oſculari vas figulinum, guſtandúmque Car-
» dinalibus tradere, ne ſedulitatem, & pauperis obſequium
» paſtoris contemnere videretur, qui opes apud ſe chariſſi-
» mas obtuliſſet. Tãdem tot ſuperatis laboribus qui matrẽ Victoriam habuiſſet, morte victus eſt, decimo nono Cal. Septẽb. anno 1464. & in baſilica principis apoſtolorum ſepultus iacet, ídque ex epiſtola Papienſis Epiſcopi intelligimus. in eadem enim ad dextram ſepulchri põtificis Pij ſe cõdi mandauit. cur ita? vt qui me extulit viuens, inquit, mortuus iuxta ſe habeat. Dicitur Pius multum amaſſe gẽmas, earúmque vſu plurimum delectatus fertur, atque adeo apoplexiam inde cõtractam: quo morbo ſit mortuus id quia pro comperto non habeo, affirmare nõ auſim. Sapiẽtiſſimè autem feciſſe Pius videtur datis ad Rectores Academiarum literis, quibus ſe erraſſe fatetur admodum iuuenem, cùm aduerſus Eugenium quartum pro Baſilienſi ſynodo ſtaret, immo vitam ipſe ſuã planius explicat, quàm hiſtorici facere potuerint, multáque ignorare eum ſit ne-
» ceſſe qui haſce literas neſciet. PIVS EPISCOPVS, ſeruus
» ſeruorum Dei, dilectis filiis rectori, & vniuerſitati ſcholæ
» Colonienſis, ſalutem & Apoſtolicam benedictionem. In
» minoribus agentes, nondum ſacris ordinibus initiati, cùm
» Baſileæ inter eos verſaremur, qui ſe generale concilium fa-
» cere, & vniuerſalem eccleſiam repræſentare aiebant, dia-

logorum quendam libellum ad vos ſcripſimus, in quo de auctoritate concilij generalis, ac de geſtis Baſilienſium,& Eugenij Papæ cotradictione, ea probauimus, vel damnauimus, quæ probanda, vel damnanda cenſuimus: quantum capiebamus,tãtum defendimus,aũt oppugnauimus: nihil mentiti ſumus, nihil ad gratiam, nihil ad odium retulimus:exiſtimauimns bene agere, & recta incedere via: nec mentis noſtræ aliud erat obiectum,quàm publica vtilitas,& amor veri. Sed quis non errat mortalis? ſapientem inquiunt philoſophi nunquam errare verum eſt. At quis ſapiens,niſi bonus?quis bonus, niſi ſolus Deus? omnes declinauerunt, ſimul inutiles facti ſunt,non eſt qui faciat bonum, non eſt vſque ad vnum, inquit propheta regius. Declinauimus & nos ab vtero matris:errauimus in inuio, & non in via: ambulauimus in tenebris, & procul à vera luce receſſimus:nec nobis tantùm errauimus, alios quoque in præcipitium traximus: & cæcis ducatum præbentes,cæci cum illis in foueam recidimus: forſitan & aliquos ex vobis ſcripta noſtra decepere, & in deuia deduxerunt:quorum ſanguinem ſi de manibus noſtris requiſierit dominus, non habemus quid reſpondere poſſimus, niſi nos, vt homines, peccauiſſe: qui arbitrantes rectum iter oſtendere, obliquum monſtrauimus: in miſericordia tantum Dei ſpes noſtra ſita eſt, quæ ſuper omnia opera eius elucet.Sed haud quaquam ſatis fuerit diuinam miſericordiam implorare, & dicere, Parce domine,parce peccatis noſtris,niſi pro viribus vulnera quæ infliximns veritati, curare annitimur: & ſicut eſt in fabulis, ſagitta quæ vulnerauit, afferat opẽ:ſiue vt canit Eccleſia, Medelã inde ferat hoſtis,vnde læſerat.Mortem quidam prius ſibi conſciuerunt,

" sciuerunt, quàm videri velint aliquando male sensisse: &
" nonnulli ne vel ad horam videantur errasse, semper errant,
" & dum vel minimam tolerare honoris iacturam nequeūt,
" totum abiiciunt, & perpetua notantur infamia, & in pes-
" simas prolabuntur hæreses: qui ne appareant inconstan-
" tes, pertinaces efficiuntur, superbissimi hoc agunt, qui vi-
" deri dij, non homines volunt, quales Constantiæ combu-
" sti sunt nostra ætate in magno conuentu, Hieronymus, &
" Ioannes heresiarchæ. Nos homines sumus, & vt homines
" errauimus: neque imus inficias, multa quæ diximus scrip-
" simus, egimus, damnari posse: Verùm non vt Arrius, Euti-
" ches, Macedonius, aut Nestorius, & alia blesphemorum
" turba, ex animo damnatam viam elegimus, seducti pecca-
" uimus, vt Paulus, & ignorantes persecuti fuimus ecclesiam
" Dei, & Romanam primámque sedem. Propter quod pro-
" strati ante oculos diuinæ pietatis, supplices oramus, Deli-
" cta iuuentutis meæ, & ignorantias ne memineris, &c. Pu-
" det erroris, pœnitet malè fecisse, & malè dictorum scrip-
" torúmque vehementer pœnitet: plus scripto quàm facto
" nocuimus. Sed quid agamus? scriptum & semel emissum
" volat irreuocabile verbum. Non sunt in postetate nostra
" scripta, quæ in multas inciderunt manus, & vulgò legun-
" tur. vtinam latuissent, quæ sunt edita. Nam si futuro in
" seculo manserint, & aut in malignas mentes inciderint,
" aut incautas, fortasse scandalum parient. Qui hæc scripsit,
" inquient, in beati tandem Petri cathedra sedit, & Christi
" saluatoris vicariatum gessit: ita scripsit Æneas, qui postea
" summum pontificatum adeptus, Pius secundus appella-
" tus est, nec inuenitur mutasse propositum. Qui eum ele-
" gerunt, & in summo apostolatus vertice collocarunt, ab

» iis scripta eius approbata videntur. Verendum est, ne talia
» nostris aliquando successoribus obiiciantur, & quæ fue-
» runt Æneæ, dicantur Pij, atque ab ea sede auctoritatem
» vendicent, ad quam ignoranter latrauerunt. Cogimur i-
» gitur, dilecti filij, beatum Augustinum imitari, qui cùm a-
» liqua in suis voluminibus erronea inseruisset, retractatio-
» nes edidit. Humilis & probatissimi vir ingenij, qui suas
» ineptias verecundè confiteri ac corrigere, quàm impu-
» denter defendere maluit. Idem & nos faciemus: confite-
» bimur ingenuè ignorantias nostras, ne per ea, quæ scri-
» simus iuuenes, error irrepat, qui possit in futurum aposto-
» licam sanctam sedem oppugnare: nam si quem decuit vm-
» quam Romam primíque throni eminentiam & gloriam
» defendere, ac extollere; nos illi sumus, quos sine vllis me-
» ritis, pius & misericors Deus, sola dispẽsatione sua, ad bea-
» ti Petri solium, & dilectissimi filij sui domini nostri Iesu
» Christi vicariatum euocauit. Quibus ex rebus dilectiones
» vestras hortamur, & in domino commonemus, ne priori-
» bus illis scriptis inhæreatis, aut fidem vllam præstetis, quæ
» supremam apostolicæ sedis auctoritatem quouis pacto e-
» lidunt, aut aliquid astruunt, quod sacrosancta Romana
» non amplectitur ecclesia. Suadete omnibus vt id solium
» præ cæteris venerentur, in quo saluator dominus suos vi-
» carios collocauit: & quod beati apostoli Petrus & Paulus,
» suo sanguine dicauerunt: nec putetis diuinam prouiden-
» tiam, quæ cuncta gubernat, & nihil negligit eorum, quæ
» creauit, inordinatam reliquisse militantem ecclesiam: quę
» cùm sit sponsa Christi, profectò à Deo est, & ordinem ha-
» bet, dicẽte apostolo, quę sunt à Deo, ordinata esse. Requi-
» rit autem ordo, vt inferiora à superioribus gubernẽtur; &

„ ad vnum tandem perueniatur, tanquam principem & „ moderatorem cunctorum quæ infra se sunt. Sicut Grues „ vnam sequuntur, & in apibus vnus est rex, ita & in ecclesia „ militanti, quæ instar triumphantis habet, vnus est omniũ „ moderator & arbiter, Iesu Christi vicarius: à quo tamquã „ capite, omnis in subiecta membra potestas & auctoritas „ deriuatur, quæ à Christo domino Deo nostro sine fine in „ ipsum influit, nec profectò in alium, tamquam sui exerci- „ tus ducem, supremam auctoritatem Christus principali- „ ter deriuasset, quàm in suum vicarium, qui primus fuit Pe- „ trus, cui commissam nouimus dominici gregis curam: „ nec duos pluresve Petros Euangelistæ commemorãt, nec „ duos aut plures instituit dominus, qui suum locum, tan- „ quam capita tenerent æqualia: sed vnum constituit, vt „ verticem ac ducem, & pastorem vniuersi gregis, Simo- „ nem Petrum, dicens, Tu es Petrus & super hanc Petram „ ædificabo ecclesiam meam: & tibi dabo claues regni cœ- „ lorum: & quodcumque ligaueris super terram, erit liga- „ tum & in cœlo, & quodcumque solueris super terram, erit „ solutum & in cœlo. Et, pasce oues meas. Quæ nulli alte- „ ri seorsum dicta leguntur, nisi Petro, vt in Petro vnitas, „ & summa contineretur auctoritas: nec alius à petra dictus „ est Petrus, nisi Simon; vt intelligeremus vnicum esse ve- „ ræ & solidæ petræ, id est, Christi (vt Paulus exponit) lo- „ cum tenentem Simonem Petrum, qui solus pro domino „ in periculo constituto exeruit gladium. Petrus igitur, & „ successores eius Romani pontifices primatum in ecclesia „ tenuerunt, & nos hodie, quamuis indigni, sola volun- „ tate domini digni tenemus: & quicumque Romanæ se- „ cundum canonicas sanctiones præficitur ecclesiæ, quàm

„ primùm electus est in sacro collegio, supremã à Deo potestatem sine medio consequitur, & per ordinem in omnem diffundit ecclesiam; cuius diuino iudicio peccata punienda relinquuntur. Si quid aduersus hanc doctrinam inueneritis aut in dialogis, aut in epistolis nostris, quæ plures à nobis sunt editæ, aut in aliis opusculis nostris; (multa enim scripsimus adhuc iuuenes) respuite atque contempnite. sequimini quæ nunc dicimus; & seni magis quàm iuueni credite, nec priuatum hominem pluris facite, quàm pontificem: Æneam reiicite, Pium recipite: illud gentile nomen parentes indidere nascenti, hoc Christianum in apostolatu suscepimus. Dicent fortasse aliqui, cum pontificatu hanc nobis opinionem aduenisse, & cum dignitate mutatam esse sententiam: Haud ita est, lõgè aliter actum. Audite filij conuersationem nostram: breuis narratio erit, quæ vobis, quantum ad rem attinet, veritatem aperiet, & obiectioni faciet satis. Anno salutis primo & tricesimo supra mille 400. cum Dominico Capranico, quem Martinus quintus in secreto consistorio Cardinalem creauerat, Eugenius quartus spreuerat, Basileam petiuimus, ibíque cõcilium inchoatum inuenimus, verùm ab Eugenio reuocatum, quamuis congregati noluerant obedire, asserentes iam incœptum concilium sine consensu patrum, qui conuenissent, haud quaquam potuisse dissolui. Iulianus aderat sancti Angeli Cardinalis natione Romanus, moribus & doctrina cõspicuus. Is cùm cæteris præstaret, audita Eugenij reuocatione, præsidentiam dimisit, tanquam summo pontifici vellet obedire: sed cùm augesceret in dies, Eugenio vel inuito, concilium, & multi ex diuersis regionibus Episcopi, & regum legati

» aduentarent, Cardinales quoque, ex Romana curia pro-
» fugi, in dies nonnulli concurrerent, præsidentiam resum-
» psit: & auctoritatem Concilij mirum in modum extol-
» lens, eminentiam primæ sedis supprimere cœpit, venien-
» tes Eugenij legatos, & potestatem Romanorum præsu-
» lum magnificantes, apparenter confutauit: & cùm esset
» facundissimus, facilè persuasit auditoribus quæ cupiebat.
» Cardinales ex vrbe profecti, Eugenio infensi, vitam e-
» ius moresque carpebant: accedebant in horas cateruatim
» noui Curiales, qui (vt est omnis multitudo maledica, &
» inimica Principi) Eugenij nomen modis omnibus lace-
» rabant. Nos qui ex patria iuuenes, non ex vrbe illuc mi-
» graueramus, & noua tum primùm auis ex Senensi Gym-
» nasio euolaueramus, rudes & inexperti, vera esse arbitra-
» bamur quæcumque dicebantur. Nec putabamus menti-
» ri alios, qui nesciremus ipsi mentiri: vtque est innatum
» homini, tetra & horrenda crimina odio habebamus. Nec
» Eugenium diligere poteramus, quem tot tantique testes
» indignum pontificio dicerent. Aderant legati Parisiensis
» scholæ, cuius est fama percelebris: affuerunt & aliquan-
» do vestri & aliorum studiorum Germanicæ nationis ora-
» tores, & vno cuncti ore, concilij generalis auctoritatem
» ad cœlum efferebant. De potestate Romani pontificis,
» pauci erant qui loqui præsumerent: omnes, qui publi-
» cè loquebantur, prurientes auribus, multitudini applau-
» debant; accessit & ipsius Eugenij consensus, qui dissolu-
» tionem concilij à se factam reuocauit, & progressum
» eius approbauit, cùm reconciliata synodus Eugenio vi-
» deretur, & pax ecclesiæ data; præterita enim omnia per suas
» literas, concilij patres, Eugenio sese remissuros, & pe-

» des eius tamquam beati Petri exosculaturos promiserant,
» si reuocata dissolutione consilio cursum permitteret, at-
» que illi cohæreret. Nouæ intercessere discordiæ, tum aliis
» de rebus, tum potissimè super translatione concilij. Græ-
» corum caussa in alium locum Eugenius in Italia, non sine
» ratione concilium petebat, popularitas synodalis transi-
» re montes horrebat, & in Auenione, aut in Sabaudia lo-
» cum desiderabat. Adiuerunt per id temporis duo viri ex
» Italia Basiliense concilium, Nicolaus Panormitanus Ar-
» chiepiscopus, & Ludouicus Pontanus, apostolicæ se-
» dis notarius, Alfonsi magni regis oratores, qui velut duo
» orbis sydera, ceu pontificij iuris, & totius ciuilis sapien-
» tiæ, duo præcipua lumina & clarissima censebantur. Hi
» dictis scriptísque, concilij gesta probabant, Eugenij fa-
» cta damnabant: nec erat qui aut vellet aut auderet dicta
» eorum refellere. Quid ageremus? audire potuimus, non
» discere. Rude nimis ingenium est, quod per singulos
» dies audita, & inculcata, non capit. Quales magistri
» sunt, tales discipuli euadere solent. Paucos inuenias Ari-
» stoteles, qui Platonica norint destruere dogmata. Non
» est discipulus supra magistrum, inquit dominus: nec
» nos magistrum potuimus superare. Iulianus nobis, & Ni-
» colaus, & Ludouicus, & alij complures fuere magistri:
» schola, Basiliensis conuentus, in quo, rarò aliquis, Eugenij
» causam defendit. Aduersus concilij dignitatem mutire ali-
» quid, crimen hæresis fuit. vna omnium vox, cōcilium Eu-
» genio præferebat. De sedis apostolicæ præcellentia, aut si-
» lentium, aut contemptus: concilium, concilium, cuncta
» sonabant. didicimus ergo quæ audiuimus, & post aliquot
» annos, existimantes nos aliquid esse, diximus (vt est apud

» Satyricum) semper ego auditor tantùm? nunquam ne re-
» ponam? puduit semper discipulum gerere, subtraximus
» ferulæ manum, cœpimus loqui, & magistri personam in-
» duimus. Scripsimus epistolas, & opuscula, hoc omnibus
» passim datur: docti & indocti scribunt: & quæ scripsit ip-
» se, nemo contemnit, nisi editionis feruorem tempus ex-
» tinxerit: nobis placebant scripta nostra, more poëtarum,
» qui poëmata sua tamquam filios amant. Nec in Basilea
» quẽquam inueniebamus, qui ea damnaret: probant enim
» similia similes: applaudebamus nobis ipsis, & in editioni-
» bus nostris gloriabamur. & quamquam postea Eugenius
» concilium in Italiam transtulerit, & cum Græcis Ferrariæ,
» ac demum Florentiæ conuenerit; quamquam Iulianus
» sancti Angeli, & Ioannes sancti Petri Cardinales, quibus
» plurimum credebamus, ad Eugenium defecissent; quam-
» quam paucissimi in fide Basiliensi remansissent; noluimus
» tamen cedere, existimantes cunctos, qui abibant, metu
» recedere, ne bona temporalia perderent: & cùm nihil ha-
» beremus, quod nobis auferri posset, perseuerandum pu-
» tauimus, ne partem, quæ verior nobis apparebat, relin-
» quentes, detrimentum animę faceremus. Mansimus igi-
» tur Basileę, quoad Eugenio (vt credidimus) iusto iudicio
» deposito, Amedeus Sabaudiensis suffectus est, & Fœlix
» quintus appellatus: quem non vt idolum (quod erat) sed
» tamquam Christi vicarium venerati fuimus, nihil ad hæc
» sinistri putantes intercessisse. at cùm Fridericus Romano-
» rum Rex Aquisgrani coronatus, domum repetens, Basilea
» trãsitum fecisset; rogatúsque Fœlicem illic præsentem ac-
» cedere, nullo pacto persuaderi potuisset, vt honorem ei,
» tanquam Romano pontifici, exhiberet, aut publicè cum

» eo verba misceret; tum primùm considerauimus possibile » esse, quòd partem erroneam sequeremur, quando Rex, » Imperator Romanorum futurus, in tanto negotio dubius » esset, & ad Eugenium inclinaret magis. Multùm, & sæpe » inter nos ipsos cogitauimus, quis esset modus inueniendi » verum, nunquam enim volentes errauimus. rogati in fa- » miliam Friderici transire, non renuimus. erat tunc ille cum » tota ferè Germania neutralis. Concilium Basileæ dicebāt » esse Germani, & idolum eius respuebāt, Eugenium Christi » vicarium appellabant, & cōcilium ab eo celebratum recu- » sabant, nec Eugenio, nec Basiliensibus plenè obediebant. » placuit ad neutrales transire, vt verum apud eos liberius au- » diremus: & si recēsendum esset, ab vno extremorum, per » aliquod medium transiremus ad alterum: & eorum iudi- » cium spectaremus, qui nō essent affecti caussæ. Mansimus » in aula Friderici pluribus annis, illic varias audiuimus opi- » niones. Neutralitatem idcirco Theutones induerāt, vt cō- » cordia facilius inueniretur, non ex consilio Solonis, qui » tumultuante ciuitate, extorrem fecit, qui sine parte remā- » sit. multa inter neutrales didicimus, quę nos antea latebāt: » Eugenium falsò de multis accusatum inuenimus, Cardi- » nales, qui Basileam venerāt, ob priuatas inimicitias, bono » & sancto viro notam inurere voluisse: qui tamen cuncti » postea ad eum redierunt, & veniam errati petierunt. Fortè » per id temporis Iulianus sancti Angeli Cardinalis, cuius » suprà meminimus, ex Vngaria, quæ sibi decreta contra » Turcas fuerat prouincia, Flauinianum venit, (quæ hodie » Vienna dicitur) præcipuū Austriæ columen: sæpe cum eo » sermonem pro veteri consuetudine miscuimus: sæpe de » rebus Basiliensibus disputauimus. tuebamur antiquam

senten-

» sententiam: ille nouam defendebat: extollebamus generalis concilij auctoritatem, ille apostolicæ sedis potestatem magnopere collaudabat. Dicebamus concilium Basiliense iure perseuerasse, quamuis Eugenius præsidentes reuocasset, & hoc eius factum accusabamus: ille dissolutum seu translatum ritè concilium affirmabat, & Basiliensium opera multis modis detestabatur, Basileæque non synodū ecclesiæ, sed sathanæ, & ministrorum eius synagogam remansisse dicebat. Diutina fuit inter nos concertatio, verùm modesta & charitate plena: ad extremum cùm suis scriptis dictísque Cardinalem & vinceremus, premerémúsque vehementer, subridens ille, Tu, inquit, Ænea, tabellis obsignatis agis mecum: & quoniam aliquando sensimus, vt dicis, idcirco & hodie iam putas debere sentire, & addictos priori sententiæ censes: verùm propterea nos sumus liberi, quia mutare sententiam vsque ad mortem possumus. cur enim non liceat omni tempore relicto falso verum complecti? verum fateor me dixisse & scripsisse, quæ refers, Verùm à vero remotum errasse: at tu qui ais, me doctore, Basiliensibus credere adductus es, errantem olim sectatus sum, cur modò non sequeris recta monentem: præsumpsi de me ipso, dum essem Basileæ, nimis, quamuis deceptus decepi, & credens prodesse, nocui in medio ecclesiæ docens quæ non didici, cæcus erraui, & in tenebris ambulaui. reliqui tandem ecclesiam malignantium, & cum impiis sedere recusaui. reuelauit dominus oculos meos, & consideraui mirabilia de lege sua: cognoui priorem errorem, & quantum à vero procul abiissent Basilienses, planè intellexi: adij Romanam curiam, & Eugenio, cùm fuissem rebellis, submisi ceruicem: à quo misericor-

" diam consecutus, ad vnionem Grçcorum nauaui operam, " & illis Romanæ ecclesiæ reconciliatis, aduersus impios " Turcas legationem accepi. Castigans castigauit me dominus, & morti non tradidit me, sed humiliatum exaltauit. " quia cognito in errore non perseueraui, sed mox in viam " redij; & ex magistro factus discipulus, ex magno paruus, " expurgato veteri fermento, nouum hominem indui, & " veræ matris lacte nutritus ad fontem veri perueni, quem " sancti doctores ostendunt Græci & Latini: quorum vna " vox est, saluari non posse, qui sanctæ Romanæ ecclesiæ " non tenet vnitatem, omnésque illas virtutes mancas esse " ei, qui summo pontifici obedire recusat; quamuis in sacco, " vel cinere iacens, dies & noctes ieiunet, & oret, & in cæteris videatur legem implere: quia melior est obedientia, " quàm victimæ, & omnis anima potestatibus sublimioribus subiecta est, & Romanum præsulem in ecclesiæ vertice constitutũ esse constat, à quo nullam ex ouibus Christi exemptam nouimus. Ego ad ouile redij, qui diu erraueram extra caulas, & pastoris Eugenij vocem audiui: tu si sapias, idem facies. Hæserunt pectori nostro verba viri, quæ " sæpe ad nos repetiit non sine charitate ardenti, & amore " singulari. Interea ex diuersis regionibus homines doctissimi Cæsarem adierunt, quibus cum placidos de eisdem " rebus miscuimus sermones semper ad verum intenti, cuius " est natura hominis auida. Multùm profuit nobis Ioannes " Caruagialis apostolici palatij auditor, natione Hispanus, " qui Iuliano defuncto in titulo Cardinalatus ac legatione " successit: quo cum sæpe de concilio Basiliensium amicè " disputauimus. nemo doctus ad Imperatorem venit, quem " de his rebus in colloquium non adduceremus. Cúmque

" Cæſar ad vnionem eccleſiæ procurandam in Nurimberga
" ſuæ nationis conuentum inſtituiſſet, decreuiſsétque ſum-
" mum pontificem adhortari, vt Conſtantiæ nouum con-
" cilium indiceret, legatúmque mitteret, ac Baſilienſes pari-
" ter induceret, vt eò ſe trãsferrent, ibi vt pax eccleſiæ redde-
" retur; primi Baſilienſes recuſauere. Quod audiens Thomas
" Aſſalbachius ex Germania inſignis theologus, Nunc, in-
" quit, ſcio Baſilienſes ſpiritum ſanctum non habere ducto-
" rem, quando tam æquam Imperatoris legem effugiunt.
" Idem multi alij dixere viri doctiſſimi, & opinione ſancti-
" tatis illuſtres. Quibus conſideratis, caligo tandem ab ocu-
" lis noſtris cecidit, quæ, velut aranearum tela, verum cerne-
" re impediebat. Recognouimus errorem noſtrum, veni-
" mus Romam, Baſilienſium dogma reiecimus, Eugenio
" pontifici maximo caput ſubmiſimus, & reconciliati ec-
" cleſiæ Romanæ doctrinam eius imbuimus, & illud Hie-
" ronymi diximus, Ego nullum præmium niſi Chriſtum ſe-
" quens, beatitudini tuæ, id eſt cathedræ Petri communio-
" ne conſortior. Super illam fundatam eccleſiam ſcio: qui-
" cunque extra hanc domum agnum dominicum comede-
" rit, profanus eſt: ſi quis in arca Noë non fuerit, peribit re-
" gnante diluuio. Eramúſque penè adhuc laici, quando ad
" Eugenij obedientiam rediuimus. Ex Baſilea clericali tan-
" tùm charactere inſigniti receſſimus, nec vnquam ſacros
" imbuimus ordines, ac ſubdiaconatum, & diaconatum re-
" cepimus. In vrbe ad preſbyteratum peruenimus. Hæc eſt
" conuerſatio noſtra per hos gradus, è tenebris in lucem mi-
" grauimus. Ad quam rem non parum luminis nobis attu-
" lit Thomas Sarazanus Theologicæ ſapientiæ celebratus,
" ac acutiſſimus interpres, qui poſtea in ſummo collocatus


» apoſtolatu Nicolai quinti nomen accepit. His auctoribus » vnam eccleſiam catholicam, & apoſtolicā eſſe didicimus » matrem omnium fidelium, extra quam non inuenitur ſa- » lus, ſponſam Chriſti immaculatam, in qua omnes, qui » militant, finem ſibi proponunt vitam æternam. Iccirco » enim in eccleſia militanti laborant homines, & cum dę- » monibus tamquam hoſtibus pugnant, vt pacem tandem » aſſequantur, & cum Ieſu magiſtro ac legifero ſuo in cœ- » leſti Hieruſalem triumphare, ac regnare poſſint. Hic finis » Chriſtiano proponitur, huc omnes eccleſiæ militātis co- » natus, omnes leges, omnes regulæ tendunt: & quoniam » eccleſia quidam exercitus eſt Deo militans, terribilis vt ca- » ſtrorum acies ordinata dicitur; vni procul dubio Impera- » tori ſubeſt, ad cuius nutum cuncta referuntur. Cúmque » Pius ac Max. & Opt. Deus in ſuo ſanguine fundauerit ec- » cleſiam, cámque voluerit ad finem vſque ſæculi perdura- » re, quis non dixerit in ea id regimen inſtitutum eſſe, quod » optimum cenſeretur? at verò inter genera gubernationū » communis philoſophorum ſententia eſt, præſtare mo- » narchiam: & Romani, quorum toto micuit orbe dignitas, » quamuis eiectis regibus duos annuos conſules elegerunt, » & modò tribunos addidere, modò alios magiſtratus in- » uenere, in aduerſis tamen caſibus, bellíſque grauioribus » ad vnum aliquem recurrerunt, virtute & auctoritate prę- » ſtantem, quem Dictatorem appellauerunt, cuius dicto » non liceret aduerſari. & quamquam dictaturam ab initio » temporaneam inſtituerunt, in Iulio tamen & ſucceſſori- » bus eius perpetua effecta eſt. Nec vmquā Romana res ad- » mirabilior, aut celſior fuit, quàm ſub Auguſto Cæſare, » quando iam clauſis portis totus ferè orbis ſub vnius ho-

» minis gubernatione quieuit. Quo tempore natus mundi » Saluator monarchiacũ regimen cæteris prætuliſſe videtur » gubernationibus. Idem probat totus ferè orbis conſuetu- » do, cuius maximam partem gubernant Reges, ſiue Chri- » ſtianos intueamur, ſiue Barbaros. & quamuis ciuitates ali- » quot reperiantur, quæ cùm maximè ſeruiant, liberas ſeſe » vocitant, ſine rege viuentes; non poſſunt tamen effugere, » quin vnum præferãt aliis, eíque tamquam capiti pro tem- » pore obediant. Quid plura? cœleſtis aula nos admonet. » quid illa pulchrius? quid ordinatius? quid maius? aut dura- » bilius? quid melius aut beatius? quamuis in ea & angelo- » rum diuerſi ſint ordines, & ſanctorum ſpirituum innume- » rabiles chori; vnus eſt tamen omnium Rex æternus Deus, » qui condidit vniuerſa, & nihil negligit eorum, quæ con- » didit. Cuius filius vnigenitus Chriſtus Ieſus cùm pro no- » ſtra ſalute veniſſet in hunc mundum, ſeruili accepta for- » ma, eccleſiam, de qua loquimur, in cruce patiens, ſuo ſan- » guine acquiſiuit, & in ea vſque in diem aſcenſionis corpo- » raliter præſedit, & tanquam dux verus & imperator, cun- » cta in finem ſuum direxit: & cùm aſcendiſſet in cœlum, cũ » indubitanter ſui gregis paſtorem reliquit, cui dixerat, Pa- » ſce oues meas, & tibi dabo claues regni cœlorum. Neque » enim dixit, & non fecit, qui ſolus eſt verax. Grex Chriſti » eccleſia eſt, paſtor primus ipſe Chriſtus fuit, & paſtor bo- » nus, qui poſuit animam ſuam pro ouibus ſuis. Secundus » paſtor Petrus extitit ab ipſo domino inſtitutus, atque om- » ni poteſtate donatus, quæ ad benè regendum commiſſas » oues neceſſaria ducitur: alioqui Chriſtus, qui ſapientia pa- » tris eſt, & omnino ſapienter egit, eccleſiæ ſuæ haud ſuffi- » cienter prouidiſſet, quod eſt nefarium aſſerere; & quamuis

» plures per orbem eccleſiæ inſtitutæ fuerint, & plures Epi-
» ſcopi, id eſt plures greges, & ouilia plura, & paſtores plu-
» res; omnes tamen ſub vno paſtore, & in vno grege, at-
» que ouili continebantur, ſicut & hodie continentur: quia
» vnus eſt Chriſti thalamus, vna ſponſa, vnū ouile, & vnus
» paſtor, & omnium Epiſcoporum vnus Epiſcopus Roma-
» nus præſul, beati Petri ſucceſſor, & Ieſu Chriſti vicarius.
» Petrus enim in Antiochia primùm ſedit, deinde Romam
» venit: vnde cùm perſecutionem fugiens, vellet abire, à do-
» mino prohibitus eſt, & hic glorioſo martyrio vitā finiuit,
» ſucceſſore Clemente ſubſtituto. atque ita in hanc vſque
» diem ſeruatum eſt, vt qui Romę ſederit antiſtes ritè inſti-
» tutus, per legitimum electionis tramitem, tamquā Aaron
» vocatus à domino; hunc omnes Chriſtianæ plebes, om-
» nes populi, omnes reges, omnes clerici, omnes Epiſcopi,
» tamquā Ieſu Chriſti vicarium, & beati Petri ſucceſſorem,
» vniuerſalis eccleſiæ caput ac rectorem & Ducem venerati
» ſint. Inter quos plurimi pro Chriſti nomine aſperrimos
» perpeſſi cruciatus, & morte multati, coronam martyrij ſuſ-
» ceperunt. Plurimi confeſſores, egregij vita, moribus, &
» doctrina fulgentes, quamuis ſine ſanguinis effuſione, non
» tamen ſine periculis & labore, ac voluntate parata, pro cō-
» ſeruanda ſacri euangelij auctoritate moriēdi, ad cœleſtem
» gloriam peruenere: vt Gregorij, Damaſi, Leonis, Innocen-
» tij, Bonifacii & Benedicti, & alia nomina, inter quæ ter-
» tius claruit Eugenius ex monaſterio ſancti Anaſtaſij ad
» ſummum ſacerdotium euocatus, ad quem D. Bernardus
» monachorum pater non minùs doctrinæ fulgore, quàm
» vitæ ſanctimonia illuſtris, inter multa huiuſmodi verba
» conſcripſit. Indagemus, inquit, adhuc diligentius quid ſis,

» quam geras videlicet personam pro tempore in ecclesia » Dei. Tu es sacerdos magnus, summus pontifex, tu prin- » ceps Episcoporum, tu hæres Apostolorum, tu primatu » Abel, gubernatu Noe, patriarchatu Abraham, ordine » Melchisedech, dignitate Aaron, auctoritate Moyses, iu- » dicatu Samuel, potestate Petrus, vnctione Christus; tu es » cui claues traditæ, cui oues creditæ sunt. Sunt & alij quidẽ » cœli ianitores, & gregum pastores, sed tu tanto glorio- » sius, quanto & differentius vtrumque præ illis nomen he- » reditasti. Habent illi assignatos sibi greges, singulis singu- » los, tibi vniuersi crediti vni sumus. Nec modò ouium, sed » & pastorum, tu vnus ouium pastor. Hæc Bernardus ad Eu- » genium tertium scribit, cui supremam & omnimodam in » ecclesia potestatem concedit. Quod ille de tertio testatur » Eugenio, hoc nos de quarto, & omnibus aliis Romanis » pontificibus profitemur, quia dignitatis est auctoritas. Li- » quet igitur vnum in ecclesia caput esse, & vnum principẽ: » quia pax populi ex vno rectore depẽdet, & pluralitas prin- » cipum discordiam parit. Christus ecclesiæ suæ in vltimo » testamento pacem reliquit, & pacem multis verbis com- » mendauit, dedit ergo & regimen pacis amicum, id est mo- » narchicum, sub beato Petro, & successoribus eius admini- » strari, cuncta præcipiens clauibus illi commissis, & cura » gregis demandata. Hæc nos de Romani pontificis aucto- » ritate, & potestate sentimus, cui & congregare generalia » concilia, & dissoluere datum est: qui etsi filius est propter » regenerationem, propter dignitatem tamen pater habe- » tur: & sicuti filiationis caussa venerari debet ecclesiam, tã- » quam matrem; ita & prælationis caussa præfertur ei vt pa- » stor gregi, princeps populo, rector familię. Cum his & ge-

» neralis cõcilij auctoritatem, & potestatem complectimur, » quemadmodum æuo nostro Constantiæ, dum ibi fuit synodus vniuersalis, declaratum definitúmque est. Veneramur enim Constantiense conciliũ, & cuncta quæ processerunt, à Romanis pontificibus nostris prædecessoribus approbata, inter quę nullum inuenimus vmquã fuisse ratum, quod stante Romano indubitato prælule absque ipsius auctoritate conuenerit. quia non est corpus ecclesię sine capite, & omnis ex capite defluit in membra potestas. Hæc nostra sentẽtia est, filij: hæc credimus, & profitemur: hæc iam senes, & in apostolatus apice constituti, pro veritate asserimus: si qua vel vobis, vel aliis conscripsimus aliquando, quę huic doctrinæ repugnent; illa, tamquam erronea, & iuuenilis animi parum pensata iudicia, reuocamus, atque omnino respuimus. Datum Romæ apud sanctum Petrum sexto Cal. Maias anno millesimo quadringentesimo sexagesimo tertio.



PAVLVS II.




TE verò in vita Pauli, Platina, nõ sequemur: iratus enim & inimico animo scribere videris, rémque historico indignam facere, quem ira & odio rapi indecorum est. rectéque illud de te à Papiensi scriptum existimamus: Platinæ quidem quis nõ ignoscat, si sit iratus? Post obitum ergo Pij secundi Petrum Barbum apud Venetos

tos natum nobili familia & honorata, maximíque ingenij virum sancti Marci Cardinalem, qui diuus præcipuè Venetis fauere dicitur, ritè legitiméq; electũ à collegis constans fama est. Bernardus Iustinianus oratione ad Paulum habita anno pontificatus secundo, ipsum ait patria Venetum Bembis clarissimis viris prognatum, ab Eugenio auunculo puerum abductum, ineuntéque adolescentia Cardinalem factum Calixti temporibus, cùm ille senio confectus esset rexisse omnia, incredibilíque humanarum diuinarúmque rerum vsu atque peritia clarum fuisse, ad Regis Hungariæ imperium sustinẽdum magnam auri vim nuper ab eo trãsmissã prędicat. Turcas quoque ferocissimos hostes Christianæ religionis capta iam ferè tota Epiro in Illyricum irruere Pontifex accepit. huius rei vicinos principes & procul à se disiunctos certiores facit, rogátque vt pro communi salute solliciti aduersus eos arma sumant. Sed irrita petitio eius fuit. maluere enim singuli alere priuata odia, quàm Christianę pietatis populos seruitute oppressos liberare: nec inquieta per id tempus Italia auxilium Illyricis ferre potuit. Itaque Paulus natura iustus & clemens habitus, vt Platinæ inimici verbo vtar, pontificiam dignitatem sic exercuit, vt neque eum magnopere laudare possis, neque acriter vituperare, nisi pessimam consuetudinem ab Vrbani sexti ac Bonifacij noni temporibus introductam de monasteriis alienæ fidei commendandis, in Paulo quoque & successoribus eius dãnaueris. Nam postridie eius diei quo pontificiam coronam accepit, à Cardinali Portuensi admonitus est, ne id vitium latius serpere in Europa sineret, vt ex Papiensis epistola docui in annalibus Francorum. Imò verò Pauli hæc tum vox fuit, monasteria quingenta

& amplius à pontificatu Calixti in eam diem fuisse commendata. O incestuosas meritóque damnādas beneficiorum perpetuas commendationes! retroactis quidem seculis nullæ dabātur, nisi cùm Episcopi vel Abbates decessissent, donec eis electus successor fuisset: hócque errore Gallia in funestum penè morbum incidit: absentibus enim Episcopis & monasteriorum legitimis verísque patribus oues deglubi necesse est, templa dirui, disciplinā ruere, plurimos ab ecclesia abigi, literarum studia deseri. quæ mala quotidie in Gallia videmus, & aulicos corruptissimum hominum genus pinguedine ecclesiastica inflatos intumescere, quos immortalis Deus etsi serò, grauiter tamen vlciscetur. Iura quidem omnia in scrinio pectoris sibi esse gloriabatur instar Bonifacij octaui, à quo id dictum reperio. Atque domesticos suos & familiares nouerat in officio continere, quam artem magni interdum principes nesciunt, seruorúmque insolentia incidunt in varias sæpe calamitates. At segetem vitiorum quam Bartholomæus in eo fuisse dicit, equidem persuaderi non possum apud hominem & Venetum & senem locum habuisse. Ergo illum meritò laudem ob peremne studium pacis componendę bellíque detestandi. optimi enim pontifices sunt iudicandi, qui nullum inter principes bellum serunt. Obiit verò Paulus apoplexiæ morbo, in senio illo suo elegantem vultus speciem præ se ferens. auctoritas enim dignitásque formæ ei non deerat: vultus quippe illi tranquillus & placidus, frons pura, remissa æquè in lætum modum supercilia, vtar enim Tertulliani descriptione in libello de patientia: vt nō sine causa pontificatum iniens Formosus appellari vellet, nisi Formosi pontificis casus à sumēdo nomine

illum deterruissent. Nec multo ante Cal. August. quo die Paulus obiit, anno millesimo quadringentesimo septuagesimo primo vita excesserat, Dionysius Carthusianus tot excellentium librorum auctor, quorum vltimus fuit meditationum volumen, quod se ait scripsisse sexagesimonono, id est, ætatis suæ septuagesimo septimo. Fertur Eugenius cùm ex libris eius nescio quem sibi vidisset oblatum, dixisse: LÆTETVR MATER ECCLESIA, QVÆ TALEM HABET FILIVM. Illum verò in Hasbania & Rikelo Leodiensis diœceseos ignobili vico natum posteri sciant.



SIXTVS IIII.



QVIS verior Petri successor quàm Sixtus & piscator ipse, & piscatoris filius? hic natione Ligur Sauonæque natus, obscurissimos parentes habuit. at præaltum ingenium accepit à natura, grauissimarúmque artium capax, quibus se à teneris annis in patria dedidit: adolescentior deinde factus, patria incunabula reliquit, iítque Patauium fama ciuitatis illectus, in qua moratus per viginti quinque annos nobilis alumnus legendo, orando, scribendóque vniuersum orbem splendidissimis sapientiæ radiis illustrauit, vt coram eo Bernardus Iustinianus patricius Venetus Reipub. suæ nomine testatus est. Itáque illum maturè Franciscani ad omnes suos

magiſtratus euexerunt, tam proſpero poſtea rerũ ſucceſſu támq; fœlici, vt poſtquã in ordine D. Franciſci primũ locũ obtinuit, à Paulo ſecũdo Beſſarionis Niceni precibus (quẽ excellentem moribus & ſcientia, opera enim extant, fuiſſe conſtat) in collegium Cardinalium euectus fuerit. Paulo deinde mortuo pontificium onus rara omnino fœlicitate ei impoſitum eſt, Sixtíque nomen, quod nemo deceſſorum habuit, niſi præſtans atque excellẽs ingenio. Anno autem ſupra milleſimum quadringenteſimo octuageſimo ſecundo in gratiam ordinis ſui & propter egregiam viri ſanctitatem eximiáſque virtutes Bonauenturam in diuos retulit. Is olim apud Balneum regiũ Tuſciæ oppidum natus Ioanne Fidanza & Ritella coniugibus D. Franciſci ſectam ſpontè ſubiit, eóque mortuo ſeptimus in generali illius ordinis miniſterio per omnia indignus ſucceſſit, vtar enim ipſius verbis in libello qui inſcribitur Itinerariũ mẽtis ad deum. in quo etiam ait cõtigiſſe ſibi, vt nutu diuino mõtem Aluernæ, qui ad Apenninum pertinet, anno poſt Franciſci mortem 32. contemplandi gratia petierit. Huius verò Bonauenturæ relatio facta eſt à Sixto decimoquarto Cal. Maias anno milleſimo quadringẽteſimo octuageſimo ſecundo, theatro ligneo ingenti magnæque multitudinis capaci, in tẽplo apoſtoli quod eſt in Vaticano fieri iuſſo, propoſitáque Bonauenturæ ſerica imagine, & ſenatu Cardinalium publicè habito, actáque prius cauſa ab Octauio iuriſconſulto aduocatóque conſiſtorij, qui anteactam illius vitam moréſque expoſuit. Simul Gregorij decimi teſtimoniũ de Bouauẽtura retulit, qui publicè teſtatus eſt eccleſiam Dei illius morte magnã feciſſe iacturã: & Innocẽtius quintus tunc Cardinalis Oſtienſis concio-

nem in eius funere habuit, cuius prima verba fuere: Doleo super te mi frater Ionatha. Bonauentura autem decessit anno ætatis tertio & quinquagesimo, à partu virginis millesimo ducētesimo septuagesimo quarto, tertio idus Iulias, id est multo post vitā sācti illius viri. Et Lugduni quidē lipsana eius seruabantur, sed primo ciuili bello quod in Gallia acerrimum fuit, Caluiniani illa in Rhodanum flumen proiecere. Pontem verò in Tiberi refici curauit, vrbi sanè vtilissimum, qui pons Sixti nunc quoque dicitur, cùm ab Antonino Pio conditore vt fama est antea nomen haberet, & inutilis vrbi tunc esset. Multas quoque constitutiones edidit, quæ ad vrbis ipsius ornamentum decorémque pertinebāt. Cauit etiā edicto ne porphyretici lapides, néve marmorei ad profanos vsus è templis tollerentur. Quia verò id publicè intererat, vt Franciscani Dominicaníque pacificè viuerent, decretum ab eo est de conceptione Virginis posse quamlibet aduersantium opinionum sine peccato hæresisque vitio credi. Idque idonei nobilísque Pici Mirandulani in disputatione de fide & ordine credendi testimonio traditum est. Atenim rex Tarraconensiū pontificē rogauit vt Cæsar Augustinus ecclesiæ sororis aut fratris filium tunc impuberem præficeret: id Sixtus fieri non posse rescripsit, inuicto animo iniquas regum petitiones & iuri cōtrarias reiiciēs. Denique ad Tarraconēsem literas scripsit, quibus rogat vt se excusatum habeat: differri enim in aliud tempus postulationē eius, nō mutari: exēplúmq; harum literarum apud Papiensem Episcopum Christianus lector reperiet. Danorum verò regem religionis causa in vrbem venientem summis honoribus accepit, turba omni aulicorum missa obuiam, patres ad portam congres-


ſi, medium illum per vrbem ad baſilicam Petri, inde ad Sixtum perduxere, iuridicũdo tunc publicè pręſidẽtem, procubuit in genua ad illius pedes, nec ante ſe erigi paſſus eſt quàm ſalutationi & ſermonibus ſuis eſſet reſponſum. Redeunti in cubiculum Sixto, exeuntíque ad diuina ſemper adfuit, lauãti manus peluim prębuit, denique ſumma in ea pietas ſummáque religio enituit. Hæc de Danorũ rege à nobis expoſita, Iacobus Papienſis Epiſcopus ſolus vt mihi videtur in epiſtolis memoriæ mãdauit. Pontifex quoque Ludouici vndecimi Frãcorum regis morbo cognito quaſdam D. Petri reliquias ad eum miſit, ſperans illum ſanitati reſtitutum iri, quod Cominius in vita Ludouici memorat. Catholicũ nomẽ apoſtolicę ſedis auctoritate Ferdinando & Iſabellæ ad indicandam eorum fidei pietatem attribuit, inquiſitioníſque officium in Hiſpania inſtituit, ſub quo nõ patitur illos fluctus & turbines, quibus multæ prouinciæ magna & miſerrima fortunarum & fidei naufragia pertulerunt, Sixtus verò viliſſimo quidem genere ortus ſed magnitudine animi non impar maximis Europæ regibus, exemplo docuit pontifices Romanos poſſe agnatis cognatíſve ſuis multum prodeſſe ſi velint, nolle autem præſertim non indignis benefacere põtificem, indecorum & à pietate Chriſtiana alienum eſt. Rurſum improbos colere erigeréque, & faces illis ad vexandũ Rempubl. præbere, quid eſt aliud quàm cum infamia regnare? Petrum & Hieronymum propinquos habebat, illum cùm monachus eſſet Cardinalem ſancti Sixti eſſe voluit, vt veſtigia promouentis aliquando ſequeretur, huic dedit Forumliuij, Antonio Ordelafo ademptã vrbem, híſque artibus effecit vt Dux Inſubrum Catharinam naturalem filiã

&Imolam municipium ei in dotem daret. Cæterũ infœlicem habuit exitũ vitę, occisus quippe est domi suæ & in oculis Catharinæ vxoris, quæ vim illatã marito postmodũ egregiè vlta est. Bellũ quoq; intulit Florẽtinorũ Reipubl. sed id prętereo, quia à Nicolao copiosè expositũ est illius Reipubl. scriba ac notario. His rebus gestis moritur Sixtus anno vno post natũ Martinũ Lutherũ pestem Germanię; is enim quarto idus Decembres prodiit in lucem, vt Melancthon meminit epistola ad Georgiũ Bucholzerũ. Sixtus verò obiit anno Christi millesimo quadringentesimo octuagesimo quarto, insignem ex Vaticana bibliotheca librísque vndique conquisitis, aut si haberi non poterant, exemplaribus eorum vndique petitis missísque qui describerent, vt eam exornaret, laudem cõsequutus. Quo exemplo nixi cæteri Romani pontifices qui consequutis temporibus floruere, bibliothecam illam Vaticanã semper coluerunt. Itáque etiam ante eum præclari pontifices Pius secundus, Nicolaus quintus, Martinus Columna aliíque: & Benedicto tertio curæ fuisse Bibliothecam ex epistola Lupi Senonum ostendimus: nam superiores vrbis Episcopi doctissimi ferè viri quin libros amauerint, ídque studium magni fecerint, nulli dubium esse potest. Quid est igitur quod iã de Sixto dicere possimus, nisi quod Fulgosus statim pòst illius obitum testatus est eum Nicolao quinto persimilem videri, seu natales seu pontificiam dignitatem æstimare liceat? sic enim auctor ille in Liguria natus in libro tertio. Ætate nostra, inquit, Sarzanensis ciuis Thomas, qui postea sub Nicolai quinti nomine pontifex maximus fuit, cuius mater oua pullósque vendebat: & Frãciscus Ruuerus minorum fratrum ordinem profes-

ſus, Sauonenſis ciuis, qui & ipſe pontificatum ſub Sixti quarti nuncupatione adeptus eſt. Patre ortus qui ſemper nauticam exercuit, multis in ſacro ſenatu prætеritis, qui in magnis opibus principum ſanguine nati erant, ambo ſola virtute doctrináque adiuti, ad apoſtolatus apicem per temporis interualla aſcenderunt, magnáque laude ac fama claues tenuerunt, vrbe Roma ita ædificiis exornata, vt eorum temporibus depoſito ſenio ad iuuentæ honorem reſtitui videretur. Neque vlla in parte vel Nicolai maternorum ouorum, vel Sixti patris remorum non modò ſuppudere, ſed longè magis tam obſcuræ originis vilitate, cui ingens coniuncta fuit virtus, quàm multorum aliorum pontificum magnis natalibus, ſine virtute videatur gloriari debere. Huic Fulgoſi teſtimonio adiicimus locum hunc ex præfatione Theodori Gazæ Theſſalonicenſis in libros Ariſtotelis de animalibus ad Sixtum quartum pontificem maximum. Principis inſtitutio atque officium id eſſe reor, vt pacem ſumma opera petat, ſeruet & colat. Quod cùm Romanos Pontifices ferè omnes feciſſe quoad potuerint, intelligam, laudo illorum animũ, quòd neque ab inſtituto naturæ bonæ receſſerint, & pręceptum auctoris diuini ſeruarint, quòd ſæpiſſimè pacem conciliarint, & commendarint, ſed vſum nonnullorum auſim reprehendere. Pace enim, qua vti debuerant ad literarum & artium bonarum ſtudia & virtutum officia, illi quidem ad voluptates parum honeſtas abuſi ſunt. Quod cùm omni hominum ordini ſit turpe, tum pontificis perſonæ turpiſſimum eſt. Fuerunt tamen & qui rectè pace vterentur, & pontificatum magna cum laude gererẽt, quibus te ſimilem video planè ſucceſſiſſe: pręſtas enim doctri-

na &

» na & moribus. Quo fit vt nomen tuū immortalitati man-
» dandum censeas, studio potius literarum, quæ numquam
» pereunt, quàm vel ædificiorum, quæ breui tempore de-
» lentur, vel thesauri gemmarum, & auri cuius hæredes ini-
» mici plerumque succedunt: vtque voluptates quæ animi
» lumen extinguant respuas, vtrumque literarum volupta-
» tem quæ animum illustrare potest expetas, atque in ea re-
» quiescas. Itáque omnes pontificem talem habuisse læta-
» mur, & quisquis siue ciuis, siue peregrinus, studet pro vi-
» ribus rem afferre, qua & vrtutum tuarum laudem, & ani-
» mi tui voluptatem augeat. Quem enim ob eius merita nō
» solùm veneramur, & obseruamus, sed etiā perinde ac pa-
» trem amamus, ei perlibēter opera studiorum nostrorum
» dedicanda putamus.



INNOCENTIVS VIII.



IGVRIA iterum Sixto successorem dedit Ioannem Babtistam Cybum Aaronis nobilissimi viri filium. Hector Fliscus nomine Genuēsis Reipub. Aaronem illum equitem auratum sacri imperialis palatij Comitem, & Romanæ vrbis senatorem prędicat fuisse, cuius angelicum aspectum, regiámque effigiem velut à proauis hęreditariā ad Innocentium quoque transmissam dicit ea oratione quam initio pontificatus ad eum habuit. Innocentium verò constat à decessore Cardinalem de-

» ſignatũ,cui Nicolaus aliiq; illius tẽporis hiſtorici ſiue ami-
» ci ſiue inimici,omnes tamẽ hoc elogiũ tribuũt, natura fa-
» cilis,humani,& ingenio trãquilli,ſummámque eius ac ad-
» mirabilem erga omnes clementiã plurimùm laudãt. Ante
» eius electionem habita eſt die Iouis 26. menſis Auguſti
» oratio ad patres Comitia ingreſſuros,quam Guilelmus Pe-
» rerius apoſtolicus auditor ſic orſus eſt. Quoniam miſeran-
» dam eccleſiæ Romanæ calamitatem ob infinita Chriſtia-
» næ religionis pericula Reuerendiſſimi patres cunctorum
» fidelium corda cognoſcunt, eo magis vobis annitendum
» ac ſummopere laborandum eſt, vt puris mentibus ac cer-
» to iudicio dignus eligatur Antiſtes, vti ſine dubio factum
» eſt electo Inocentio. Is enim ſtatim imperauit vt ab armis
» diſcederetur, pacémq; vel inuitis dedit. dicebat enim bel-
» la ſibi diſplicere,& numquam ad arma veniendũ principi-
» bus niſi coactis. Itáque pontificatu inito legatos regum ac
» rerum publ. rogabat vt ad concordiam ſolam & pacem
» amplectendam eos à quibus miſſi eſſent ſuauiſſimo litera-
» rum genere impellerent. Sed fato quodã Liguriæ põtificis
» Romani in ea prouincia nati bellum tamẽ omnes geſſere.
» Ferdinandus rex Apuliæ annuum tributũ apoſtolicæ ſedi
» prçſtare more maiorum ſuorum amplius nolebat: arma in
» eum capiuntur Innocentij iuſſu, cogitúrque Neapolitani
» regni cauſa debita iura, quæquè deceſſores reges preſtitiſ-
» ſent agnoſcere, paxque ei à pacifico pontifice petenti data
» eſt. Vrſinos poſtea & Columnenſes,inter quos odia vige-
» bant, eò adduxit vt inimicitias Romanæ ſedi ac reipubl.
» vltrò condemnarent. Vnicus ei & is quidem naturalis filius
» erat,cui Franciſco nomẽ: huic Laurẽtij Medices,cuius Flo-
» rentini filiam nuptam dari procurauit, ac illi conſentien-

te Cardinalium collegio pro dignitate nuptæ opes contulit, quominus illæ nuptiæ fierẽt Laurẽtius non obstitit, etsi amplissimus ac ditissimus ciuium. sperabat enim Innocentium eò se adducturum vt Ioannem, etsi adhuc impuberem filium ad purpuream vestem vocaret, quod nullo exemplo pontifex fecit. atenim ita comparatum est vt numquam nimis citò ad honores vocentur ij quos Deus summo sacerdotio destinauit. id quidem nullo exemplo factum à pontifice Laurentius Medices Ioannis pater tradit, simul illum monet ne illi sit molestus: natura enim ea esse Innocentium, vt importunis hominibus & molestis nunquam ferè assẽtiatur. Per id tẽpus Zizimus frater immanissimi regis Turcarum à Rhodiis captus Romam adducitur. quis eius ingressus in vrbẽ fuerit, quid facere coram põtifice recusauit, Matthęus Bossus Canonicus Veronensis epistola tricesima diligentiùs exponit quàm illius ætatis grauissimi historiarum scriptores, in hunc quidem modum. Sed ne modò etiam te lateat quæ in vrbe geruntur: hoc vel vnum videtur mihi cognitu dignum fratris Imperatoris magni Turcorum accessus, qui solemni pompa acceptus est tota vrbe spectante. Incessit enim per speciosiores vias insigni insidens equo, mediúsque inter Frãceschetum Papæ filium, & grãdis magistri Rhodiorum equitum fratrem. Denique in sacrum palatiũ inuectus est, ibíque honorificè habitus. Non multos post dies publicum in consistorium deductus ad pontificis maximi conspectum conspicuo in throno sedentis: neque flecti ante illum neque deosculari ex more vestigium: vt qui præsunt sacris ritibus & ceremoniis illum edocebãt, vllo passus est modo: vt dolore & indignatione permoti Christiani, qui

» spectaculo aderant: rabidam omnes bilem despumarent,
» & in alterutros fremerent, quòd non vi incuruaretur à sti-
» patoribus armatis aut barba raptaretur ad sacros pōtificis
» pedes, ne impunè Christianam dignitatē & diuinam rem
» nostram contemneret is qui sub patre Maumeto tantùm
» beati sanguinis nostri profuderit sæuus & impius, quan-
» tus quasi lacū efficeret, aut quātum vix riuus egereret. De
» illius aduētus causa, multa variáque fabulantur ociosi. Sed
» omnium vulgatissima hæc opinio est, vt tradatur Sultano
» armandus in fratrem regnantem, qui legatos Romam nu-
» perrimè misit illum deposcentes: Pro quo Sultanum aiūt
» magnam vim auri sanctámque Hierosolimam Papæ pol-
» liceri. Et per fratrem si Imperatorem Turcorum vicerit,
» Imperio regnísque illius deuicti potitus fuerit, se omnia
» Christianis erepta pristinis bellis restituturū. Aspectus bar-
» bari dirus & truculentus, corpus compressum & validum,
» ceruix lata, pectus vastum & prominens. Statura vltrà
» quàm mediocris, habens & oculorum alterum luscum ac
» toruum, nasum aquilinum, caput inquietum semper,
» omnia collustrans & tanquam minax inspectans. Ætas
» illi (vt mihi videtur) anno quadragesimo proxima, pa-
» trem, cuius cælatam ære sæpius imaginem vidi, ad vn-
» guem referens: & vt indole, sic & moribus pessimis insi-
» gni atrocitate atque sæuitia æquans. Hæc quidem Bossus
de Zizimo tradit & Innocentio, eúmque epistola tricesi-
ma prima appellat omnium qui fuere pontificum mitissi-
mum & suauissimū. Graue etiā de illius eximiis virtutibus
testimonium est in epistola Angeli Politiani ad Ioannem
» Petrum Vrbinatē Episcopum. Illud nō omiserim, inquit,
» videri mihi Innocentium pontificem maximum: seu via

» quadam regia ad immortalem gloriam contẽdere: qui vi-
» ros augeat honoribus & eruditos & graues, nec delitescere
» sub modio (quod dicitur) præclarum virtutis lumen pa-
» tiatur. Nam vt omittam cæteros, in hísque Hermolaum
» Barbarum meum, quem tanto studio pontifex ornãdum
» sibi prius, mox autem tuendum quoque, defendendúm-
» que suscipit, etiam nuper Hieronymum ipsum Balbanum
» audio præstantem doctrina & moribus hominem tecum
» pariter quidem præsulem esse factum: quo nobis excellẽ-
» tis huius lætitiæ ac voluptatis ingens, hinc etiam quasi cu-
» mulus accederet. Cui tu quidem velim (si pateris) meo
» quoque nomine gratuleris. Decessit verò hic tam laudatus pontifex anno Christi supra millesimum nonagesimo secundo. in quo Actius Sincerus poëta quidem nomine, sed versu interdum minimè sincerus, hoc breuissimum epigramma scribit.

» *Innocuo priscos æquum est debere Quirites,*
» *Progenie exhaustam restituit patriam.*

In eius funere Leonellus Concordiensis Episcopus orationem habuit breuem illam, sed eiusmodi tamẽ vt om-
» nis eius anteacta vita proponi ob oculos videatur. Rursus
» ad hoc stadium dicendi, à quo iamdudum desueueram,
» arescente, si qua vnquam in me fuit, orationis vena, re-
» pentè quodammodo reuocor, patres amplissimi. Nec tam
» pium à me contendentibus officium audeo refragari: ne
» ingrati animi vitio erga principem meum, qui me pluri-
» mùm dilexit, nec minus, vt palam est, ornauit, etiam
» postquam inter homines esse desiit, accuser. Sed vnde præ
» dolore initium dicendi faciam, non satis constituo: flere
» tamen magis libet, quàm vel laudationem, vel consolatio-

„ nem attingere. Quis erit quæso tam ferreus? quis tam ſa-
„ xeus, patres ampliſſimi, qui non potius vbertim effunda-
„ tur in lachrimas? Summus pontifex Innocentius octauus
„ diſceſſit à nobis: dereliquit nos pontifex manſuetiſſimus,
„ prudentiſſimus, integerrimus. Deſtituta eſt eccleſia ma-
„ gno in rerum turbine humano rectore. Quis dabit capiti
„ meo aquam? aut oculis meis fontem lachrymarum: &
„ communem amiſſi tanti pontificis vnà nobiſcum calami-
„ tatem plorabo? ſic filij Iſraël defunctos Aaronem, & Mo-
„ ſen xxx. diebus defleuere: quamuis vtrique ſucceſſor iam
„ deſignatus eſſet à domino: huic ad regendum populum
„ Ioſue: illi ad obeundum pontificatum Eleazarus. At quā-
„ to magis lugendum eſt nobis? non tam ob dormientis
„ pontificis, qui tranquillam, trāſlatus in requiem nos an-
„ cipiti in certamine dereliquit, quàm miſeram vicem no-
„ ſtram: quos vndique tot mala circunſtant, imminet quo-
„ tidie Chriſtianis ceruicibus, immaniſſima Turcarum fero-
„ citas ſæuit adhuc, cùm poteſt in catholicos fratres furi-
„ bunda & armata Huſſitarum perfidia, pullulāt vbîque ad-
„ uerſus othodoxam fidem nefandiſſimi errores. Creſcit in
„ dies magis peruicax in ſacroſanctam Romanam eccleſiam
„ vniuerſalis eccleſiæ matricem, radicémque contumacia.
„ Viget ingens tam in clero quàm in populo luxus, quaſſa-
„ tum eſt inteſtinis deſſidiis beati Petri apoſtolorum prin-
„ cipis patrimonium: eminētiores Chriſtiani nominis prin-
„ cipes ardentiſſimis odiis in mutuum, niſi celeriter occur-
„ ratur, armantur excidium. Turbatus eſt ager Romanus,
„ vrbs ipſa quotidie cædibus & rapinis quorundam temeri-
„ tate cupiditatéq; fœdatur: tāta deniq; (vt Hieremiæ verbis
„ vtar) ſuper cōtritione vocata eſt cōtritio: vt ad ipſā matrē

» noſtrã eccleſiã cõuerſi cũ eodẽ Hieremia meritò lamẽtari
» valeamus. Filia Siõ magna eſt velut mare cõtritio tua, quis
» medebitur tui? ſumus enim adhuc incerti, quẽ elegerit Do-
» minus Innocentij locum & Apoſtolatũ accipere: qui tot
» tantáque ingruentia pericula non ſecus repellere, quàm
» nubes ſol oriens diſſipare, valeat. Sed videamus qualem
» Pontificem amiſerimus: vt vel ſuccincta eximiarum eius
» laudum enumeratione acerbiſſimo leuemur dolore: vel
» vota noſtra non inferiorem habendi ſucceſſorẽ, ſeruatori
» noſtro pandamus, patria ortus Genua Ligurũ metropoli,
» terra maríque potentiſſima: cuius amplitudinem ad clari-
» tatem conſequendam non paruam conferre Themiſto-
» cles apud Platonem obiicienti ſibi Athenas Seriphio non
» diffitetur: familia Ciborum vetuſta nobilitate, apud Nea-
» politanos quoque ſub Tomacellorum cognomine inſi-
» gni: ex qua & Romanus pontifex Bonifacius eius nomi-
» nis nonus, & Cardinales & Epiſcopi complures tanquam
» ex equo Troiano prodiere, parentibus honeſtiſſimis. ex
» bonis enim (vt idem Plato ait) boni naſcuntur: & bona ar-
» bor (vt Seruator noſter affirmat) bonos fructus producit.
» Aaron ſiquidẽ pater equeſtris ordinis vir probatiſſimus,
» & in regenda Neapoli, & in prætura vrbana, quem nunc
» ſenatum appellant, adminiſtranda mirificè claruit. libera-
» libus, cùm primùm per ætatem licuit, à parẽtibus traditus
» diſciplinis, ad eruditionem magis quàm oſtentationem
» profecit. initiatus eccleſiaſticis ſacris Romam veniens in
» clientelam Philippi Cardinalis Bononienſis Nicolai quin-
» ti primæ ſedis antiſtitis germani ſe contulit: qui eius vir-
» tuti tantum tribuit, vt ipſius fidei ac diligẽtiæ proprij cor-
» poris ac rerum ſuarum curam crediderit, & per omnes


cum gradus ad Episcopatum vsque prouexerit. quo in statu tantam omnium suauissimis moribus beneuolentiam sibi conciliauit, vt assumptus ad supremam cathedram Xistus eius nominis quartus, quem prius ob eius ingenij amœnitatem, dexteritatem, atque modestiam maiorem in modum dilexerat, in domesticum & Datarium, quod est, vt nostis, non paruæ existimationis officium, asciuit. in quo ita se industrium, fidum, vigilantem, & integrum gessit, vt crescēte in dies magis magísque ipsius apud Sixtum gratia & auctoritate non solùm ex Sauonensi ecclesia ad Melfitensem translatus, verùm etiam secundis Cardinalium creandorum comitiis in amplissimum ordinem vestrum summo omnium consensu, nec minori gratulatione fuerit cooptatus. Hic mihi in tanta non vulgarium laudum occurrentium copia immorandum foret, præstātissimi patres, vt eas si non exornarem, saltem aliqua ex parte recenserem, sed tam arcta temporis angustia premor, vt vnica probatáque sententia illas ante oculos vestros ponere statuerim. neque enim, vt ait ille, quisquam aliquando ad summam rerum peruenit, qui non prima ætate gradibus virtutis ascenderit. Expectatis fortè, patres amplissimi, vt qualem se Cardinalem habuerit, edisseram: sed id ego superuacaneum puto: ipsi audistis, ipsi vidistis quàm crebrò, quod est optimi Senatoris, in Senatum vētitabat, quàm graues, quàm liberas, quam opportunas de rebus magnis, & arduis sententias dicebat. aderat assiduus publicis solemnitatibus rei diuinæ: & præter suam, quam promptissimè obibat, aliorum quoque desidentium, vicem hilari & deuota mente supplebat. Alebat prætereà vir ditissimæ paupertatis multam honestámque familiam tāta mo-

» ta moderatione, vt in recta priuatę domus gubernatione,
» iuxta ſcitam diui Apoſtoli traductionem, optimum ſe v-
» niuerſalis eccleſiæ rectorem futurum demonſtrarit. Præ-
» buit tamen prius maius de ſe ſpecimen probitatis: deman-
» datam ſiquidem turbulentiſſima peſtilentiæ tempeſtate
» legationem Romanam, Sixto Pontif. Max. cum tota cu-
» ria vrbem Romam deſerente, ſanctè, integrè, ac etiam pa-
» catiſſimè adminiſtrauit. Senenſem quoque difficillimis ſa-
» nè temporibus tanta prudentia & magnitudine animi geſ-
» ſit, vt ex ea ſplendidiſſimam laudem reportauit. Deſigna-
» tus eſt deinde in Germaniam legatus: cùm in cunctis ad
» eccleſię dignitatem, proſperitatémque ſpectātibus ſe ob-
» ſequentiſſimum omni labore poſtpoſito ſummo pontifi-
» ci exhiberet: ſed viſum eſt poſtea Sixto per inferiorem mi-
» nore incommodo rem peragi poſſe. Hæc ſummatim per
» capita percurro, patres ampliſſimi, nec decoro ſermone
» ſingula narro: tum quia vobis notiſſima ſunt, tum quia
» nolo vos diutius detinere: vt commodius his, quæ in tan-
» ta eccleſiæ neceſſitate in horas accidunt, proſpicere valea-
» tis. Quare ad Pontificatum feſtinat oratio: quo ſe tot tan-
» tíſque meritis dignum reddidiſſe iudicaſtis: ad quem vos
» ipſum propenſo ſtudio diuinæ prouidentiæ miniſtri vna-
» nimiter euexiſtis: cuius ſi in Chriſti vicariatu rectè admi-
» niſtrando immēſa præconia exactè pergam referare, haud
» equidem obſeruare propoſitæ breuitatis inſtitutum, & e-
» ius vitæ hiſtoriam potius texere, quàm epitaphium dicere
» viderer. cuperem nihilominus vehemētiſſimè ſingularem
» & inauditam, atque ipſi innatam humilitatem, quæ non
» minùs in eo iam pontifice, quàm in omni anteacta vita
» excellenter emicuit, idoneis exprimere verbis: cùm nihil

(vt magnus Gregorius est auctor) in pontificali ceruice splẽdidius fulgeat, quàm humilitas. vidimus ipsum, quod sanè rarissimum est, eadem se in pontificatu adeuntes humanitate, affabilitate, ac benignitate suscipere, qua & Episcopus, & Cardinalis antea consueuerat: vt idem semper, seruato tamen decoro, fuisse videretur: nec immutati in eo mores, sed aucta tantùm dignitas cognosceretur. quanta verò sermonis dulcedine & elegantia, quanta perspicacia atque memoria, quàm aptis rationibus & postulata colligeret, & repetentibus responderet, nemo vmquam sine admiratione potuit audire. Obseruabat illud quod est principis proprium, vt siue cõcedendo, siue negando neminem à se tristem dimitteret. Quis autem tanta facundia præditus, qui magnificas ac salutares ipsius de Republ. cogitationes apposito valeat explicare sermone? omnem curam, mentémque, ac diligentiam ad subditorum commoda, ad tuendam dignitatem ecclesiæ, & cõtra ipsam rebelliones delendas, ac religionem, habito iam maximis laboribus Zizimo Sultano propagandam conuerterat. quibus in rebus cùm mea, quantulacumque sit opera, sicut nostis, vti voluerit: multa mihi de his sæpenumero illum sapientissimè loquentem audiuisse nequeo reticere. Cõstantissimus iustitiæ cultor, pacis studiosissimus amator, & exuberantis annonæ vigilantissimus instructor. Sedatis honorificè sibi ingruentibus bellis, peculiares ecclesiæ populos, & Romanos in primis quàm fœlicissimos exoptauit. exultauit summopere, cùm ad maiores dignitates viros extulit eruditos & probos: erat enim ipsi vera insita bonitas, quæ illum ad quascumque optimas actiones propensissimum super omnia reddebat. Fuit propterea in pauperes miseri-

» cors, afflictorum non minùs consolator, quàm principum
» susceptor liberalis, & Dei ac sanctorum eius pientissimus
» venerator. Pontificale palatium miro sumptuosissimóque
» opere exornauit amplificauítque, & multiplici preciosis-
» simáque supellectile tam diuinis quàm domesticis vsi-
» bus apta largissimè decorauit. Visitatus à Domino pluri-
» bus longísque morbis, quos patientissimè tolerauit, mul-
» ta, sancta & vtilia cogitata perficere nequiuit. Adueniente
» demum diuinæ vocationis hora, sumptis ex ritu Christia-
» no deuotissimo animo salutaribus sacramentis intrepidè
» adeò spiritum reddit creatori, vt quasi iam compos æter-
» næ gloriæ videretur (sicut erat) cęlestem vitam cum morte
» commutare. Ecce qualem quantúmque Pontificem ami-
» simus, patres amplissimi: ideò luctus magnus est in eccle-
» sia, quam vos facilè consolari poteritis, si proprio affectu,
» si ambitu, si falsa persuasione (vt speramus) eliminatis, di-
» uinæ cooperatores voluntatis, nil nisi de sanctimonia, do-
» ctrina, & rerum peritia fulgente pontifice deligendo co-
» gitaueritis. sunt enim totius ecclesiæ in vos oculi coniecti,
» patres optimi. date illi pontificem, qui solo boni nominis
» odore cunctos post se fideles populos ad salutem trahere
» queat. Sicut enim (vt est in Sapientum libris) cupiditati-
» bus principum & vitiis solet infici tota ciuitas: sic emen-
» dari & corripi continentiam, qualiscunque mutatio mo-
» rum in principibus extiterit, eadem & in populo sequetur.
» planéque verissimum illud, principes plus exemplo quàm
» peccato nocere. Optimus itáque constituendus est prin-
» ceps: quem facilè cognoscetis, si Platonem audiueritis,
» qui eum deligendum putat, qui singulis semper ætatibus
» probatus fuerit, & immaculatum se præstiterit, ac perse-

» uerantcr id agere ſtuduerit, quod Reipub. conducere ar-
» bitrarecur: aliter quaſi ex diuino oraculo cenſet rempubl.
» perituram. Eadem fermè ſententia vos inſtruit beatiſſi-
» mus Leo Pontifex, vt illum eligatis, cuius omnis ætas à
» puerilibus exordiis vſque ad perfectiores annos per diſci-
» plinæ ſtipendia eccleſiaſtica cucurrerit, cuíque teſtimo-
» nium præbeat prior vita: quia non poteſt de eius proue-
» ctione dubitari, cui pro laboribus multis, pro moribus ca-
» ſtis, pro actionibus ſtrenuis, celſioris loci præmium debe-
» tur. Exhorreatis terribilem illam domini vocem, patres
» ampliſſimi, ne vmquam de vobis exclamet: Fecerunt ſibi
» regem, & non per me, principem & nō per cōſiliū meum:
» conſilium autem domini eſt (ſi Hieronymo credimus)
» vt, qui præſtantior eſt ex omnibus, qui doctior, qui ſan-
» ctior, qui in omni virtute eminentior, ille purè ſinceréque
» ſine ambitu ad ſummum ſacerdotium eligatur: recorda-
» mini (vt reliqua prætermittam) quod Abimelech, qui
» Iſraëlitici populi principatum ambiuit, & modico tem-
» pore turbulentiſſimè imperauit, & turpi tandem cæde vi-
» tam finiuit. Infigite cordibus veſtris, vt breui clauſula vni-
» uerſa comprehendam, & exequimini ſacros Canones vo-
» bis notiſſimos de Romani Pontificis & aliorum præſulum
» electione conſcriptos, & iterum ſub expectato ſucceſſore
» nouo proculdubio florebit eccleſia, præſtante domino
» noſtro Ieſu Chriſto, qui eſt benedictus in ſæcula ſæcu-
» lorum.



ALEXANDER VI.



ISPANIA rurſus prębet Italiæ quem ad ampliſſimũ ſacerdotij gradum promoueat,& qui locum Innocentij recẽs mortui conſequatur. Is fuit Rodericus è Lenzolia familia in eadem Hiſpania nobili & clara ortus,quem Calixtus vt ſororis ſuæ filium auunculus Cardinalem crearat, doctores ei ac vitæ magiſtros adhibens,quorum opera cùm Bononiæ primùm,vbi cùm ciuili ac pontificio iuri operam certè egegiam dediſſet, mox Romæ iam ab annis ſeptem & triginta ad Cardinalatus apicem euectus in maximum, vt videbatur, virum euaſiſſet, Innocentio octauo pontifici mortuo,tertio Idus Auguſti ſuffectus eſt,anno ſupra mille quadringenteſimo nonageſimo ſecundo: ac tunc maius deſiderium Sixti in populo Romano fuit. Id quidem Actius Syncerus non potuit ſilere, ait enim.

" *Viſurum ſe iterum Sixtum cùm Roma putaret,*
" *Pro Sixto Sextum vidit & ingemuit.*

Sextum enim vocat Alexandrum à numero pontificum Romanorum eiuſdem nominis, qui ad apoſtolicam ſedem euecti maximis Italiam beneficiis cæteráſque gentes affecere. Paſquillus de eo ſtatim dixit.

" *Sextus Tarquinius,ſextus Nero,ſextus & iſte,*
" *Semper & à ſextis diruta Roma fuit.*

Igitur hic Alexander pontificatum iniens, legatos prin-

cipum ſalutandi ſui cauſa Romam in ſſos comiter excepit, & inter cæteros, duo præclara illius ætatis lumina Angelum Politianum, qui Senenſium nomine ad eum orationem habuit, & Iaſonem Mainum magnæ exiſtimationis Iuriſconſultum: ex cuius verbis diſcimus in Alexãdro fuiſſe formæ elegãtiam, quæ virtuti ſuffragium adderet, latam frõtem, regium ſupercilium, faciem liberalem & maieſtatis plenam, ingenuũ & heroicum totius corporis decorẽ. Ac ſingulos reges hortatus eſt vt pacem colerẽt domi, de bello autem nullo omnino cogitarẽt, niſi in ferociſſimam Turcarum gentem Chriſtianis exuuiis ſuperbam. Poſtea Ioannem Borgiam à ſe creatum Cardinalem Neapolim miſit, vt in illa vrbe Virgilij tumulo honorata nouum regem corona redimiret. Sub huius põtificatu Carolus octauus Rex Francorum Neapolitanum Regnum appetẽs, inſtructiſſimum exercitum ducebat, Romámque Alexãdri ſalutãdi gratia ingreſſus vrbem penè terruit, ac colloquutus cum pontifice Zizimum Turcarum Regis fratrẽ Neapolim abducit. Gallis poſtea Italia exactis Iubilæum publicari iubet, ingénſque hominum numerus pietatis cauſa Romam confluxit, ampláſque opes attulit. meminit Iubilæi Actius cùm ait.


Pollicitus cœlum Romanus & aſtra ſacerdos,
Per ſcelera & cædes ad Styga pandit iter.

Duos præterea filios naturales habebat, Candianum & Cæſarem ex Vannotia meretrice Romana: verùm Cæſar iugulato proiectóque in Tyberim fratre, abdicata purpura ſe totum ad arma tranſtulit. Actius tametſi iniquior & ſucceſſoribus eius, caſum illum Candiani in Tyberim proiecti acutè exhibet ſequenti diſticho.

» *Piscatorem hominum ne te non Sexte putemus,*
» *Piscaris natum retibus ecce tuum.*

Nec plura dicam de Cęsare, contentus indicasse vitam eius à Iouio elegantissimè descriptam. Cùm autem in Vaticana villa Alexander cœnaret, medicata lagæna vini parata ad exitium nonnullis Cardinalibus cõuiuis, pincernæ errore factum est, vt senex põtifex venenum hauriret, nec diu vim illius ferre posset. At Cæsar qui dilutius bibisset, atrocissimo quidem, sed non lethali morbo correptus est, Prouidentia Dei quis hoc factum neget, vt pincernæ errore qui aliis exitium parabant, ipsi hilariter venenum biberent? Cæsar autem morbo illo exemptus in Hispania glande traiectus postea occubuit. Per hunc modum Alexander vita defunctus est anno Christi millesimo quingentesimo tertio cum elogio nequaquam pij pontificis. Constat enim eum largitionibus ad illam dignitatem peruenisse: pecuniam enim propter se magnifaciendam negabat. sed quòd ea mortalium mentes facilè caperentur, vt ab eo quidem corruptæ sunt vel cæcatę potius, nullísque rei intentus fuit, nisi vt perpetuò mortales deciperet. Hęc quidem Florentini historici de eo memoriæ mandarunt. Quę cùm repeto, etiam illud cõstantissimè affirmare possum, si pontifices omnes verè pij essent, nos Rempub. christianam nimium fœlicem habituros. Mortuo autem pontifice, pendentéque interregni mora, Roma armorum pręsidio coacta vtitur; ac nisi hoc remedium quęreret, plurima sane homicidia cædésque perpetrarẽtur: nam vindictæ & vltioni locus foret, quia tunc impunitati & patientiæ locus est, coniectíque in carceres effringunt fores, nisi sponte aperiantur iussu magistratus publici & capitalium

criminum præfecti aut abesse coguntur, aut domi se continere cum præsidio militari. Quòd si vmquā magni motus Romæ sunt visi post obitum pontificis, Alexādro certè extincto non defuere. Itáque prudenter mihi videntur Persę olim statuisse vt cùm Rex apud eos excesserit è viuis, quinque tantùm dies absque lege vitam agant, non vt sint infœlices & miseri, sed vt reipsa discant quantum malum afferat nullis legibus viuere. Quam quidem legem apud Sextum Empiricum aduersus Mathematicos lector reperiet.



PIVS III.



PONTIFICVM laudes partim ex præteritis, partim ex futuris actionibus factísque eorū sumendæ sunt. quid enim dicas de hoc Pio propter breuitatem pontificatus, nisi præteritum tempus excutias? & non qualis pontifex fuerit, sed cuiusmodi Cardinalis intueare? virtutum enim suarum fructum vberrimum tulit Franciscus Picolomineus patria Senensis, cùm Alexandro mortuo vir integræ famæ & iam senex, doctrináque & prudentia celebris, vt Leander Albertus in descriptione Tusciæ tradit, ad pontificium culmen euectus est. Magnum est fama plerúmque testimonium virtutis. Pius verò secundus Laudimiam sororem habebat, illa Franciscum tulit, quem duodeviginti annos natum, præceptísque optimarum scientiarum

tiarum instructissimum auunculus extulit. Ob eam igitur causam quem imitandum sibi proponeret, Pij secundi auunculi sui & de se familiáque optimè meriti nomen sumpsit, à quo etiam vocatus ad purpuram adolescens fuisset. Quomodo autem electus fuerit, omittendum non videtur: primos quidem pontifices partim suffragiis sacerdotum, partim acclamatione populi electos constat ex Cypriano in epistola ad Cornelium pontificem Romanum, vt libro primo demonstrauimus, verùm à multis retrò annis scrutinio vel accessu collegarum ad eos, sunt renũtiati: quid sit autem scrutinium, quid accessus, rituale Romanum docet. Pius igitur scrutinio electus, id est tacita in vrnam coniectione nominum, apostolicam sedem conscendit, móxque in Lateranum mirabili pompa honoréque deductus, vbi post solemnes ceremonias facem stupeam collucentem & accensam vidit. & statim, id est, vno veluti momento, audiuítque vocẽ illam qua vti solent in coronatione põtificum, Beatissime pater sic transit gloria mundi, fleuisse statim atque ingemuisse dicitur humanam sortem citò perituram. Cæterùm vix principes lætissimum nũtium audire potuerant tam inopinatæ electionis, cùm homo valetudinarius atque imbecillo corpore decessit die vigesima sexta pontificatus sui, ac sepeliri in Vaticano iuxta Pium & Pius & piè voluit. hæc enim recordatio de nobis bene meritorum, ipsi quoque Deo acceptissima est. Nec spem eligẽtium fefellit, qui omnes euentum rei taciti expectabant, vt Guichiardinus libro sexto historiæ narrat. Ac breue quidem illius in pontificatu fuit tempus, sed breue fuisset etiam, si quantum hominum vita suppetit, tãtum vir talis Romæ imperare potuisset. Mortui Senenses

in marmoreo tēplo coloniæ ſuæ Virgini dicato honorificè locarunt iuxta caput Alexandri deceſſoris. Habēt enim ſingulorum pontificū capita affabrè cōpoſita, oráque & vultus demortuorū, & illis quaſi imaginibus templū illud ingreſſi, exiguū quidem ſed magnificentiſſimū, paſcūtur. Nūc mihi neceſſariū eſt aliquot Pij tertij epiſtolas ad Sabellicum ſcriptas hîc attexere, vt quam miti ſuauíque ingenio
" fuerit, appareat. Frāciſcus Cardinalis Senēſis M. Antonio.
" Anceps ſatis ſum profectò, Sabellice chariſſime, vnde po-
" tiſſimùm exordiar tibi gratias agere pro tanto ac tam exi-
" mio munere in me tuo: quippe cuius ea præſtantia eſt, ea
" dignitas: vt nō minores animo tuo atque liberalitate tibi
" à me deberi gratias intelligam, faciléque ſuperant officia
" tua meam omnem dicendi facultatem. Ingenij ſanè tui
" monumenta à me antea ſummo ſemper ſtudio fuerunt
" celebrata: nunc verò maximè expectata non ſolùm, quòd
" ea vel ſtili elegantia quam pauci adæquant, hoc tempore
" vel materiæ nobilitate admodum delectant: ſed varietate
" etiam rerum multarum, fortunæ caſibus, temporum viciſ-
" ſitudinibus referta, documētis atque exemplis vitam plu-
" rimùm inſtruunt. Admirādum opus aggreſſus es, nec mi-
" nus vaſtum, quàm orbis ipſe, à cuius incunabulis id inchoa-
" ſti, nec tamen in tanta plenitudine ordo deſideratur aut
" modus, tanta moderatione cuncta temperaſti. Hæc nimi-
" rum clariſſima & viro eruditiſſimo, & Sabellico digniſſi-
" ma. Verùm tuus quoque erga me atque auunculum meū
" amor ſingularis, ſummum ſtudium, pręſtātiſſimus animus
" quantum addunt nexuum, quantum obligationis, nihil
" omittis, nihil præteris, quo clariſſimis ſtudiorum tuorū
" muneribus nos honeſtes, nobis gratificeris, nō vigiliis, nō


" viarum difficultati, non sumptui, nõ curæ vllæ, non laboribus parcis, modò beniuolentiæ studium te non deceperit. Cætera abs te viro probatissimo ac nostri cupidissimo facilè patimur. Pro tantis rebus tuísque in nos officiis tantas tibi iure merito habemus gratias, agimúsque quantas à gratissimo quoquám haberi possint, ac planè tales qualia sunt opera tua quæ sunt immortalia. Vtinã ea aliquando incidat occasio, quo referre quoque vti percupimus, libétius possimus. Opus tuum nobis charissimum fuit, nec minus oportunum, fortè enim medicorum consilio intra biduum digressurus eram ad balneas, méque iam colligebã, voluens animo quemnam potissimum auctorem mihi adsciscerẽ, qui materia aliqua noua & delectabili iter nostrũ exhilararet, cùm tuis ecce occurristi commentariis, quasi cęlitus demissis desiderium pręueniens meum. Erit itáque tuus liber itineris mei comes sociúsque indiuiduus, & (vt spero) procul negociis curarum leuamen, cuius contubernio sic familiarissimè vti constitui, vt ad mensam quoque ad lectum, in balneum etiam (si volet) admissurus sim: scimus enim maximos viros plerumque talia factitasse. qui ergo prohibeat, vt eo loco sint nobis Sabellici Enneades, quo olim Alexandro Homeri Ilias? ac Scipioni Cyri Pædia. Vale mi Sabellice, & scias Cardinalem Senensem tuũ esse, cuius opera si qua in re tibi prodesse potest, pro tuo arbitratu vtere, vti debes & potes. Romæ. Quoniam verò Pij secundi Marcus Antonius Sabellicus mentionem facit libro septimo epistolarum, pręstat eius quoque epistolam huic operi inserere. M. Anto. Francisco Cardinali Senensi. Poteram ego meritò tibi suspectus esse, pater amplissime, vt qui non præstaturus essem amplius, quod per

» literas fueram aliquando pollicitus, sed perdifficilis est,
» noui operis editio, ac supra quàm credi possit scriptoribus
» molesta, in qua, siquid temerè offendit, non consilium
» spectatur, sed euentus, & vt dicam quod sentio, in nul-
» la re minus fœliciter peccatur, quàm hîc: vbi nullus relin-
» quitur pœnitentiæ locus. Est omne præceps consilium
» periculosum, sed in his quæ mutari non possunt, pericu-
» losissimum. Quod quum ita sit, danda fuit nobis opera
» vt hæc editio, que mutari non potuit, ne præcipitata vi-
» deretur, fuítque harum vigiliarum recognitio non magis
» longa quàm laboriosa. Accessit huic curæ altera recens nõ
» minoris sollicitudinis, ne hæ nostræ Enneades, quas eram
» impressoriæ officinæ illaturus, librariorum incuria vitiarẽ-
» tur: quod ne accideret, omni cura & diligentia fuit mihi e-
» laborãdum. Cæterùm dum per hæc nõ vna exerceor cura,
» en alter nobis vix sẽtiẽtibus effluxit annus: quæ mora quo
» lõgior fuit eo, vt dixi, potuit esse suspectior magísque mo-
» lesta. est enim res ipsa semper expectãtibus grauis, sed quũ
» desiderium trahit, grauissima. Id ego veritus præstantissi-
» me pater æquo animo tuli, immò propemodũ auctor fuit
» vt quatuor primæ Enneades libri ex impressoria officina
» subtracti nudi vt nuper nati ac tamquam è nido adhuc ca-
» lentes, ad tuam amplitudinem quũ superiore æstate Senis
» esset deferrentur. nam & à fide tamdiu laborare quod
» molestum erat, & ita futurum videbam, vt si tu pater pien-
» tissime promissi negocij partẽ probares, esses & totũ pro-
» baturus. Sed satis probasse videri potest, qui ea quæ tũ pro-
» lata sunt dignatus es, vt mihi dicitur, cognoscere. Quod e-
» go velut præiudicium secutus, en sine vlla longioris moræ
» excusatione, quod debeo tuæ persoluo amplitudini. Serò

dixerit aliquis: ſerò quidẽ, ſed ſic multo melius quàm nũquam: quãquam ne mora quidem illa quamuis lõga multum accuſari poſſit, vel quià non voluntaria fuit, aut quòd cũctando lucrifecit aliquid. Nam quum ſex Enneades deberentur, en ſeptem numero mittuntur perpetuum hiſtoriæ filum cõplexæ ab exordio mũdi ad Arcadij, & Honorij principum tempora, qui quum rerum potirentur, Roma à Gothis capta fœdéque incenſa inclinare cœpit ſumma imperij. Erit lectio hæc tibi pater præſtantiſſime, vt ſpero, non iniucunda: nec ob id ſolùm quòd ſua ſponte placere cœperit, fuerítq; in fronte blandior viſa: ſed quòd in receſſu, omnium memorabiliũ rerum copia, quas omnis vidit ætas, ſit referta. Sed hæc licet. Quod ſequitur non tantùm ſpero, ſed confido etiam futurum vt reliqua pars hiſtoriȩ quæ nunc in manibus eſt, & quȩ in noſtra deſcendit tempora, plus omnino ſit gratiȩ habitura. ſic enim natura comparatũ eſt, vt eorum relatio quæ noſtra vidit ætas, nunquam ſit audientibus non iucunda: quȩ verò proprias ſit laudes ſortita, aut eorũ qui nobis chariſſimi ſunt,
» longè iucundiſſima. Nec Virgilianus ille Aeneas vlla æquè
» re, ac ſuorum laudibus afficitur, quum apud Pœnos Iliacas
» ex ordine videt pugnas: neque animus in aperto rerũ diſ-
» crimine tamdiu ex vno pependiſſet obtutu, ſi eorum quæ
» ſpectabãtur, ad ſe nihil fama pertinuiſſet. Sed ea quæ tum
» Æneas vidit, parum gratȩ fuerunt memoriæ. Contrà ſi
» quæ in noſtris erunt ſcriptis, quæ ad te clementiſſime
» pater aut tuos pertineant, erunt enim omnino aliqua, ne
» multa dicam, non poterunt tibi non eſſe cognitu ſuauiſſi-
» ma, vel quia quo à pluribus memorabuntur, eo erunt ad
» poſteros clariora: vel quòd tam proſperè, & ſapienter ſint

„ acta, vt talium recordatio non possit non esse gratissima, „ qualis memorabilis illa Pij pontificis auunculi tui administratio, quo nullus hominũ memoria maiorem ex ista humanæ pietatis arce laudem reportauit. Sed de eo tum longior erit sermo, quum locus postulabit: nec tu interim taceberis pater pientissime, qui in omni genere virtutis es illius tam similis quàm qui hominũ sui ipsius simillimus. Sed hæc in suum tempus differuntur. Nunc quid damus, benignè rogo accipias, & quod tua sponte elegere cœpisti, si per ociũ fieri potest perlege. nam quòd ad euẽtum lucubrationis huius attinet, satis nostra omnibus placitura putabo, si tibi viro in omni genere literarum eminentissimo non displicebunt. Vale. Venetiis. Addere eidem epistolæ debemus & aliam qua Marium filium idem grauissimus historicus commendat M. Ant. Cardinali Senensi. Satis cum homine indulgenter egisset natura, clemẽtissime pater, si filiorum causa tantùm solliciti essemus: sed inepti fiunt, & dementes miseri patres, dum ingenitæ pietati nimium indulgẽt, súntque hoc ipsum scio quum alij plerique experti, tum ipse nuper vsque ad ludibrium, qui dum filij causæ impensius studeo, causam & filium penè perdidi. Sed sic profectò est, trahunt cæteri affectus mentẽ, dolor & ira precipitant: acceptæ iniurię magnitudo fecit, vt neque manus vulneri admouerim, & quia non admoui, scire minimè potui, quale id esset, aut quàm altè adactum, quæve medicina non esset adhibenda. quo contigit, vt quum opem & auxilium implorarem, qua potissimum parte curandus essem, monstrare nequiuerunt pueros (quod pudeat dicere) imitatus, qui vel leuiter percussi, quum ad matrem lamentabundi confugiũt,

» manum alio quàm oportuit applicant, manifesto vani doloris argumento dant suis querelis lachrymas. Sed fœlix fuit noster error, qui præsentissimum vani metus tuo salubri consilio inuenit remedium, súmque graui molestia leuatus tua opera, pater pientissime: quod perinde fuit mihi gratum, ac si totum hoc negocium, quod omnino futurum sperabam, fuisset istic confectum. Nunc quibus verbis tuæ amplitudini agam gratias, non reperio. Spero & opto aliquando videri, quem tua amplitudo quum gratum tum memorem virum iudicet, dignúmque arbitretur in quo suum beneficiũ vltrò collocarit. Certè animus cuius sum mihi conscius, nil hodie præter gratitudinem meditatur, pendétque totus ex vnius officij euentu, vt tuæ demum laudis dignitatísque quàm studiosissimus fuisse credar. Quòd pręterea tantùm res nostrę tuo sapiẽtissimo iudicio probentur, quantum ne ipse quidem postulare ausim, tribuo id ego tuo mitissimo genio, qui non solùm ad virtutem exercendam sit natus, sed ad virtutis etiam imaginem vel potius vmbram in omnibus fouendam. Cæterùm tanti est tuę amplitudinis apud me auctoritas, vt ego qui nunquam mihi placere potui, iam nunc demũ summi viri testimonio confirmatus non displiceam, audaciórq; factus subitum cœperim consilium impressoriæ officinæ inferendi sex historiarum Enneadas, quibus longissimam rerum seriem à prima mundi origine ad humanæ salutis annos texui, per ampla vetustatis spacia euagatus. qui cùm primùm inde exierint, curabo diligenter, vt ad tuam amplitudinem continuò perferantur, cui me & totam domũ commendo ac trado.



IVLIVS II.



AGNITVDINEM animi quæ in Alexandro decessore fuit victurũ se putans Iulianus Cardinalis, Iulium deinceps se nominari iussit, sumpto non Iulij retrò pontificis Romani & mitis ingenio viri ac pacifici nomine, quod nemo superiorum pontificum præter illum habuerat, sed Iulij Cæsaris ob bellicam virtutem celeberrimi præstantissimíque ducis: vtque se formidabiliorem redderet, barbam sanè prolixam aluit contra morem maiorum, nullus enim antea pontifex barbatus extiterat: sed omisso Nazaræorum vsu, qui deinde Romanam ecclesiam rexere, Iulij consuetudinem probarunt. Id ne est Iuliani Cęsaris Misopogonem laudare? Erat Iulius hic de quo loquimur Raphaëlis filius, qui Sixti quarti frater fuit, ex Albizola vico Liguriæ iuxta Sauonam, magnitudinéque animi & Sixtum & Alexandrum facilè superabat. Sauonenses quippe superbo ingenio sunt, seruitutísque impatientes natura. Oderat quidem illum Alexander, Cardinales monens ne vmquam ad pontificatum vocaretur: cauendũ enim ab eo esse dicebat, vt olim Sylla à discincto puero Iulio Cæsare. At nemo, vt aiunt, successorem suũ occidit, ídque verissimum est: nam veneno ab Alexandro petitus extingui nõ potuit, vnicam ei virtutem inimicus pontifex tribuẽs, fatebatur Iulianum esse amantissimum veri: erat præterea studiosissimus ecclesiasticæ libertatis, indignum

gnũ, dicens leuitas seruire quos cæteris imperare oporteret: & liberalem sanè se præbuerat ante pontificatũ erga omnes sed tũ maximè cùm Piũ tertiũ obiisse cognouit, pecunia beneficiísq; ecclesiasticis & profusissima largitione põtificatũ aucupãs, atq; illud apud familiares ingeminãs, Romanum pontificatum pluris æstimandũ quàm vendi vel emi ab imperitis consuesset: quippe rem tantam ex earum numero esse quę æstimationem non recipiant. Idque fœliciter ei successit æmulo illius Cardinale sancti Petri ad vincula superato, etsi amicis existimatione & diuitiis superiori. Nec impedimento apud collegas fuit inquietus eius animus difficilísque & formidabilis natura, nec graues inimicitiæ quas priuatus cum magnis viris habuerat. Itáque ne clauso quidem conclaui Iulium põtificem dicunt. Prima verò ei cura fuit capiẽdi Cæsaris Borgię, nec dimittendi nisi redditis pontifici Romano munitionibus, vrbibus, castellis atque oppidis quæ cœperat auspiciis ac viribus Alexãdri decessoris sui, ídque ei fœliciter euenit. Omni deinceps vita bellum gessit, militaréque eius studium Erasmus cùm Bononiæ esset decimo quinto Cal. Decẽb. 1506. in epistola ad Hieronymum Buslidianum sic exprimit: In præsentia quidẽ in Italia mirè frigent studia, feruẽt bella, summus põtifex Iulius belligeratur, vincit, triũphat, planéque Iulium agit: at primùm quidem aduersus Bentiuolum Bononiam occupãtem, eáque vrbe recepta signa inferri iubet in Alfonsum Ferrariæ ducem, inque Ludouicum Francorum regem: sed hi commisso ad Rauennam formidabili prœlio victoriam retulere. Postmodum Rauenna Gallis Italia depulsis ecclesiæ restituta, Parmáque & Placentia ex fœderis legibus sibi reddita, Iulius Ligur Ro-

mano illi domitori gentium persimilis, cùm presertim Pisanam Synodum euertisset, quæ in perniciem & caput suũ congregata videbatur. Obiit Romæ septuagenario maior anno quingẽtesimo decimo tertio, nono Cal. Mart. dignus immortali gloria apud homines futurus, si Cæsar potius quàm pontifex maximus Romæ fuisset: veréque Erasmus
" epistola prima libri secundi, vt maximũ, inquit, declara-
" rit Iulium totus penè orbis ad bellum excitatus, certè ma-
" iorem testatur Leonem pax orbi restituta. Denique vt pro tempore necessaria fuerit Iulij seueritas, certè magis salutaris fuit Leonis mansuetudo, multóque propius ad eius accedens exemplar, cuius locum inter mortales occupat Romanus pontifex: laudari tamen actiones eius æquissimum est ob singularem constantiam in ditione ecclesiæ fortiter conseruanda augendáque. Quòd si Christianorum animos cætera eius facta in nullam rapiunt admirationem sui, videant augustissimum templum diuo Petro exædificari cœptum in Vaticano, cúmque scierint opera Bramantis eximij architecti id opus sub Iulio secũdo inchoatum, pontificem illum in recordatione viuorum esse, futurúmque non immeritò fateantur. Quin Sauonæ in patria vbi Iustinianus Ligur natum eum refert, templũ Virginis atque episcopium pontificio sumptu ampliauit. Itáque Hieronymus Fracastorius Veronensis vir doctissimus in Syphili ad Bembum elegans de Leone pacéque ab eo restituta elogium canit.

--At Bembe tacendus
" *Inter dona Deûm nobis data non erit vmquam*
" *Magnanimus Leo, quo Latium, quo maxima Roma*
" *Attollit caput alta, patérque ex aggere Tybris*

Assurgit, Romæque fremens gratatur ouanti,
Cuius ab auspiciis iam nunc mala sydera mundo
Cessere, & læto regnat iam Juppiter orbe,
Puráque pacatum diffundit lumina cœlum.

Bononiam à Iulio receptam in eius vita retrò diximus, at profectionem eius in eam vrbem nō attigimus: & quia memorabilis est, scitéque scripta versibus cētum sexaginta quatuor ab Hadriano Castellensi Card. titulo S. Chrisogoni à Pio tertio ob eruditionē donati, eam superiori narrationi adiicimus.

ITER IVLII II. PONTIFICIS RO. PER HADRIANVM CARDINALEM sancti Chrisogoni.

AVgusti memoranda dies vicesima sexta,
Pontificem magna Roma dimisit Julum,
Penè omni patrum, & procerum comitante senatu.
Formello pius excepit Iordanus, & vxor
Moribus, ingenio, formáque & nomine felix.
Postera lux Nepete antiquum, tum proxima Veios
Ostendit: mox per Cimini montémque lacúmque
Tendimus insignem per balnea multa Viterbum.
Discordes bonus hic ciues pacauit Iulus.
Præbuit hinc celeber mons dulcia vina Faliscus,
Detinuítque diem. Veterem pòst vidimus vrbem
Excelsæ rupi impositam sine mœnibus vllis.
Hic templum Genitrici ingens, cui sculpta vetusto
Marmore stat facies, spirántque in marmore vultus.
Carnaiola procul, pons hinc sex millia distans

» Cyaneas transmittit aquas, sparsasque paludes
» Per sata, per syluas: ah quantum absumitur agri.
» Plebis ad indomitæ castrum peruenimus, inde
» Impositæ apparent Perusinis collibus arces:
» Castellona lacus Trasymenus mœnia cingit,
» Hunc ratibus læti tranauimus, insula lætos
» Accipit hospitio, Pasianum allabimur, vnde
» Prospicimus campos Romanis ossibus albos.
» Seruat adhuc nomen locus: & de sanguine fuso
» Sanguineos campos Perusini nomine dicunt.
» Hic vbi commisso fallax certamine Pœnus
» Flamineúmque ducem, Mauortiáque arma subegit,
» Per colles, ripámque lacus Corclaua subimus
» Mœnia, oliuiferis tumulis lætissima rura:
» Vicina placuit patribus recubare sub vlmo.
» Hic simul occurrunt equitum, peditúmque cateruæ
» Vrbinate duce, illo nec melior fuit alter,
» Nec pietate prior, sed nec præstantior armis:
» Tot dotes iuueni inuidit lapidosa podagra.
» His circumsepti legionibus, ordine longo
» Ingredimur Perusinam vrbem, ciuilibus actam
» Euersámque odiis: hanc tu pater optime Iuli
» In placida tandem compostam pace relinquis.
» Non procul oppidulum est, Fractam cognomine dicunt,
» Amnis obit muros cœno, & graue olentibus vndis.
» Huc vbi delati montes Eugubia tecta,
» Hærentémque iugis vrbem superauimus, inde
» Perpetuos colles Catiani villula findit:
» Villula munifico non aspernanda popello.
» Hos prætereuectis tumulos plebecula callem

» *Quæ colit angustum, Cagli cognomine dicunt,*
» *Occurrit facie obducta, nam tabida fertur*
» *Infecisse lues, celeri pede fugimus omnes.*
» *Hinc ad aquas Lanias perreximus, vnde Methaurus*
» *Confusus Gauno Foruli spectacula præbet.*
» *Est operæprecium versu describere mirum*
» *Naturæ ludentis opus, stant vertice ad auras*
» *Hinc atque hinc montes prærupti flumine subter*
» *Secretis labente viis, vt fumus ab imis*
» *Surgat aquis, latéque fluant aspergine cautes.*
» *Rupis ad extremum læua venientis ab vrbe*
» *Porrigitur molis dorsum, qua semita nulla*
» *Nulli aditus quondam, nec erat via peruia cuiquam.*
» *Cæsar inaccessam patefecit* Titus: *& illam*
» *Quantum acie possunt oculi seruare cauauit,*
» *Inscripsitque fores: & adhuc vestigia vtrumque*
» *Limen habet, scabro & fragili vix cognita topho,*
» *Sunt soliti hac camera multi latitare latrones,*
» *Exceptósque viatores demergere in amnem.*
» *Repsimus è crypta, atque angusta fauce viritim*
» *In campos Vbalde tuos, hinc imus in vrbem,*
» *Vrbinum dixere patres tua regia tecta.*
» *Ardua quæ saxo colitur Macerata vetusto*
» *Hinc petitur, vicóque breui succedimus, inde*
» *Scandimus excelsas nimbosa cacumina pennas*
» *Diue Marine tuas, tumidi hic subsidere montes*
» *Incipiunt, superóque mari consternere littus*
» *Planiciem ingentem terris, opibúsque superbam,*
» *Gallia qua fluuio Rubicone comata patescit.*
» *Italiæ hic finis quondam, nunc omnia miscet*


» *Effera Barbaries, antiquáque nomina vertit.*
» *Sauignana vocant pinguissima rura coloni.*
» *Huc madidi multóque luto, fessique venimus.*
» *Progressi meliore via, cælo grauiore*
» *Cæsenam intramus, culices auertere somnos*
» *Omnibus, & variis multos maculare figuris,*
» *Pompili, Liuíque forum diuertere cogunt:*
» *Terra ferax, populúsque ferox, ac cæde frequenti*
» *Terribilis, sempérque furens ciuilibus armis.*
» *Vt ter quinque dies abierunt, Liuia tecta*
» *Linquimus, atque iterum montes iubet ire per altos*
» *Iulius, & Castri ad læuam iuga visere Cari.*
» *Imus præcipites per mille pericula rerum*
» *Turrigerásque arces, rupes, & inhospita saxa*
» *Appenninicolæ accurrunt, visóque senatu*
» *Reptantes genibus per humum noua numina adorant:*
» *Mudiana iacet vasto depressa barathro*
» *Accola torrenti, truncis, salebrísque fragoso:*
» *Hanc terram pedibus celso de monte ruentes*
» *Prendimus, & placido curamus corpora somno.*
» *Postera lux alios scopulos, cælóque propinquas*
» *Nubigenásque alpes aperit, Marradia vulgus*
» *Saxa vocat, summúmque excipiunt Magalia Iulum.*
» *Inde Palatiolum statio opportuna labori*
» *Hospitio lassos refouet, tum fluminis arcta*
» *Prouehimur ripa tenui discrimine euntes.*
» *Est locus extremis in montibus asper Hetruscis,*
» *Hunc dictum perhibent à tussi Tussinianum:*
» *Huc quoque delati montes deuouimus omnes.*
» *Orta dies latos campos, & amœna vireta,*

» *Cornelíque forum, feliciáque arua reducit.*
» *Hic meus ortus habet sedes Papiensis auitas*
» *Nobilis, & clarum genus alto à sanguine ducit.*
» *Constitit hic pastor, dum prospicit omnia Iulus,*
» *Et belli pacísque simul dum pondera librat,*
» *Consilióque patrum rerum moderatur habenas.*
» *Appulit interea Gallorum exercitus ingens,*
» *Conseruítque manum, & muros circumstetit armis*
» *Felsina docta tuos: volat impiger actus ab vrbe*
» *Nuncius: & Serram exactam pulsúmque Tyrannum,*
» *Excassúmque iugum patriæ ceruicibus affert:*
» *Pontificem implorat fessis succurrere rebus.*
» *Hoc oratores certatim ex vrbe frequentes*
» *Exposcunt, patriæque patrem properare precantur.*
» *Tura adolet Iulus templis, sacrísque peractis*
» *Tendit iter, gressum celerans, vrbíque propinquat.*
» *Vrbs antiqua, ingens Hetruscis regia quondam*
» *Felsina: tum Bois fato irrumpentibus impar.*
» *Accepisse nouum fertur Boionia nomen:*
» *Verùm vbi sunt Boi Romano milite pulsi,*
» *Barbariem excussit, cœpítque Bononia dici:*
» *Subditur ad Boream radicibus Appennini:*
» *Planicie accliui, procumbens solis ad ortus:*
» *Inter aquas Sapinæ, & Rheni, quarum vtraque in vrbem*
» *Ducta vehit, reuehitque rates, pistrináque versat.*
» *Æmiliæ decus, & belli, pacísque patrona:*
» *Diues opum variarum, & nullius indiga cultus:*
» *Musarum domus, atque omnis nutricula iuris.*
» *Iámque dies aderat, mediúmque vehebat ad axem*
» *Omnia conspiciens Phœbeæ lampadis astrum:*

» *Obsedere patres maioris limina portæ,*
» *Qua modò Felsinea pastor requieuerat æde:*
» *Porticibúsque amplis expectant numen Iuli.*
» *Tandem de thalamo sella sublimis eburna,*
» *Gestatúsque hominum scapulis, longo agmine prodit:*
» *Cui trabea ex auro, gemmis, ostróque coruscat:*
» *Tempora conchili fulgent redimita tiara.*
» *Progreditur procerum legio tua Felsina proles:*
» *Æratæque ruunt acies, clypeatáque circum*
» *Agmina funduntur: placidos dat Curia gressus*
» *Æquati spaciis omnes, & vestibus omnes:*
» *Purpureisque patres tecti capita alta galeris:*
» *Obuia quæque oculis præstringunt numinis instar:*
» *Visendi studio effusi iuuenésque senésque,*
» *Et matres puerique simul tecta omnia complent:*
» *Culminibúsque astant, portísque & turribus hærent.*
» *Vt verò ad diui venit penetralia Petri,*
» *Julius, aspersítque patres in limine primo*
» *Rore leui, geminis manibus veneratus ad aras*
» *Effigies sacras, Grates quas possumus, inquit,*
» *Accipe Christe Deus, nam quæ sat digna queamus*
» *Munera, quas laudes humana voce referre?*
» *Tu nos incolumes per tot discrimina vectos*
» *Vrbe hac Felsinea sine cæde, & sanguine donas.*
» *Da pater omnipotens, rerúmque æterna potestas*
» *Sic superos penetrare aditus, verósque triumphos,*
» *Terreno inuolucro exutos, vitiísque subactis.*
» *Hæc vbi supplicibus votis orauit Iulus,*
» *Quisque domum properat, factóque hic fine quiescit.*

Adrianum

Adrianum huius Itinerarij auctorem clarum illa ætate virum fuisse superiores quidem versus ostendunt. Cæterùm multo magis epistola quam scribit Carolo principi Hispaniæ, mittens illi elegantem libellum de Latino sermone scriptum in Tridentinis Alpibus: ait sibi tum esse in animo prosequi cœptum iampridem opus sacri veteris instrumenti libros ex Hebræo ad verbum in Latinum sermonem vertendi. Iulij verò temporibus viuebat Raphaël vir erudito perspicacíque ingenio, is vrbanorum commentariorũ libros octo & triginta quos in vrbe scripserat huic Iulio dicat, ínque eorum præfatione, libertatem, inquit, proximis annis exulantem nunc tandem reducem fuisse. Roma, simul cum patribus ac populo gauisa est, ac vestem quam ob filiorũ tot cædes orbata mutauerat, pristinã quoque recuperauit hilaritatem. qui locus profectò de Alexandri sexti pontificatu & Cæsaris Valentini audacia intelligi, eóque referri debet.



LEO X.



VM Iulius vita defunctus esset, Cardinalium iuniorum numerus pertęsus senectutis ad pontificatum promoueri solitæ, concursu facto ad Ioannem è Medicea gente triginta septem annos natum, quæ est ætas propemodum cõsularis, illum pontificem dicunt salutántque idib. Mart. 1513. Id senes ęgrè ferebant, sed ita con-

uenerat inter adolescentes mediæque ætatis Cardinales, proptereáque Alfonsus Petrucius Cardinalis admodum adolescens, creationem Leonis de more populo Romano nunciaturus erupit in has voces: Pontificem habemus Leonem decimum, ac viuát vigeántque iuniores. id enim ab eo prolatum Aleander Bononiensis, funestúmq; ipsius exitum narrat. Nuncium hunc cùm vicinæ remotæque prouinciæ audiuissent, magnam omnes ex eo facto lætitiam animis concepere. Acceperant enim Leonem esse ex Medicea gente apud Hetruscos celebri, liberalémque & benignum audierant, ac sperabant eum excellentium ingeniorũ amicum fore, quòd artes liberales studiosissimè coluisset, nisi fortè ab auorum existimatione & Laurentij Medices paterna virtute degenerem se præberet. Erasmus epistola prima libri secundi, familiam Mediceam totius Italię laudatissimam esse dicit, naturæque bonitatem & rectam educationem optimámque indolem, ad quam accesserit institutio, in Leone commendat. Coronatus autem est ad Lateranum trigesimo die post creationem, qui fuit Aprilis vndecimus Rauennate clade infaustus, vt conuerso omine ab tanta priuata lætitia & publica hilaritate ex atro longè omnium candidissimus redderetur. Vectus est etiam in pompa illo eodem equo Thracio, in quo ad Rauennam captus à Gallis fuerat; quem ab hostibus pecunia redemptum ita adamauit, vt postea vsque ad extremam senectutem summa cum indulgentia alendum curarit. Verùm quis audeat post Iouium excellenti hominem ingenio expeditáque facundia celebrem de Leone dicere? paternas certè ad eum literas, cùm ab Innocentio octauo ad purpuram vocatus esset, quoties lego, facere non pos-

ſum quin exclamem: O ſapientiſſimi hominis conſilia ac verè paterna! illa enim veluti oracula quædam ſunt, à quibus nec cæculum Leonem ſic dictũ ab Actio poëta, quòd cæſios & cæcutientes oculos haberet, ſed ne pontificem quidem vllum diſcedere oporteat. imperat enim inter cætera vt honorẽ & ſtatum ſanctæ eccleſię ſedíſque apoſtolicę rebus omnibus anteponat. Id verò dubiũ eſt an Leo fecerit venationi & aucupiis, & cui nõ oblectationis generi deditus? vt regẽ potius eum quàm pontificem eſſe oporteret, Pontifices enim Romani, ſi voluptatẽ & ocium colunt, inficiunt orbem terræ mortifero veneno, exemplóque ſuo æternùm nocent. Quòd ſi Leo voluptatibus deditus fuit, fuiſſe autem ciues etiam ſui teſtantur, dandum eſt aliquid ætati nondum planè maturæ, & pontificatus iterum ſenectuti tribuendus eſt. Venationi quidem deditum fuiſſe præter hiſtoricos illius temporis, etiam Longolius docet. Is enim epiſtola quam ad Leonem pontificem maximum, principémque Romanum dedit: Ego, inquit, cùm venandi artem ab optimo quoque & doctiſſimo veterũ imprimis probatam, cæteríſque exercitationum generibus longè prælatam eſſe exploratum habeo, tum verò te non tam quaſi pontificem maximum, quàm vt principem Romanũ, id eſt regum omnium planè regem, nobiliſſimo honeſtiſſimæ exercitationis inſtrumẽto digniſſimum iudicaui. At profectò rem literariam Leo eruditóſque viros prę̨miis atque honoribus affecit, Bembum prę̨ſertim Venetum patricium, qui illi ab epiſtolis fuit, nominéque eius ſcripſit Epiſtolarum libros ſexdecim ad Cæſares, Reges, Reſp. Raphaëlẽ quoque Vrbinatẽ pictorem e-

gregium, cuius opera delectabatur. Musicos in pretio habebat, quemadmodum in Macharoneis Coccius Mantuanus festiuissimus poëtarum refert. Martinum verò Lutherum impiæ præconem & inusitatæ in Germania doctrinæ monitum prius vt à nefariis concionibus abstineret, néve vt ædificaret mendacium demolitione veritatis, tandem è piorum cœtu summouit, irrita spe deterrendi hominis, ab erroréque in quem vltrò incidisset penitus reuocandi. quod si tunc fieri potuisset, pontificem nullum illo maiorem aut augustiorem haberemus. Secta enim illa dici non potest quàm noxia fuerit segeti Christianæ, & quàm latè per Europam virus suum seménque diffuderit. Melius autem est intacta pietatis iura seruari, quàm post religionem vulneratam remedium quærere. Quo autem anno cœperit Lutherus oppugnare Romanam ecclesiam, annotare placet ex epistola Philippi Melancthonis ad Georgium
" Bucholzerum: Pridie, inquit, Cal. Nouemb. anno 1517. Lu-
" therus proposuit axiomata, quibus imposturæ indulgen-
" tiarum taxantur, & doctrina de pœnitentia renouata est.
Rursus quàm miser atque inops fuerit Lutherus, eidem
" Georgio scribit: Commendo vobis causam viduę Lutheri
" & liberorum eius egestatem, in hac difficultate temporũ
" indicare veteribus patronis nõ est inofficiosum. Reuertor ad indulgẽtias, vt illud verissimè dicam, Romanos pontifices adhuc nimium indulgentes fuisse. Obiit autem Leo quarto idus Decemb. millesimo quingentesimo vicesimo primo: & qui poëtica ingenia plurimi semper fecerat, vitare tamen Sanazari mordaces versus non potuit,

" *Sacra sub extrema si fortè requiritis hora*
" *Cur Leo non potuit sumere, vendiderat.*


Verùm nihil faciliùs quàm accuſare & verbis dilaniare mortuos: hoc poëticũ eſt, quia poëtæ modò aliquid argutè vel acutè dicere videantur, plerumque verúmne ſit an falſum propemodum non curãt. Verùm deceſſit Leo eo fœlicior, quòd quinquennio ante Frãciſcum Chriſtianiſſimum Regem Bononiæ viderat ſocerum Catharinæ Mediceæ neptis ſuę futurum, etſi id neutri in animum venire tunc poterat, eíque regi in perpetuũ ac ſucceſſoribus eius certos homines nominandi pontificibus Romanis quibus Epiſcopatus & præcipua regni monaſteria cõferri vellent, ſequutus Zachariæ prædeceſſoris exemplũ, quem Lupus Senonenſis ait permiſiſſe Pipino, vt acerbitati temporis induſtria ſibi probatiſſimorum decedentibus Epiſcopis mederetur, & ex comitatu auláque ſua honorabilioribus maximè eccleſiis procuraret antiſtites. Qua in re Leo cõſulere quidem regibus viſus eſt, ſed chriſtianæ pietati ingens detrimentum inferre. etſi enim regum voluntates optimę ſæpe ſunt, euentus tamen docuit diſciplinam eccleſiaſticam hoc facto concidiſſe. Id verò Regi Francorum cõceſſum eſt Romę, anno à partu Virginis milleſimo quingenteſimo decimo octauo, decimo ſeptimo Calend. Iulias. Sed iuuat iuuabítque poſteros Eraſmi ad Leonem epiſtolã legere, quæ libro primo epiſtolarum continetur.

» Leoni decimo Eraſmus Roterodamus. Vt vbicũque beatiſſime pater incredibilis iſta tua bonitas pietáſque vincit, » non ſolùm merita noſtra, verumetiam vota. Quod meus » pudor contractius parciúſque rogabat, tua benignitas largius ac prolixius indulſit. Nec illud ſanè me clam eſſe voluit, quibus hoc beneficij deberem, cùm ipſe cuperem inſolidum tuæ vnius debere ſanctitati. Sciebam Regem Ca-

» tholicum me suis literis tibi cōmendasse, sed alia de causa,
» atque id tamen factum est, non solùm absente me, verum-
» etiam inscio. Anglorum Regi licèt aliis pluribus nomini-
» bus deberem, tamen hic calculus me prorsus latebat hacte-
» nus. Intelligo, intelligo beatissime pater, quàm grauem
» quámque multiplicem sarcinam humeris sustineam. pri-
» mùm enim manibus pedibúsque adnitendum est, vt isto
» munere, quod tua pietas indulsit, sic vtar, vt tum dante,
» tum accipiente dignum est. Deinde conandum est, vt ali-
» qua certè ex parte tantorum principum commendationi
» respondeam: quandoquidem his beneficij tui gratiam cō-
» munem esse voluisti. Postremò danda est opera vt non di-
» cam officio (quis enim præstet officium, aut Christo, aut
» huic proximo pontifici?) sed tamen aliqua grati animi si-
» gnificatione respondeam accepti muneris magnitudini,
» quod ipsum iam protinus difficillimum esse video: deinde
» Leonis amplitudini, sic modis omnibus maximi, vt quan-
» tum Romani pontificis fastigium inter reliquos mortales
» eminet, tantum Leo inter Romanos pontifices excellat:
» id quod multò etiam difficilius hoc an præstiturus sim ne-
» scio, certè sic adnitar, vt omnes intelligant mihi præter
» vires nihil defuisse, suppetat modò vita, quam mihi non
» optarim longiorem, quàm quæ posteritati consecrandis
» Leonis opt. max. diuinis virtutibus ac meritis sufficiat,
» Minùs infœliciter aggredi solet ardua, qui & libenter ag-
» greditur, & suscepti negotij pondus non ignorat. Quòd
» si nos iustæ vires destituent, auxiliares eruditorum ho-
» minum suppetias implorabimus, quorum nemo est vs-
» quam, qui non fateatur se se plurimum tuæ pietati debere,
» pacis publicæ vindici, quæ semper honestorum studiorū

» altrix fuit. Libet interim, tum mihi priuatim hanc gratulari
» fœlicitatem, cui contigerit probari, non solùm pontifici
» maximo, sed Leoni, inter maximos suis dotibus maximo:
» tum autem publicè seculo huic nostro, quod prorsus au-
» reum fore spes est, si quod vmquam fuit aureum: vt in quo
» tuis fœlicissimis auspiciis, tuísque sanctissimis consiliis,
» tria quædam præcipua generis humani bona restitutum
» iri videam, pietatem illam verè Christianam multis mo-
» dis collapsam, optimas literas, partim neglectas hactenus,
» partim corruptas, & publicam ac perpetuam orbis Chri-
» stiani concordiam, pietatis & eruditionis fontem, paren-
» témque. Hæc erunt numquam intermoritura Leonis de-
» cimi trophæa, quæ doctorum hominum literis æternæ
» memoriæ consecrata, tuũ pontificatũ, tuámq; gentẽ sem-
» per illustrabunt. Deũ opt. max. precor, vt istam mentem
» tibi perpetuam esse velit, téq; nobis quàm maximè diutur-
» num seruet, quo rebus humanis ex animi sententia com-
» positis, serò in cœlum redeat Leo. Bruxellæ, M. D. XVI.

Præter hanc Erasmi epistolam moneo eiusdem argumenti extare ad Leonem Gregorij Cortesij Mutinensis viri doctissimi epistolam, qua mores eius depingit, & familiæ disciplinam, & Alexandri pontificis maximi in eum odia: quem eo tamen deduxit facilitate & suauissimis moribus, vt non modò odium dissimulare vellet, sed etiam ad declinandam inuidiam se illi cuperet haberi amicissimum.



ADRIANVS VI.



ONTIFICATVM cœlo dari non humanis ſtudiis, affirmare poterunt, qui fortunam Adriani ſexti nouerint. abſens ignotúſque Cardinalium numero, cùm apud Victoriam Cantabriæ vrbem verſaretur, nuncium accepit electionis de ſe factæ, ab iis quos ne ipſe quidem nouerat. conſcriptis enim in eius nomen ſingraphis, repertus eſt viciſſe cæteros collegas numero ſuffragiorum. Romaníque ciues Italiam pontificatus honore ſpoliatam queſti, parum abfuit quin lapidibus redeuntes è Vaticano Cardinales obruerint. Hūc Leo vt Caroli quinti præceptorem è Louanienſi ſchola doctiſſimum, iámque Epiſcopum Dertuſiæ vrbis Hiſpaniæ dignum purpurea veſte iudicarat, neſciens illum ſibi ſucceſſurum qui Batauus genere, Traiecti inſigni illius gentis oppido natus, obſcuriſſimíſque parentibus genitus ferebatur, Florentio eum patre humili arte prædito prognatum fama erat. De patre quidem eius non loquitur Eraſmus ipſe Batauus, etſi patriam attingit præfatione ad Arnobij libros ſcripta ad Adrianum epiſtola. Cæterùm tam inopem eum Louanij fuiſſe aiunt, vt ſtudere ad lucernam vilium artificum noctu plerumque cogeretur. Tantam poſtea gloriam noménque ex ſtudiis cōſecutus, vt Caroli principis Hiſpaniæ in Belgica nati informandæ pueritiæ admoueretur, qui illū in ſummo honore perpetuò habuit. His ergo virtutibus

pontificatum

pontificatum obtinuit, qua in re Cardinales fefellere Romanam plebem auidè ſpolia domúmque vbi habitat is qui pontifex renunciatus eſt, antiquo more ſuo diripientem, quòd putet ad tantam fortunam eum perueniſſe vt egere & priuatus eſſe amplius non poſſit. At non intelligit Senecæ illud, magna fortuna, màgna ſeruitus. Abſens erat Adrianus, nec familiam Romæ habebat, fefellitque Romanos à quibus abfuturum diu pontificem rumor erat: citò enim ab Hiſpania in Italiam nauigauit, habens in comitatu pedites quadringentos, eccleſiaſtici ordinis viros ducentos, miſſi ab Italia ad eum ſalutandum, retulere ſolitum quotidie circa auroram, diuina ſacra facere, oblectari amœnitate hortorũ, hominẽ eſſe amplo & robuſto corpore, annos natum ſexaginta quinque, quos impleturus eſſet nonis Maij milleſimo quingẽteſimo viceſimo ſecũdo. Verùm pertinaci obſtinatóq; ingenio eſſe prędicabãt in illis maximè rebus quę ad religionẽ aliquo modo pertinerent. Cùm enim nepoti ſuo beneficium eccleſiaſticũ ſeptuaginta aureorum nummũ annui redditus contuliſſet, vacaſſétque poſtea aliud, cuius fructus paulo pinguiores eſſent, cuperétque etiam id habere, vix adduci precibus amicorũ potuiſſe, vt ei daret, ſolitúmque dicere, cupio homines beneficiis dare non beneficia hominibus: Tandem decimo quarto Cal. Octob. cum viginti triremibus Oſtiã appulit, vbi Tyberis mare ingreditur. Progreſſus inde, Romam acceſſit. Fortè Romani arcum triumphalem ad portam facere curabãt. Adrianus artifices ceſſare iubet, gentilium id opus eſſe non Chriſtianorum, & eccleſiaſtici ordinis hominum. Poſtero die manè poſtquam Cardinalibus gratias ob electionẽ de ſe factam ampliſſimas egiſſet, hor-


tatúſque eſſet neque exulem aut ſceleratum domi ſuæ eſſe paterentur, in Vaticanum iit tertio Cal. Octob. coronatúſque eſt pompa admodum tenui propter peſtis calamitatem, quæ tum vrbem peruagabatur. Seuerum illum eſſe poſtea deprehẽſum eſt, & qui nimia pertinacia potius quàm indulgẽtia facilitatéque aberraret. Fœminam habitu virili comptam cùm deprehendiſſet, veſtimenta ei detrahi nudaríque iuſſit: atque huius facti ſui cauſam afferebat, Natura fœmineũ ſexum in ea eſſe voluit, nihilominus vult inter viros cenſeri: careat ergo veſte fœminea, careat virili. Delectabatur literis maximè diuinis, nec videre nec ferre ſacerdotem ignarum poterat. Vna hora ante prandium preces ſingulorum audiebat. prandebat ſobriè & ſolus. à prandio vnam horam dormiebat: excitatus deinde quicquid ſupererat tẽporis, dabat ſe adire & alloqui cupientibus. Petentibus Leonis demortui ſtipẽdiariis an eos vellet in famulatu apoſtolico retinere, Quot eſtis, inquit? cùm illi reſpõdiſſent centum ſe eſſe, cruce frõtem muniit, ſéque duodecim ex illo numero retenturum dixit, vt quãto plures haberet ~~ſtipẽdiarios~~ quàm Cardinales ſinguli nutrirent. Denique vultu erat ſereno, nec inſuaui, nec aberat ab Hiſpanica grauitate. Hæc de Adriani vita & moribus dicere cœpimus. Hieronymus Niger aulicus aſſectator illius temporis duabus epiſtolis ad M. Antonium Michaëlem ſcriptis de Adriano narrat. Anno verò inſequenti, quinto Cal. Mart. cùm pontifex quoſdam magiſtratibus ſuis moturus diceretur, accidit vt in huiuſmodi opinione quidam in furorem & inſaniam verſus manu gladium tenens, apoſtolicum cubiculum ingredi vellet, íſque ab vno è cubiculariis repulſus eũ ſtatim occidit, ſéque è veſtigio duobus

ictibus transfigit. Interim nuntius captæ Rhodi insulæ venit, magno omnium Christianorum dolore, Adriani ipsius maximo: cui cùm in hortis Vaticanis Laocoon opus mirabile ostenderetur, respondit, Et hic idolum apud veteres fuit. Statuas itáque profani operis planè respuebat. Cæterùm parum idoneus pontificatui gerendo statim est visus, neque enim doctrina & eruditione sola indiget sũmi sacerdotij magistratus: industria & rerum vsu, imperãti multo magis opus est. Sub eius pontificatu Rhodus capitur à Solimano Turcarum rege: qui nuncius totam ferè Europam perculsit. & qui mitti ab Adriano auxilia obsessis non potuisse nesciunt, ij si in mordaces Actij versus inciderint, quibus breuiter põtificem in Vaticano latentem perstringit furore poëtico potius atque impetu quàm ratione scriptos putẽt. Adriani enim vitam scripsit Iouius aliíque Italico sermone cõplures, qui illum excusant, causámque in vẽtos reiiciunt, Rhodũ nauigaturis tũc contrarios. Sexagesimũ sextum ætatis annum impleuerat, & põtificatus sui ferè secundum, cùm vir optimus condito Louanij in memoriã fortunæ suæ nobili collegio ad iuuẽtutem erudiendam excessit è vita anno à partu Virginis millesimo quingentesimo vicesimo tertio. Maiorem sanè laudem in minori fortuna consecutus, quàm cùm altissimum sacerdotij gradum tenuit; nihil infœlicius in vita ducebat, quàm quod imperaret. His enim verbis epitaphium eius compositũ est. Adrianus sextus hic situs est qui nihil sibi in fœlicius in vita quàm quod imperaret duxit. Etsi Adriani Cæsaris nomen habebat, ídque ne pontifex quidem factus abiecit contra morem maiorum, qui à sexcentis ferè annis aliter fecere. Erasmum, quem aiũt ma-

gnum Germaniæ decus esse, quis nescit Batauum hominē fuisse? ex eadem igitur regione cùm Adrianum sextū esse sciret, etsi videri poterat Lutherana labe infectus, tacere tamē non potuit, hásque ad illum literas dedit. Etenim in
» præfatione ad Arnobij libros ad Adrianū scripta: Cùm fa-
» cilè diuinarem, beatissime pater, quāta gaudiorum ambi-
» tione strepitúque Roma foret exceptura longè gratissimi
» pontificis aduentum, præsertim tot mensibus iam deside-
» ratum, ratio mihi quæsita est vt inter tot millia gratulan-
» tium, inter tot acclamantium & plaudentium agmina, in-
» ter tubarum voces & bombardarum tonitrua, tamen hu-
» milem, exili voce, denique procul etiam absentem non
» omnino meritum agnosceres Erasmum, vt quondam
» tuæ doctrinæ Theologicæ auditorem & integritatis ad-
» miratorem, ita nunc tuæ solicitudinis apostolicæ ouicu-
» lam. Et paulò infrà: non gratulor tibi dignitatem istam, nō
» gratulor patriæ atque etiam diœcesi mihi tecum commu-
» ni (Traiectēsis ea est) cui nunc primùm contigerit Roma-
» num habere pontificē, non ambio vt apud te mihi prosit
» vel patriæ affinitas, vel vetus inter nos consuetudo, sed or-
» bi Christiano gratulor, si, quod fore cōfidimus, ita tracta-
» ris munus apostolicum, vt mundus intelligat tandem Ro-
» mæ contigisse pontificem, cui Christi gloria nihil sit anti-
» quius, quique Petri & Pauli spiritum referat, verius quàm
» titulos. Hæ autem Erasmi literæ libro epistolarū vigesi-
» mo tertio continentur. Adriano sexto designato pontifi-
» ci Erasmus Roterodamus S. Alius hic beatissime pater v-
» niuersam Rhetorices supellectilem in hoc depromeret,
» vt tibi dignitatem istam, qua maior in terris homini non
» potest contingere, gratularetur. Ego verò non sumam vl-
» lam hac in re operam, vt qui certò sciam, quàm ægrè mu-

» nus hoc præter omnem expectationem delatum susceperis. Et fortassis ineptus videar, si inde tibi gratuler, vnde tu suspiras & ingemiscis, non ignarus quàm difficile sit istá prouinciam sic obire, vt functionem tuam approbes principi Christo, cui mox omnium gestorum reddenda erit ratio: præsertim his temporibus, quibus totum Christianæ ditionis corpus, vtraque sui parte, tantis malis laborat, etiamsi non accederent Turcarum atroces minæ, atque adeo iam non minæ tantùm. Sed quo minus est causæ, cur priuatim gratulemur tibi, hoc impensius publicè gratulamur orbi Christiano. Nam hæc rerum humanarum tempestas talem omnino requirebat nauclerũ. Multis enim argumentis in spem vocamur, futurum vt prociam diuinitus delegatam non alij geras quàm Iesu Christo, & huius gregi. Qui vtinam promereatur, vt tuos sanctissimos conatus bene fortunare dignetur, sine cuius fauore inanis est omnis conatus mortalium. Studij erga te mei ceu pignus quoddam nunc mitto Arnobiũ, qui tum fortè erat in manibus, quum huc nuncius omnium lętissimus adfertur, Adrianum sextum rerum gubernaculis admotum: vberius ac plenius idem declaraturus, vbi se dederit oportunitas. Basileæ, anno millesimo quingentesimo vigesimo secundo. Ad eundem Adrianũ Gregorius Cortesius scribit de electione in hunc modum: Tibi potissimũ Adriane sexte, pontifex maxime, Christianum orbem administrandum communi suffragio patres concesserunt. Ea quidem ratione, vt nemo tam vehemens hostis prouidentiæ existat, qui id diuino factum consilio audeat denegare. Ignarus siquidem, & in extremis orbis partibus agens, ad supremum dignitatis fastigium es euectus, quod

tibi potissimùm illi commiserunt, quibus liberum erat præsentem & ex seipsis pontificem creare, cùm ne nomine dicam certè ferè nemo esset, qui te de facie cognosceret. Ac mortuo quidem Adriano Itali deinceps pontificatum in patria ita fixerũt, vt ex sua gente quosdam etiam ne bonos quidem habere maluerint quàm aduenas optimos, quasi ecclesiam Romanam pœnitat Petri, & quos Syria olim & Africa, Gręcia denique suppeditauit Episcopos qui virtute præluxerunt cęteris. At Galli pontificatus possessionem septuaginta annos & amplius Auenione tenuerunt, parum prudenter id quidem factum dicam à nostratibus, nisi Deus voluisset Romam atque Italiam re ipsa experiri quid sit pontificatus cōmodis carere. Sed Calixtus & Alexãder Hispani non in patriam, Adrianus Belga non in Belgium neque in Batauiam transtulit, nec Germani veteres qui honorem illũ in Italia gessere: & Cardinales quidem nulla habita patriæ ratione pontificem bonum etiam apud Indos & disiunctissimas regiones quærere oportet. Etenim iniquum est cęteras gentes summo sacerdotio carere, quod ne summũ quidem sit, si illis careat. nam plura commoda aliũde Romani pōtifices habent, quàm ex Italia, quæ cæteris prouinciis minor fermè est.



CLEMENS VII.



T posthumus & naturalis Iuliani Medices filius ex Rhodio equite quomodo ad pontificiam amplitudinem peruenit Iulius? humanus erat natura propensúsque ad pietatis & officij studia, quę eum reddebunt legitimo propiorem quàm naturali filio. Virtutes enim tantum virium habent, vt spurij dicátur qui mali sunt, qui verò boni censeantur legitimi. Patruelis eius erat Leo, à quo Cardinalis designatus magnas negotiorum moles illo pontifice sustinuit, vnde auctoritas & opes ei accessere. Ac Iulij quidem nomen à pueritia habuit etsi inuicto animo non erat vt Leo, sed timidus natura & cunctáti simillimus, vt Florentini scriptores tradunt. Mortuo autem Leone parum absuit quin pontifex salutaretur à iuniorũ Cardinalium secta: verùm in fatis erat vt Adrianus præcederet ipse ordine, sequeretur seniorum Cardinalium factio. Nitebatur auctoritate & gratia Pōpeij Columnæ Cardinalis ciuísque Romani opib⁹, dignitate & genere maximè illustris. Franciotum Vrsinum collegam illi opponebat Iulius acerrimum hostem Columnensis familiæ, metu ne ille pōtifex fieret, maluit Pompeius Iulio fauere. Itáque seniorum iuniorúmque suffragiis ad Pontificatum ascendit, mutatóque nomine Clemens imposterum dictus est. Erat natura grauis, diligens & assiduus, intentúsque negotiis, alienus à voluptatibus, multarum rerum scientia noti-

tiáque excellẽs, nemo vt eſſet qui nõ optima de illo ſperare auderet, vt ex epiſtola prima Eraſmi colligitur, à qua orditur librum decimũ nonũ epiſtolarũ ſuarum. Clementi
„ ſeptimo Eraſmus Roterodamus S. D. Beatiſſime pater o-
„ ratione vix conſequi queam, quantum animo gaudiorũ
„ conceperim, vbi primùm rumore mox Cardinalis Cam-
„ pegij & eruditorum hominũ literis cognoui, Clementem
„ ſeptimum rerum gubernaculis admotum, talibus animi
„ corporíſque dotibus præditum, quales hæc vndique tur-
„ bulentiſſima tempora poſtulabant: quæ vt ante me publi-
„ cæ tranquillitatis amantiſſimum maiorem in modum diſ-
„ cruciabãt, ita mihi protinus geſtire fecit anim⁹ neſcio quid
„ nouæ fœlicitatis præſagiens; adeò vt magis liberet publicè
„ gratulari orbi Chriſtiano, quàm priuatim tibi. Hæc Eraſ-
„ m⁹ vltimis epiſtolę verbis: Precor beatiſſime pater, inquit,
„ vt dominus Ieſus te velit eſſe noui & aurei ſeculi vindicem
„ & inſtauratorem, id quod vehementer & optamus & fu-
„ turum confidimus omnes. Baſileæ anno 1524. Extat de electione Clemẽtis epiſtola elegans Hieronymi Nigri, qua refert cum renũciatum quinquageſimo comitiorum die, & decimo quarto Cal. Decemb. 1523. præter omnium opinionem atque ſententiam: quòd Columnam & Cornarium ſibi inimiciſſimos tantæ fortunæ artifices habuiſſet, ipſum non impleſſe annum ætatis quadrageſimum ſextũ, itáque deſperandum ſenioribus Cardinalibus nunquam enim quemquam eorum pontificatum adepturum. Mediceis fatalem eſſe etiam amorem literarum eruditorúmque hominũ, atque ſpem inuictã mortalibus illi curæ fore rerum optimarum ſtudia. Clementi autem multis virtutibus ornato ſola ferè liberalitas deerat, ob inopiã ærarij ec-

rij ecclesiastici Leonis temporibus exhausti, quam virtutem si per id tempus habere potuisset, nunquam profectò in tot ærumnas incidisse diceretur, quod eum videre patíque oportuit. nam Pompeium hostem Columnensésque perpetuò inimicos habuit. Romā obsessam ab Hispanico exercitu, eandem captam direptámque vidit. quod à Vandalorum Gothorúmque temporibus nemo prędecessorū suorū viderat: fecítque deditionē sui ea cōditione vt cuncta quę Cæsar absens imperasset, se facturum polliceretur. Extat adhuc epistola eiusdem Hieronymi Nigri ad Marcū Antoniū Michaëlem scripta Romæ nono Cal. Nouemb. 1526. qua vrbem factione gentis Calumnensium ab Hispanis Vgone Moncada duce contra publicam fidem fœdè captā spoliatámque ait, calices, cruces argenteas, atque aureas, ornamenta & pretiosam templorū suppellectilē, asportatē dum vrbe excedere iubentur, trecēta aureorum millia & amplius eis numerata refert, si à Gallis vrbis Romę spoliatio facta esset, præcones tanti sceleris solos Hispanos haberemus. Has quidē ærūnas & calamitates in aduersa prosperáque fortuna æquè constans patientissimè tulit, sperans immortalem Deum & sibi & successoribus quandoque daturum meliora, sicut re ipsa dedit: nam & Cæsari amicus postea fuit. Is erat Carolus quintus fortissimus Imperator, quem Bononiæ sexto Calen. Mart. natali ipsius die coronari anno millesimo quingētesimo tricesimo, posteáque vt Cæsari faueret arma in Lutherum sumi iussit, perniciosæ sectæ damnatæque auctorem. id à Marcello Palingenio paucissimis verbis exponitur his versibus, quos poëta ille elegans fundit in poëmate cui Zodiacus nomen: *--Sed nunc summus parat arma sacerdos*

Clemens Martinum cupiens abolere Lutherum,

Atque ideo Hispanas retinet nutrítq; cohortes. Nec tantũ publicè profuit, sed suos quoque maximis affecit beneficiis. nã Hipolytũ Medicẽ patruelis sui filium in Cardinaliũ collegium adsciuit opulẽtissimis sacerdotiis donatũ. Massiliç vidit Franciscum regem Francorum, eiúsque filio Henrico, qui Rex postea fuit, despondit Catharinam Laurentij Medices iunioris filiam, quam nũc magnis rebus gestis inclitã, miræque prudentiæ & spectatæ virtutis fœminã videmus. Deniq; quod magno solatio Clemẽti fuit, biennio ferè ante mortẽ accepit literas à Dauide Æthiopiç rege lõgè disiunctissimo: magnáque his acceptis lætitiã animo cõcepit. Postmodum Romç in Vaticano sept. Cal. Oct. rebus humanis excessit anno salutis M.D.XXXIIII. ætatis LVI. cũ lõgo & vario, difficilíque morbo antea laborasset. Exẽplum verò literarum Æthiopici regis huiusmodi est. Felix sancte pater, qui à Deo effectus es gentium consecrator, & sancti Petri sedem obtines, tibi datæ sunt claues regni cœlorum, & quodcunque ligaueris, vel solueris super terram, erit ligatum, vel solutum in cœlis, sicut dixit Christus, & ita in Euangelio Matthæus scribit: Ego Rex cuius nomen leones venerantur, & Dei gratia Atani Tingil, id est Thus virginis vocor, quod nomen est à baptismate, nunc verò in ipso suscepti regni initio assumpsi nomen Dauid, dilectus à Deo, columna fidei, cognatus stirpis Iuda, filius Dauid, filius Salomonis, filius colũnæ Syõ, filius seminis Iacob, filius de manu Mariæ, filius Nahu per carnem, Imperator magnæ & altç Æthiopiæ, magnorũ regnorũ & ditionum, & terrarum, Rex de Xoa, de Caffate, de Fatigar, de Angote, de Baru, de Bellinguágue, de Adeõ,

„ de Vangue, de Goiame, vbi Nilus oritur, de Amara, de „ Baguemidri, de Ambea, de Vague, de Tigrimhao, de Sab- „ baym, vnde fuit regina Sabba, de Bernegaes, & dominus „ vſque ad Ægyptũ. Eæ prouincię omnes ſunt in mea pote- „ ſtate, pleræque aliæ magnę, & item paruæ, quę nunc à me „ nequaquam numerantur, neque regna & prouincias ſuis „ nominibus expreſſi, veluti ſuperbia, & vana gloria „ inductus, verùm ob id vt ſummus Deus magis ac ma- „ gis laudaretur, qui ſingulari benignitate tot ampliſſi- „ morum regnorũ Chriſtianæ religionis ſuperioribus meis „ regibus imperia tribuiſſet, ſed profectò me clariore gra- „ tia inter alios Reges dignum fecit, vt religioni conti- „ nuè inſeruirem. Quoniam me Abel dominum fecerit, „ hoſtem Maurorum & Gentilium, qui adorant idola. Mit- „ to ad deoſculandos pedes ſanctitatis veſtræ more cætero- „ rum Chriſtianæ fidei regum fratrum meorum, quibus „ neque religione, neque potentia ſum inferior. Ego etenim „ in Regnis meis ſum columna fidei, neque externis iuuor „ auxiliis, quum in ſolo Deo ſpem & opem reponam, qui „ me ſuſtinet, & gubernat ab eo tempore quo Angelus „ Dei allocutus eſt Philippum, qui fidem doceret Eunuchũ „ potentis reginæ Candacis reginę Æthiopiæ, quæ à Hie- „ roſolyma Gazam pergebat. Philippus tum baptizauit Eu- „ nuchum: & Eunuchus demũ Reginam cum magna parte „ familiæ & populi eius, qui nunquam deſierunt eſſe Chri- „ ſtiani, omníque ſequenti tempore perſtiterunt fortes in „ fide, prędeceſſores verò mei nulla alia ope adiuti, quàm „ diuina, fidem in latiſſimis Regnis propagarunt, quod & „ ego quotidie efficere contendo. Maneo etenim intra ma- „ ximos regnorum meorum fines, vt Leo ingenti ſylua cir-

„ cundatus & ſeptus aduerſus Mauros obſidentes, & alias „ nationes fidei Chriſtianæ inimiciſſimas, quæ nolunt audire verbum Dei, neque cohortationes meas, & ego „ gladio accinctus eos perſequor, & paulatim extrudo diuino ſcilicet fretus auxilio, quod nunquam mihi deeſt, „ quod ſecus accidit regibus Chriſtianis. Nam ſi regnorum „ ſuorum fines extendunt, id facilè poſſunt aſſequi, quoniam alter alteri fert opem, & auxilia ſubminiſtat, iuuantúrque benedictione veſtræ ſāctitatis, cuius particeps ego „ ſum, cùm in libris meis literæ habeantur, quas ſuperioribus temporibus Papa Eugenius cum benedictione miſit ad Regem ſemen Iacob. Qua accepta, & tradita per manus benedictione, ego fruor, & magnopere „ lætor: cæterùm ego in magna habeo veneratione ſanctum „ templum in Hieruſalem, ad quod ſæpiſſime mitto oblationes debitas per noſtros peregrinantes. Et multo plures „ & pinguiores mitterem, niſi itinera à Mauris, & infidelibus obſiderentur. Nam præter illud, quod dona noſtra & „ theſauros nunciis eripiunt, etiam eos liberè pertranſire nō „ permittunt. Quòd ſi paterent itinera, in familiaritatem, „ & commercium Romanæ eccleſiæ deuenirem, vti fit à cæteris Chriſtianis regibus, quibus in religione Chriſtiana „ non ſum inferior, & ita vt illi credunt, vnam fidem rectam „ & vnam eccleſiam cōfiteor, credóque ſinceriſſimè in ſanctam Trinitatem & in vnum Deum, & in virginitatē dominæ noſtræ virginis Mariæ, & articulos fidei teneo & obſeruo vti ab Apoſtolis conſcripti fuerunt. Nunc Deus optimus manu potentiſſimi, & Chriſtianiſſimi Regis Emanuelis iter patefecit, vt per legatos conueniremus, & in fide coniūcti Chriſtiani cum Chriſtianis Deo inſeruiremus.

» Sed dum in aula mea eius oratores essent, allatum est eum
» vitam cum morte commutasse, filiúmque eius, fratrem
» meum Ioannem paterni regni sceptrum accepisse. Vnde
» sicuti ex patris morte summum senseram dolorem, ita ex
» filij fœlici in regnum assumptione, mirificè sum lætatus,
» adeo vt sperem nos communibus copiis & viribus per re-
» giones Maurorum pessimorum terra maríque iter apertu-
» ros, atque eos magno terrore illato sedibus & regnis esse
» depulsuros, vt commodo pacatóque itinere Christiani
» Hierosolymitanum templum petere, & liberè commeare
» possint. Atque ego in primis sicuti vehementer exopto di-
» uini amoris particeps esse possim in templo apostolorum
» Petri & Pauli, cupio autem ingenti desiderio consequi sa-
» crosanctam benedictionem à Vicario domini nostri Iesu
» Christi. Nam proculdubio sanctitas vestra Dei est Vica-
» rius, & cùm à peregrinis, qui ex regionibus nostris ad Hie-
» rusalem, atque inde Romam non sine miraculo eunt, &
» redeunt, multa de sanctitate vestra ab his audio, quæ mihi
» incredibilem afferunt voluptatem & gaudium. Sed multò
» maiorem omnino caperem lætitiam, si mei oratores bre-
» uiore itineris compendio vti possent, & noua refer-
» rent. Sicuti antequam moriar aliquando allaturos spe-
» ro, non sine gratia Dei omnipotentis. Qui vos in sani-
» tate, & sanctitate conseruet. Amen. Exosculor autem pe-
» des sanctos, & supplex oro, vt benedictioné ad me mittat.
» IN NOMINE DEI PATRIS omnipotentis creatoris cœli
» & terræ, visibilium & inuisibiliũ. In nomine Dei filij Iesu
» Christi, qui est idem cum ipso à principio mundi, & est lu-
» men de lumine, & Deus verus de Deo vero. In nomine
» Dei spiritussancti Dei viui, qui processit ex Deo patre. Has

» literas is ego Rex mitto, cuius nomen leones venerantur,
» & Dei gratia vocor Atani Tinghil, id est, Thus virginis,
» filius Regis Dauid, filius Salomonis, filius Regis per ma-
» num Mariæ, filius Nahu per carnem, filius sanctorum Pe-
» tri & Pauli per gratiam. Pax sit tibi iuste domine pater san-
» cte, potens, pure, sacrate, qui es caput pontificum om-
» nium, & neminem metuis, cùm nemo possit tibi maledi-
» cere. Qui es vigilantissimus supra animas, curator & ami-
» cus peregrinantium, consecrate magister & prædicator fi-
» dei, & earum rerum hostis quæ conscientiam offendunt,
» amator optimorum morũ, vir sanctus quem omnes lau-
» dãt, & benedicunt. O fœlix sancte pater, ego tibi reueren-
» ter obedio, quum sis pax omnium, & cuncta bona merea-
» ris, & ita æquum vt omnes tibi obedientiam præstent, si-
» cuti sancti Apostoli præcipiunt apud Deum, hoc verè ve-
» strum est, ita etiam pręcipiunt vt veneremur Episcopos,
» Archiepiscopos & Prælatos. Similiter, vt te loco patris a-
» memus, & loco Regis vereamur, & tibi vti Deo fidem ha-
» beamus. Propterea dico ego humiliter ad terram genibus
» flexis tibi pater sancte, sincero admodum corde, quod tu
» pater meus es, & ego filius tuus. O pater sancte potentissi-
» me, cur neminem vnquam ad nos misisti, vt certius de vi-
» ta saluteque mea cognosceres? Quum tu sis pastor, & ego
» ouis tua. Bonus etenim pastor sui gregis nunquam obliui-
» scetur, nec tibi à regionibus vestris nimiũ semotus debeo
» existimari, vt nuncij ad me nequeant peruenire, cùm ex re-
» motissimis terrarum regnis Portugalliæ Rex Emanuel fi-
» lius tuus oratores ad nos cõmodissimè miserit, & si Deus
» eum ad se in cœlum euocare distulisset, ea quæ tum agita-
» bamus procul dubio fœlicem exitum habuissent, nunc ve-


rò maximè opto proſpera & ſalutaria de ſanctitate veſtra per certos nuncios audire, neque enim vnquam verbum à ſanctitate veſtra recepi, quum aliqua tantùm à noſtris, qui ex voto peregrinãtur audierim, ſed hi cùm neque meo nomine proficiſcantur, neque quidquam literarum à vobis afferant, in certa fide nobis percunctantibus dicunt ſe ab Hieroſolyma, deinde ſolutis votis ad vſitanda Apoſtolorum limina Romam perueniſſe, cùm intelligant ea loca facilè peti, quod à Chriſtianis teneantur. & certè ſummam capio ex eorum ſermonibus voluptatem, quoniam dulciſſima cogitatione ſancti vultus tui imaginem intueor, quæ mihi angeli formæ ſimillima videtur, & illam ſicuti angelicam me diligere veneraríque fateor, ſed profectò mihi eſſet gratius atque iucundius verba tua, tuáſque literas deuotiſſimè contemplari. Atque ita nunc te oro vt nuncium tuum cum benedictione ad me mittere velis ad exhilarãdum cor meum. Nam cùm in religione & fide conſentiamus, id mihi ante omnia videtur expetendum, ſupplicitérque item oro, vt amicitiam meam ad inſtar annuli quem induis in digitum, & torquis aurei quem humeris imponis, in intimum cor reponere velis, vt mei memoria nunquam ex animo veſtro deleatur. Gratis etenim verbis & literis amicitia maximè creſcit, quum eam ſancta pax complectitur, è qua omnis humana lætitia facilè prouenit. Quemadmodum enim is qui vehementer ſitit, frigidam maximè aquam deſiderat, vt in ſacris ſcripturis habetur, ita animus meus ex nunciis, & literis, quæ ex remotiſſimis terris deferuntur, incredibile gaudium concipere ſolet, neque tantummodo de ſanctitate veſtra, ſi aliqua audiero, verùm ſi certa de ſingulis terræ Chriſtianæ Regibus refe-

» rentur, mirum in modum lætabor, ſicuti his accidit qui
» prœliando opima ſpolia reperiunt & legunt. hoc enim fa-
» cillimè fieri poteſt, poſtquam Rex Portugalliæ totum id
» iter aperuit, qui ad nos iampridem legatos ſuos miſit, cum
» ſtrenuiſſimis equitibus, dum pater meus Rex Emanuel ad-
» huc eſſet in humanis, neque tum aut demum à quoquam
» alio Rege Chriſtiano, vel ipſo pontifice aut nuncium, aut
» omnino literas recepimus. Quamquam in noſtris Archi-
» uiis proaui noſtri earum literarum memoria conſeruetur,
» quas Papa Romanus, nomine Eugenius ad has terras mi-
» ſit, quum regnaret ſemen Iacob Rex regum in vniuerſa Æ-
» thiopia Rex metuendus. Præſcriptio autem literarum hæc
» erat, Eugenius Romanus pontifex filio dilecto noſtro re-
» gi ex ſemine Iacob regi regum in vniuerſa Æthiopia ma-
» ximè metuendo, &c. In ſumma autem literarum ſignifi-
» cabat filium ſuum Ioannem Palæologum, qui biennio an-
» te eſſet mortuus regem regum Romæorum ad ſacroſan-
» ctam ſynodum celebrandam euocatum fuiſſe, & cum eo
» Ioſephum Patriarcham Conſtantinopolitanum veniſſe
» cum magno numero Archiepiſcoporũ & Epiſcoporum,
» & omnis generis Prælatorũ, in quibus etiam fuiſſent pro-
» curatores Patriarcharum Antiocheni, Alexandrini, & Hie-
» roſolymitani. Qui omnes ſecum ſanctæ fidei & religionis
» amore firmiter ſe coniunxiſſent, conſtitutáque vnitate ec-
» cleſiæ ſublatas fuiſſe antiqui temporis difficultates non ſi-
» ne diuino auxilio, quæ erroneæ & religioni contrariæ vi-
» debantur, quibus rebus ritè ſancitis & conſtitutis ipſe Papa
» omnibus ſingularem lætitiam pepeciſſet. Hunc autem li-
» brum Papæ Eugenij ad vos mittimus, quem incorruptum
» ſeruauimus, totum etiam Pontificiæ benedictionis ordi-
nem

" nem & potestatē misissemus, nisi harum rerum nimis magnum volumen esse videretur, quum magnitudine librum Pauli ad gentes omnino superet. Legati verò qui hæc à pontifice ad nos detulerunt, fuere Theodorus, Petrus, Dydimus, & Georgius serui Iesu Christi. Tu verò sāctissime pater rectè feceris, si euolui vestros libros iusseris, vbi harū rerum, de quibus scribimus, vti facilè arbitror aliqua memoria reperiatur. Itaque sancte pater si aliqua ad nos perscribes, firmiter existimato cuncta in nostros libros diligentissimè fore conscripta, vt posteris nostris earum rerū sempiterna memoria relinquatur. Et certè is mihi beatus esse videtur, cuius memoria custodita literis in vrbe sancta Roma, & in sede sanctorum Petri & Pauli conseruatur. Hi enim sunt domini regni cœlorum, & totius mundi iudices: & quoniam ita credo, propterea has mitto literas, vt mihi gratia paretur apud sanctitatem vestram, & vestrum sanctissimū senatum, vt inde sancta benedictio mihi proueniat, & bonorum omnium incrementum. Obnixè etiā precor sanctitatem vestram, vt mihi mittere velit aliquas sanctorum imagines, & præcipuè beatæ Mariæ virginis, vt sepissimè sit in ore atque memoria mea nomen vestræ sanctitatis, & continuam ex muneribus vestris capiam voluptatem. Idcirco etiam vehementer postulo, vt mihi artifices mittatis qui imagines fabricent, atque item enses & arma bellica omnis generis, itémque cælatores auri atque argenti, & fabros lignarios præcipuè architectos, qui domos ex lapide construant, & tegulas ex plumbo cupróque ducere sciāt, quibus domorum tecta protegantur. Ad hoc etiam nobis admodum chari erūt, qui vitrum conflare, organáque musica scitè facere & doctè pulsare sciant. Item-

» quae fistulatores & tibicines. Hos verò artifices ex domo
» vestra praecipuè mihi mitti vellem, vel si horum domi ve-
» strae exigua erit copia, ab aliis regibus filiis vestris eos san-
» ctitas vestra poterit impetrare, quoniam vestris imperiis
» & nutibus facilè obediũt. Hi cùm ad me peruenerint, pro
» meritis summo in honore habebũtur, ex liberalitate mea
» mercedem amplam accipient, & si domum aliquis redire
» concupiscet, praemiis abundè ornatus abibit vti placuerit,
» quando nec inuitum quenquam sim retenturus, cùm fru-
» ctum aliquem ex eius industria percepero. Nunc ad alia
» transeundum est, & iam à te postulo sanctissime pater, cur
» non hortaris reges Christianos filios tuos, vt arma depo-
» nant, & vti fratres decet inter se cõcordes esse velint? post-
» quam ipsi oues tuae sunt, & tu ipse pastor earum? optimè
» quidem tua sanctitas nouit, quid euangelium praecipiat,
» quod dicit: Omne regnum in seipsum diuisum desolabi-
» tur. Nam si Reges animis & foedere certo consentient, fa-
» cillimè Mahumetanos omnes delebunt, & pseudopro-
» phetae sepulchrũ, quod in vrbe Mecha est, foelici irruptio-
» ne disturbabunt & diruent. Ob hanc rem da operam pater
» sancte, vt inter eos bona pax fiat, & certum foedus amici-
» tiae percutiatur: hortaréque eos, vt mihi adesse atque o-
» pem ferre velint, cùm in regnorum meorum finibus à
» Mahumetanis Mauris pessimis hominibus sim ex omni la-
» tere circundatus. Ipsi autem Mauri Mahumetani inter se
» mutuis auxiliis vtuntur, regésque cum regibus, & reguli
» cum regulis aduersus nos sincerè & constantissimè con-
» ueniunt. Mihi Maurus quidam admodum est vicinus, cui
» finitimi alij Mauri arma, equos, atque instrumenta bel-
» lica suppeditant. Hi sunt reges Indiae, Persidis, Arabiae, at-

» que Ægypti. Quibus de rebus singularẽ animō in dies ca-
» pio molestiam, cùm hostes Christianæ religionis frater-
» na charitate inter se coniunctos pace frui conspiciam, Re-
» ges verò Christianos fratres meos nihil omnino istis in-
» iuriis commoueri, neque vllam opem mihi afferre, vti cer-
» tè deceret Christianos, postquam fœdissimi filij Mahu-
» metis inter se mutuis opibus adiuuantur. Neque ego is sum
» qui ad id militares copias postulem, cùm milites mihi su-
» persint: orationes & supplicationes tantùm peto, locúm-
» que gratiæ apud sanctitatẽ vestram & reges fratres meos
» exopto: quærenda enim mihi est hæc vobiscum amicitia,
» vt copiosè his rebus, quas suprà postulaui, ad terrorem
» Maurorum sim instructus, & Christiani nominis vicini
» mei intelligant reges fratres meos singulari studio mihi
» fauere, atque opem ferre. quod certè ad commune decus
» pertinet, postquam in vna religionis & fidei veritate cō-
» sentimus, & in eo consilio sumus permansuri. Quod firmū
» ac absolutum erit cum eo quod vtilius eueniet. Deus itá-
» que desideria vestra impleat super laudibus Iesu Christi,
» & Dei patris nostri, quem omnes laudant per omnia sęcu-
» la, & tu domine pater sancte cōplectere me cum omnibus
» sanctis Iesu Christi, qui sunt Romæ, & pariter in hos
» amplexus recipiantur omnes incolæ regnorum meorum,
» & qui Æthiopiam inhabitant, & reddatur gratia Domi-
» no Iesu Christo cum spiritu vestro. Has verò literas sancti-
» tas tua accipiet de manu fratris mei Ioannis Regis filij po-
» tentissimi Regis Emanuelis per oratorem nostrum Fran-
» ciscum Aluarez.



PAVLVS III.



CLEMENTE mortuo cõclaue ingressi Cardinales Alexãdrũ Farnesiũ põtificẽ summa concordia consensúque omnium dicũt. Romanus erat, antiquissimúsque Cardinalium, annum natus septuagesimum septimum, imbecillo vt videbatur corpore, neque diu victuro. Iacob Mantinus Hebræus præfatione in commẽtarium Auerrois quem is scripsit ad libros de republ. Platonis, & Paulo tertio à se conuersum ex Arabica lingua mittit: Qui primus, inquit, Farnesiorum cognomen in gentem tuam intulit, is (mea quidem sententia) nescio quo numine afflatus prænuntiasse videtur, aliquando fore, vt eius nominis ratio in sempiterna temporum serie inuoluta, insigni aliquo dignitatis gradu immortalis efficeretur. Pharnes enim Hetruscorum lingua, quæ meo iudicio Assyria est, & vt patria Hebræis recepta, pastorem atque gubernatorem significat: & sic Deus Pharnes Israëlis apud eos vocatur. Salomon quoque in grauissimo suo poëmate populum in hunc modum introducit loquentem: Amicus meus mihi, & ego illi Pharnes inter lilia, id est pastor, vt iam non obscurè ad gẽtilitia tua insignia allusisse intelligatur. Quod nomen ex antiquissima Hetruscorum origine in tuæ B. familia, ceu diuinum quoddam oraculum, relictum existit, quo tibi summum in Christicolas imperium promittebatur. Cùm igitur diis, hominibúsque fa-

» uentibus in custodia quadam totius Christiani gregis sis
» constitutus B. P. diu mecum consideraui, quidnam in pu-
» blica lætitia tibi afferrem, quod animum meum S. T. de-
» uotissimum, mirificúmque desiderium ratione aliqua de-
» clararet. Quantam ex electione eius lætitiam Quirites cõ-
ceperint animis, quis oratione complecti possit? à centum
retrò tribúsque annis, tredecímque pontificibus in Apo-
stolica sede nemo ciuem Romanum viderat: hunc verò sa-
lutauere fœlicibus auspiciis, qui Paulum tertium præcla-
ro augusti apostoli nomine se appellari iuberet, propte-
rea quòd sedente Paulo secundo Carni in Hetruria natus
esset in paternæ ditionis oppido: eum optimis disciplinis
Florentiæ instructum Alexander sextus Cardinalem fece-
rat: illo postea mortuo successores eius Pium, Iulium, Leo-
nem, Adrianum, Clementémque officiosissimè semper
coluerat: sed promotio eius vsque ad Clementis obitum
dilata est æterno cœlestium cõsilio, qui dona sua cùm vo-
lunt mortalibus oportunè largiũtur, vt tunc fecere. Nouus
enim pontifex ad fœliciora tempora seruabatur, id est, ad
annum millesimum quingentesimum tricesimum quar-
tum, cúmque mirabili prudẽtia instructus esset, in adoles-
tia enim ac virili ętate multa passus fuerat, illud de senectu-
te sua vaticinium proferre erat solitus, *Confectum senio melior fortuna sequetur*, ídque vti prædixerat, tandem e-
uenit, vt Lucas Cõtilis epistola ad Tassum refert. At Sadole-
tus Episcopus Carpentoracti omnium iudicio vir lauda-
tissimus præclaram ad Paulum epistolam dedit, dignám-
que mortalium oculis, quę in hunc modum se habet: Pau-
» lo tertio põtifici maximo. Primùm sicuti debeo sanctita-
» ti tuæ gratulor, quòd ad dignam sua virtute & prudentia

„ rerum administratione vocata, amplam habitura facultatē est, sese in maximis humani generis vtilitatibus & cōmodis exercendi. Quæ vna actio cum propria summi istius honoris, tum beatæ & iucundæ vitæ effectrix mihi videtur. Et cùm hoc gratulor, tum illud maximi facio, quod sine ambitione vlla, sine mora, contradicente nemine, omnibus suffragiis statim renunciata est: vt renunciatio indicium fecerit dignitatis: ipsa verò celeritas renũciandi apertè ostenderit, tantam támque eximiam virtutem, quanta in te semper fuit, ad tãtos motus rerũ quibus iactatur Respu. sedandos, & ad salutarem portum consiliis sapientibus dirigendos, quam primùm & quam maximè necessariam esse: Itáque & nomen & virtus, & dignitas tua, tanta nunc apud omnes in opinione est: ita tua ad summum pontificatum electio ab omnibus est accepta, vt non hominum consiliis, sed diuinitus facta esse videatur. Atque hæc quidem & populi huius in quo ego versor, & omnium Galliç populorum ac principum est sentẽtia: audio enim multorum voces, & video vultus, vt enim quisque hac habet iter, ita ferè congreditur & colloquitur mecum. Non equidem possum tantum quantum res est, præscribere: sed hoc certè scribo, quod intelligo, & sentio, nunquam animos hominum lætiores, nunquã prędicationes magis honorificas, nec crebriores laudes de vllo Rom. Pont. extitisse: vt iam non sanctitati tuæ me gratulari, sed Christiano nomini vniuerso magis conueniat. Et certè si res veritásque spectetur, boni & prudentis viri imperium procuratio est aliorum salutis, cuius fructus vtilitásque ad alios, ad ipsum verò qui imperat, voluptas & lætitia rerum bene gerendarum peruenit: Habent igitur Christianæ nationes quod expetebant: Pont.

» maximum integra fama, summa virtute, singulari sapien-
» tia præditum. Roma verò ipsa orbis terrarum caput, sum-
» mi domicilium pontificatus; præter gaudium de princi-
» pe, quod commune omnibus est, qua præcipuè affici
» voluptate est existimanda? quæ siue suo & nobilissimo
» quidem, siue quæ tanto munere Dei immortalis, tãtis ho-
» noribus, tot præmiis ornata, aucta condecoratáque est? In
» quam tuæ sanctitatis liberalitas continuò se effudit: ipsó-
» que statim pontificatus initio ciuibus suis ostendit, quàm
» beneuolo animo eos amplecteretur, quos haberet patriæ
» charitate, qua nulla est sanctior, sibi coniunctos. Sed ego,
» qui te quàm plurimis ab hinc annis probè habeo cognitũ,
» qui ad has populares tuas illustrésque virtutes, illas etiam
» domesticas scio adiunctas esse, humanitatem, affabilita-
» tem, comitatem, & quam ego plurimi semper feci, fació-
» que bonarum artium omnium, literarúmque, egregiam
» scientiam: is sum præter cæteros, qui omnibus debeo exul-
» tare lætitiis. Nam & mihi amantissimo Reipubl. optimi
» principis imperium maximo gaudio esse debet: & virtu-
» tes venerantis prudentissimũ, & literis dediti doctissimũ.
» Illud verò non minimam ad animi mei lætitiam iucundi-
» tatémque augendam pertinet, quòd inter sanctitatẽ tuam
» & me familiaritas aliquando aliqua intercessit: quæ etsi
» minus fuit quotidianis à me officiis culta, propter diuersa
» quidem vtriusque nostrum vitæ studia, dissimilésque oc-
» cupationes: tamen neque ego vnquam tuam erga me be-
» neuolentiam desideraui, neque sanctitas tua meam erga
» se obseruantiam non cognouit. Quam nunc quidem fa-
» miliaritatem & amicitiam ad alia vocabula translatam esse
» vehementer gaudeo. Non enim mihi posthac ad amicum,


» & ad patronum, ſed ad principem & dominum confu-
» giendum erit, ampliore eius poteſtate benignè mihi fa-
» ciendi, ſi vſus venerit: eadem, vt ſpero, volũtate. Quapro-
» pter ago Deo omnipotenti maximas meritáſque gratias,
» qui populo ſuo tam neceſſario tempore, talem pontifi-
» cem præficere eſt dignatus: Tibíque vnà & cuncto Chri-
» ſtiano nomini iterum ac ſæpius gratulor. Fore enim con-
» fido, vt tua dignitas, atque gloria, cum ſalute & maxima
» vtilitate Chriſtiani generis coniuncta ſit futura. Quod ve-
» rò ad me propriè attinet, quoniam non habeo verba qui-
» bus ſenſum animi mei planè exprimam, ſanctitatem tuam
» precor, vt pro ſua prudentia expendere ipſa & conſiderare
» velit, quo me gaudio repletum eſſe oporteat, ex honore
» ſũmo amiciſſimi viri, doctiſſimi hominis, prçſtãtiſſimi ci-
» uis (ſi quidem ego quoque iampridem ciuitate Romana
» donatus ſum) quódque imprimis & ſuper omnia lætandũ
» mihi eſt, optimi Pontificis, & prudentiſſimi, & liberaliſ-
» ſimi: vt in tot cauſis lætandi & gratulandi, cùm gaudium
» meum abundet, verba animi non ſuppetant, ſi tuæ ſancti-
» tatis interiorem voluntatem meam, ardentem ſtudio at-
» que amore, nõ hæc externa voluntatis indicia, quæ in mea
» oratione frigidiora multò ſunt, accipere & comprobare.
» quod ſi illud quoque non me indignum eſt, nec tibi ingra-
» tum, petere me à meo Principe quæ mihi opus ſint: cùm
» ego pater ſancte iam diu me in hanc meam eccleſiaſticam
» prouinciam receperim, neque ambitionis ſtudiis, neque
» opum aut diuitiarum deditus cupiditati, vitámque in ea
» mediocritate traducam, quæ tantùm ad propulſandas ne-
» ceſſitates idonea ſit: vnam illã habeo curam, aſſiduámque
» in animo meo cogitationem, vt huic ſanè tenui & puſillo
gregi,

" gregi, qui tamen mihi pro mea paruitate nimis magnus
" videtur, mea industria & diligentia alicui emolumento ad
" Christianas virtutes agnoscendas, easdémque colendas
" esse possit. In quo sanctitas tua plurimùm me adiuuerit,
" si iura quædam & facultates, quas mihi semper amabilis &
" commemorandus pontifex Clemens septimus concesse-
" rat, ratas mihi & firmas esse iusserit. Quod vt faciat, omni
" eum animi studio rogo atque deprecor. Deus sanctitatem
" tuam, pater beatissime, incolumem nobis perpetuò con-
" seruet. Pridie Idus Decemb. M. D. XXXIIII. Qua qui-
" dem epistola Sadoletus Pauli electionem vti legitimam laudat, eiúsque actiones & facta consequentibus epistolis commendat. Igitur suscepto pontificio onere, Christianæ gētis pietatē quomodo amplificaret atque augeret, omni studio quæsiuit, quomodo itē mederetur Germaniæ malis Lutherana peste laborātis, deniq; qua ratione Europa à Turcarum incursionibus liberaretur, ad eam rem neruos animi omnes intendit: ac statuebat Niceam pergere concordiæ & pacis causa, etsi senectus ipsa quæ morbus est, satis impedimēti afferebat. Quod cùm aggredi pararet, Andreas Taurinus familiaris medicus à profectione eum auertere conabatur, perinde enim facturū ac Ægyptiū olim heremitam, qui solitudinē ingressus vt pacem inter deū & dæmonē cōponeret, nihil à dęmone obtinere potuit. Hispanum scommate illo perstringēs, fortè quòd ea gens ob innatam fuscedinem cacodæmonum persimilis esse videatur. Simile quiddam Paulo euenit, arbitrum enim pacis inter reges sese constituens, inducias tantùm in decennium retulit. Atque eodē anno qui fuit millesimus quingentesimus tricesimus octauus, quantum in actis Parisien-

ſis Senatus inuenio, cùm eſſet ad Niceam maritimum oppidum ſubalpinæ gentis Franciſco Rege Francorum poſtulante, Cancellario eius, Præſidentibus & Conſiliariis regiis, qui Senatum Pariſienſem faciunt, id prærogatiuæ iuríſque dedit, vt quilibet eorum etiamſi laicus ſit, poſſit tamen ad beneficia eccleſiaſtica ſecularia vel regularia, ſic enim loquitur, infra valorem ducentarum librarum propinquos, familiares aut alioqui idoneos collatoribus nominare, quod olim Carolo ſeptimo poſtulante Eugenius quartus conceſſiſſet. At Paulus cùm videret decennales inducias Reipubl. datas vndecimo Cal. Iunias anno octauo pontificatus, qui fuit milleſimus quingenteſimus quadrageſimus ſecundus, bullatis ſolemnibus literis ſynodum indicit: ea Tridentina dicta eſt, à Tridento vrbe in confinio Germaniæ Italiæque poſita. Sed de hac ſynodo dicam ſuo loco. his rebus geſtis & põtificatu rectè adminiſtrato Paulus decedit octuageſimo primo ætatis anno. Iouius longiorem illi vitam optabat, & qualem Ioannes vigeſimus ſecundus habuiſſet, permultique aſtrologi longè diuturniorem prædicebãt. Pontificatus autem ſui annum ingreſſus decimum ſextum & febri correptus obiiſſe dicitur, de quo viro poſt Guichardinũ, Onuphrium & alios hiſtoriarum ſcriptores quid eſt quod cupiam dicere? dicam tamen cum laudato viro Paulo Manutio pontificem hunc ſapiẽtiſſimum atque optimum fuiſſe, qui & ipſe Deo probatus erat, & nõ probabat niſi ſui ſimiles. Id ſanè poſt deceſſum eius cognitum eſt, cùm ex Cardinalibus ab eo inſtitutis ſummi pontifices fuerint Iulius, Marcellus, Paulus, & Pius ſucceſſores, quod forſan pontifici cõtigerat nulli, nec perdat nobiliſſimi facti gloriam Paulus. nam vir ſingulari pru-

dentia atque admirabili animi magnitudine præditus simul ac pontifex maximus factus est, vt initium rerum actionúmque suarum ab illustri aliqua laude duceret, faciendum esse sibi existimauit, vt, qui quaque in ciuitate, quibusque in terris homines essent, illustri quadam aut pietatis, aut prudentiæ, aut doctrinæ laude celebrati; illos vltrò ipse, eam dignitatem haud quaquam petentes, ac ne tale quidem quicquam suspicatos, amplissimum in Cardinalium collegium cooptaret. Ea re sperabat cùm pontificatus, collegiíque, tot clarissimorum hominum accessione facta, auctum iri maiestatem, tum specimen se quoque suæ virtutis maximum cùm dedisset, magnam de se famam, opinionémque esse facturum. Itáque semel atque iterum, magna cura, magna adhibita diligentia, summos viros peruestigauit atque delegit; quibus grauissimam illam dignitatem, nimio à plerisque opere sæpe frustra ac ne quicquam expetitam vltrò mandaret: quo facto opinione maiorem est gloriam consequutus. Idque præclarum factum Ioannes Casa recitat in vita Bembi, quem tum Paulus Cardinalem esse iussit. Ad hunc honorem Sadoletum etiam vocauit, magnũ sine dubio virum, nec vtar alieno testimonio vt id probẽ: etenim epistola ad Philippum Melancthonem, E mea, inquit, Carpẽtoratẽsi ecclesia vbi decennio manseram, euocatus pontificis Pauli optimi & prudẽtissimi literis, tacitè inscius atque imprudens in amplissimum ordinem S. R. E. Cardinalium cooptatus sum. Præter hos eruditissimos viros in idem collegium adlegit Reginaldum Polum, in Britannia, quæ Angliam se dicit, summo natum loco, regiáque stirpe prognatum, sed pręter has dotes armis eloquẽtiæ & pietatis Chri-

ſtianæ virtutúmque omnium teſtimonio fulgentem, tametſi quid eſt neceſſe Bembum, Sadoletum, vel Paulum laudare, cùm eorũ opera memoriæ mandata permaneant? Addo his clariſſimis viris Gregorium Corteſium Mutinẽſem, qui monaſterio apud Lerinũ inſulam & diu & ſanctiſſimè prefuit, poſteáque ab eodem Paulo ſimili honore ob ſingularem eruditionem vitæq́ue integritatẽ donatus eſt. Nec prætereo Alexandrum Farneſium, qui etſi adoleſcens à patruo factus eſt Cardinalis, multis poſtea rebus preclarè geſtis magnis Europe principibus innotuit. Eruditos quoque viros omnis generis libenter audiebat, ſed mathematicos potiſſimũ de vitæ longitudine diſputãtes, & poëtas, præſertim ſi Horatium amarent, illum enim cæteris omnibus præferebat, ac interdum inter ſeria facetiis delectabatur Baccij feſtiuiſſimi monachi, à quo cùm pontifex quæreret ecquis dies maximè feſtus atque hilaris Romæ haberetur? is non minùs facetè quàm verè reſpondit, eum quo pontifex moritur, & quo accipit ſucceſſorem. Caluinus libro quarto inſtitutionum trium pontificum Leonis, Clementis & Pauli vitam vno verbo ſibi complexus videtur, cùm ait, crudelis fuit Leo, ſanguinarius Clemẽs, truculentus eſt Paulus. Sed non tam eos natura ad impugnandam veritatem impulit, quàm quòd vna hæc illis ratio erat tuẽdæ ſuæ potentie. quod quidem elogium vna litura delendum cenſeo. Nam ſi quos vmquam humanos pontifices Roma habuit, hi fuere, omni clementia & manſuetudine præſtantes, ac non in hereticos quidem admodum ſeueri niſi ſi legum ſeueritatem Caluinus ſæuitiam appellat.



IVLIVS III.



SVPREMA morientis Pauli ad Cardinales vox fuit, vt optimum sibi successorem deligerent. At nescio quo fato illi adunati ferè ad quinquaginta quem potuerunt post summas dissensiones distractionésque animorum pōtificem effecere. Iustitiæ, integritatis, diligentiæ, lenitatis animi maximum specimen atque exemplar ab iis electū, celeberrimus vir Petrus Victorius fuisse dicit in ea oratione quam initio pontificatus admodum senex ad Iulium habuit. Ioanni huic nomen fuit in ipsa vrbe nato, Vincentius pater iurisconsultus magno apud ciues auctoritatis atque nominis, Aretinum tamē à paterni agri natalibus eum postea dixere: in celeberrimis Italiæ Gymnasiis iuri ciuili operam dederat, quo veluti præsidio eruditus & eloquens sub Iulio secundo ad Lateranum præclaram orationem habuit adolescens, quæ illi multorum animos conciliauit, & in iis potissimum Pauli tertij, à quo postea inter Cardinales relatus est, vir procera quidem statura, vultū subagrestem, prolixam barbam, nasum grandiorem, oculos acres ad pontificatum attulit, & quas non nisi furtim antea voluptates sequebatur, pontifex designatus etsi ferè sexagesimum quintum ætatis annum impleuerat, vltrò complexus est: abdicatáque maximarum rerum cura hilaritati & genio, conuiuiísque & amplis & assiduis etiam in villa agitandis, omni deinceps vita

indulsit. Hæc narramus, quia sic gesta sunt. Quòd si pontifices nolunt turpia aut nefaria de se narrari, nihil eiusmodi faciant, aut cùm fecerint, non putent, ea ipsa ita latere, vt & sciri, & posteris narrari nequeant: quanquam in pōtificibus nemo hodie sāctitatē requirit: optimi putātur si vel leuiter boni sunt, vel minùs mali, quàm cæteri mortales esse soleant. Villam autem Iuliam mirificè coluit, ínque ea exædificāda ornandáque totus fuit, ea paulò supra portam Flaminiam sita est. At nequeunt summi pontifices etiam si velint tam indulgere genio, vt non ad ecclesiastica ciuiliáque negotia interdum rapiantur. Id quidem Iulio euenit: nam qui nulla se bella ne legitima quidem suscepturus prædicarat, is pro Placētia & Parma ecclesiastici iuris vrbibus bellum suscepit. Oecumenicam verò synodum Tridentinam, in qua ipse sub Paulo tertio prædecessore præsederat, inchoatam publicis literis haberi iussit, Carolo quinto Cæsare vt id faceret per literas & nuncios significante, ad tollenda religionis dissidia, quæ in Germania longo tempore non sine totius Christiani orbis perturbatione viguerant. Ac literas quidem illas Iulius dedit Romæ decimo octauo Calen. Decembres, anno nati Christi millesimo quingētesimo quinquagesimo, vt ex actis synodi ipsius apparet. Et illud eius factum profectò memorabile est, quod Stephanum maioris Armeniæ patriarcham, qui comitibus archiepiscopo & duobus Episcopis Romam venerat, atque apostolicā fidem subnotarat, multis honoratum donis in patriā remisit. Simul illud admirationis plenissimum est visum, quòd ad eum venit missus ab ecclesia Orientali Simon Sulaka vir moribus egregiis, eximiáque doctrina ornatus cum literis ecclesiæ

sur, quibus petebat à Iulio vt eum apostolica sedes patriarcham à ciuibus electum confirmaret. Id benignè à pontifice est pręstitum, missique ad illas gentes quæ inhabitāt Tigrim flumen, religiosi viri Syriacæ linguæ nostrorúmque rituum peritissimi, eodémque anno 1550. tertio Cal. Maij. his qui à fide Christi desciuerant, ianuam pietatis & misericordiæ aperuit, ac pœnas quas iuris seueritas in eos statuit, apostolicæ sedis clementia molliuit, vt aberrantes huiusmodi benignitate adducti redirent in gratiā. Cúmq; superiora & alia quædā Reipubl. causa Iulius fecisset, quæ in eius vita ab Onuphrio memorantur, decessit Romæ ex febricula anno quinto post illas solemnes literas synodi causa à se datas. Inter cęteros autem theologos qui studiis optimarum artium disciplinarúmque floruerunt Iulio pōtifice, iure suo numerandus est Ambrosius Catharinus Politus, ísque in Hetruria natus librū ei de mysteriis theologicis vt pontifici maximo scribit. Romæ tunc erat celebris medicus Leonardus Fierauantes Bononiæ in Æmilia natus: is in eo volumine quod inscribitur Thesaurus vitæ humanæ, libro secūdo capite quinquagesimo, mense autē Martio 1555. mortuus est fœlicis memoriæ sūmus pōtifex Iulius tertius, post eius obitū aliquot dies sine pastore sedes apostolica fuit, multáque tunc homicidia Romę commissa, vt fieri solet pōtificatu vacante. Literarū autem quas Simon Sulaka ad apostolicam sedem attulit, & quas Amasius è Syriaca lingua fidus interpres in latinum sermonem vertit, exemplum hic subiiciam.

EPISTOLA POPVLI NESTORIANI, QVAM ANNO CIↃ D. LII. EX Mozai, hoc est Seleucia Parthorum scribebat ad pontificem Romanum pro Patriarcha initiando, traducta ex autographo Syriaco ad verbum, per Andream Masium.

„ PAtri patrum, & pastori maximo, concinnanti mitras,
„ vngētique sacerdotes, & cingenti zonis, Petro tempo-
„ ris nostri, ac Paulo dierum nostrorum, & cingulo com-
„ prehendenti vniuersum cœtum Christianorum. Qui es
„ loco Christi domini nostri, tu sedes in sede alta & subli-
„ mi principis apostolorum, tenentis claues regni cœlestis,
„ cui ore suo salutari dominus noster dixit: Quidquid liga-
„ ueris in terra, erit ligatum in cœlo: & quidquid solueris in
„ terra, erit solutum in cœlo: & super eam fundauit eccle-
„ siam suam, aduersus quam portæ inferni nihil valebunt in
„ generatione generationum. Nunc porrò tibi eam dedit
„ Christus Deus noster, & seruator noster, vt sedeas super
„ eam. Tu item es fons, cuius aquæ non deficiunt, & quis-
„ quis sitiuerit, æquum est vt ex te bibat aquas vitales, vt
„ sedet sitim suam. Tu es lucerna quæ non extinguitur, sed
„ illustrat omnes creaturas, vt candela quæ est super cande-
„ labrum. Et vt Ioannes Baptista, qui posuit dexteram suam
„ super caput Christi Dei nostri. Et in te videt lumen vni-
„ uersa respublica Christiana, quæ est proles ecclesiæ sanctę.
„ Tu es murus fortis ciuitatis, & matris ciuitatum, Romæ
„ magnæ, quam piscatus est princeps discipulorum Petrus,

& prudens

& prudens architectus Paulus, qui lumen præbuerũt omnibus hominibus distentis atq; implicatis errore Satanæ. Tu es caput omnium patrum, sicut erat Petrus caput omnium discipulorum, cui vt est data sedes alta & sublimis in terra, sic his vltimis temporibus alta excelsáque est sedes tua, ipsa Roma magna & celeberrima. Sed quid extẽdimus verba corã tua sublimitate, paruum est os nostrũ, & breuis lingua nostra: te verò ipse Christus qui te elegit ad hanc functionem, exaltauit atque in sublime extulit, fecitque sibi vas quod conueniat gloriæ suæ. Quapropter scito domine pater noster electe, hoc est Papa, (cuius vita custodita sit in domino, amen) quòd nos serui tui miseri peccatores Nestoriani sumus pupilli absque patre, & absque gubernatore, neque superest super nos fermẽtum patrum, nullus Metropolita, sed soli duo aut tres Episcopi. Habebamus enim quendam Patriarcham retrò ab annis centum, qui nullum constituebat Metropolitam, nisi de stirpe, ac genere, familiáque sua, atque ea familia illam cõsuetudinem vsurpauit inde à centum annis vsque adhuc. Nunc porrò vnus solus superest Episcopus ex ea prosapia, qui & ipse conatus est per impudentiam ita agere, vt egerunt illi qui ante ipsum fuere. Verùm nos non acceptauimus, neque proclamauimus ipsum: sed subitò conuenimus ex omnibus locis orientalibus, & ex omnibus ciuitatibus & pagis, quæ sunt circum ciuitatem Mozal, hoc est Attur, in vicinia Niniues, ex Babylonia, ex Cartha, ex Arbela, ex insula quę est in medio Tygris fluminis Edẽ, ex Tauris Persiæ, ex Nisibi, ex Marde, ex Æmed, ex Hasan Cepha (hoc est, arce petræ, aut rupe forti) & ex reliquis locis Oriẽtalibus ad Mozal, viri magnates, & sacerdotes, ac monachi,

» reliquúsque in Christum credens populus, pro more, & » constitutionibus canonum antè obseruatorum: atque in- » terrogauimus scrutatíque sumus inter omnes, sed non in- » uenimus vllum, præter hunc, prędi tum charitate, & inge- » nio, doctum, vt doctorem, ac temperantem, cælibémque » excellentem, insigni vitæ probitate, & reuerentia, cui no- » men & appellatio, magister noster Siud. Eum igitur per » vim ex loco habitationis suæ deduximus in mediũ cœtus » credentium, visúmque est fœliciter omnibus hunc esse, & » dixerunt hunc esse idoneum ad hanc viam. Postquam au- » tem fœliciter ita nobis visum est, subitò conscripsimus ei » has literas apertas ad tuam celsitatem, quamquam indigni, » misimúsque ipsum ad pedes tuos sanctos, & vnà cum ipso » viros tres, summos primates inter credentes, Adamum, » Thomam & Caleph. Cæterùm ascenderunt cum ipso ver- » sus Hierusalem circiter septuaginta animæ ex optimatibus » selectæ, qui erant nostrę professionis, atque viatico comi- » tatúque eos instruximus secundum veterem consuetudi- » nem. Proinde supplices petimus à paternitate tua sublimi, » vt simul atque peruenerint ad te, conficias negotia ipsorũ, » ne restet derisio, & ludibrium inter gentes, & eos qui sunt » professionis nostræ, ita vt non audeamus quemquam ho- » minum intueri. Obsecramus itáque te, & eum qui tibi cõ- » cessit hoc donum altissimum, vt mox vbi ad te peruene- » rint, ordines eum nobis Patriarcham, hoc est, Catholicũ, » ne maneamus pupilli absque patre, & gubernatore, ac pa- » store, & perturbetur ordo noster ob fermentum sacerdo- » tale, relinquamúrque velut oues sine pastore, nec pereat » labor, quem sustinẽt ex Oriente in Occidentẽ. Nam Do- » minus noster dixit in euãgelio suo ad discipulos suos: Gra-

„ tis accepiſtis, gratis date omnibus quibus opus eſt de fonte „ vitæ. Et ſcribas ipſi literas & epiſtolam, déſque ipſi viati- „ cum benedictionis: & benedicito locis orientalibus, vt „ exultet cor noſtrum. Itáque diſcedant abs te gaudentes, ſi- „ cut gaudebant Magi Perſæ in Bethlehem, & de natiuitate „ Domini noſtri, & ſicut deſcenderunt paſtores in ſpelũcã, „ atque vt imbuerint Angeli gaudio mulieres, & alios. Præ- „ terea hoc ſcito pater noſter excelſe, quòd ſacerdotium no- „ ſtrum à priſcis temporibus ex Roma ſit, quæ eſt ſedes Pe- „ tri principis Apoſtolorum: verùm ex quo confuſus eſt or- „ do Chriſtianorum à filiis Hagar Ægyptiæ, interrupta eſt „ via noſtra ad vos inde à ſpacio trecentorum annorum vſ- „ que ad hunc diem. Nunc porrò quando quidem miſimus „ hunc ad pedes tuos ſanctos, obteſtamur ne remoreris ip- „ ſos, ne nos maneamus cõfuſi, & relinquatur cor noſtrum „ apud ipſos, doleátque anima noſtra. Sed citò remittito ip- „ ſos, quia ſitimus ad videndũ eos ſicut terra quæ ſitit aquas, „ conficitóque prorſus citò citò. Sed non eſt æquũ vt multis „ vtamur verbis apud celſitatem tuam: neque enim digni „ ſumus. Et tu ipſe noſti quòd quando filij egent, parentes „ ipſorum explent illorum indigentiam. Cæterùm Chriſtus „ dominus & Deus noſter cuſtodiat & ſeruet Reges ve- „ ſtros, & benedicat locis veſtris ad preces dominæ noſtræ „ Mariæ, quæ peperit lucem & vitam, & domini Ioannis „ Baptiſtæ. Ita fiat.

EPISTOLA NESTORIANORVM, QVI ELECTVM PATRIARCHAM SVVM VSque Hieruſalem deduxerunt ad pontificem Romanum de eadem re, verſa ex authographo Syriaco ad verbum, per Andream Maſium.

PAter patrum, & paſtorum maxime, qui concinnas mitras, & vngis ſacerdotes, atque incingis zonis: Petrus temporis noſtri, & Paulus dierum noſtrorũ, ac cingulum quod comprehendit vniuerſos Chriſtianos: qui es loco Chriſti domini & Dei noſtri: ſedéſque ſuper ſedem Petri Apoſtoli, & te tenentis claues altitudinis & profunditatis, ad quem dixit dominus noſter: Quod ligaueris, erit ligatum, & quod ſolueris, erit ſolutum, & ſuper eam petram ædificauit eccleſiam ſuam ſanctam. Nunc porrò dedit eam tibi Chriſtus Deus noſter, vt ex ea diſpẽſes ordines eccleſiaſticos pro eo ac opus fuerit gregi Chriſti, quem tradidit tibi, ne pertubaretur per lupos, qui ipſi odio proſequũtur, perirétque grex Chriſti, atque incurreret in malum: quicquid autem perit, repoſcitur à paſtore. Tibi tradidit ſanctam ſuam eccleſiam, vt eius egeſtatem expleas eo theſauro qui non deficit, & eo fonte cuius aquæ nunquam exhauriuntur, & quantumuis multi ex eo bibent, augeſcit, non autem minuitur. Tu es loco Petri, & prudentis architecti Pauli, qui omnes mortales illuſtrarunt eo munere quod ipſis datum fuerat à Spiritu ſancto, & à paſtore cæleſti, qui ſuo ſanguine illos redemit ab errore diaboli, & mutorum idolorũ. Quia tu es pater vniuerſi populi Chriſtiani, ſicut Petrus caput omniũ diſcipulorum, cui obue-

» nerat sors docendæ Romæ magnæ & celebris. At hoc no-
» stro tempore tibi illam dedit Deus, & elegit te, collocauít-
» que super eam, tradidítque eam tibi, quia ita ipsi placuit.
» Et elegit te sicut Hieremiam ex vtero matris suæ, & sicut
» Ioannem filium Zachariæ, qui dignus fuit vt imponeret
» dexteram suam capiti Christi Dei nostri, & sicut Athana-
» sium & reliquos patres veteres. Sed quid longa facimus
» verba coram tua celsitate, quum simus indigni, qui te ele-
» git, is te exaltauit. Cæterùm scias, ô domine pater, cuius
» vita custodita esto, quòd nos serui tui Nestoriani Orien-
» tales sumus pupilli absque patre electo, qui dare possit or-
» dines sacerdotales. Neque supersunt apud nos Metropo-
» litæ, quorum est ordinare Catholicum: sed soli pauci Epi-
» scopi, Episcopus Arbelæ, Episcopus Salmasti, Episcopus
» Adurbeigan, Eneuostigi conuenimus in insulam, quæ est
» intra Tigrim flumen Eden, fecimúsque compactum in-
» ter nos, & misimus pro hoc monachum Siud, & dedu-
» ximus ipsum per vim de sua statione in medium populi:
» atque vniuersus populus testabatur de ipso, esse eum vti-
» lem ad hãc viam. Igitur cùm cõsiderassent, approbaßént-
» que ipsum omnes greges, illico ascenderunt cum ipso ad
» Hierusalem primates nobiles, magnificus Messiud, &
» Abdias Ephraim, ac magnificus Chabib, prætérque hos
» alij Monachi, & sacerdotes, ac diaconi, laicíque, atque
» intrauimus, conuenimúsque ad Monachum benedictum,
» & gubernatorem probum, dominum Paulum, eiúsque
» sodalitium spirituale in sancta Zion, in cœnaculo benedi-
» cto in quo ille habitat, petiuimúsque ab ipso epistolam ad
» dignitatem tuam, per Iacobum interpretem, & scripsit
» nobis tres epistolas ad tuam celsitatem, multúmque gau-

„ debat de nobis. Nos verò dedimus magiſtro noſtro Siud,
„ atque cum ipſo miſimus tres viros primates, Thomam,
„ Adamum, & Caleph, ante pedes tuos. Nunc igitur peti-
„ mus à celſitate tua, abſoluito negotium ipſorum, & or-
„ dinato illum in Catholicum, datóque ipſi poteſtatem per
„ verbum tuum, vt poſſit conferre gradus eccleſiaſticos,
„ prout opus habuerit grex, pro more patriarcharum, & vt
„ ligare poſſit, & ſoluere pro conſuetudine Patrum, & Ca-
„ nonum Apoſtolicorum. Itáque oramus te pater noſter
„ ne ſis illis in mora, ne maneat cor noſtrum apud ipſos, ſed
„ citò remitte ipſos, & ſcribito ipſi literas & epiſtolas, ac
„ benedicito locis noſtris. Iam verò eſto ſaluus, & cuſtodi-
„ tus in domino noſtro.



MARCELLVS II.




ADRIANI ſexti exẽplo Marcellus Romanæ eccleſię Cardinalis pontifex deſignatus, nomẽ primò ſibi impoſitum retinuit, vetus illud quidẽ & clari olim pontificis Romani qui ad ſedem apoſtolicam eximium ſplendorem attulit, coniectúſque in catabulum Maxentij iuſſu, vt equis vetulis deſeruiret, laudem ex eo maximam eſt adeptus. Hic verò de quo loquimur Marcellus, patrem habuit Ricardum aſtrologiæ peritiſſimum ex Politiano nó ignobili Hetruriæ oppido: is die natali filij notato ſtel-

larum cursu summum in ecclesia magistratum portendi lætissimus coniecit, narransque filio adhuc impuberi coniecturam illam sic illi persuasit, vt oblata nuptiarum occasione adolescens se honestissimè excusarit, lõgè enim meliorem fortunam quàm sibi astra portendebant, nolle cõtractis matrimonij vinculis impediri. Matrem verò habuit Cassandram cognomine Benciã ex honesta nobilíque familia. Paulo verò tertio qui Mathematicis disciplinis operã dedisset, Marcellus charissimus fuit, eiúsq; ad Iuliũ extãt epistolę aliquot, quibus se grato animo in Farnesiorũ gẽtẽ esse declarat, ac pro iis pontificem supplex precatur, vnáque earum Eugubij scripta est quarto Non. Septemb. 1553. ob astrologię peritiã quam pater Richardus profitebatur, Paulo innotuit, ab eóq; regendæ adolescentiæ Alexandri Farnesij recẽs creati Cardinalis præficitur. Cognita postea hominis in omni negocij genere mirabili prudentia iudicióque, & scientia rerum absentem ad purpureum honorẽ vocat. Reuersus postea Romam Tridentum mittitur, vt cum duobus collegis synodo præesset. moritur deinde Paulus, moritur Iulius. ô Cardinales quàm vehemẽter vos Episcoporũ vrbis varietas, mutatióque delectat, & quàm magno odio est vobis longęui vita pontificis tũ fata Marcellum ad amplissimam sacerdotij dignitatem vocant. Põtificem longè latéque speculari oportet, atque ex omni parte oculum esse omnia intuentem, nec quicquam negligentẽ. hoc sibi Marcellus proposuerat, eáque solicitudine viuere, quàm Episcopum præcipuè quærere oportet pro ecclesia sibi credita, nec tã præesse cupiebat quàm honori Romanæ ecclesiæ consulere, & vulneribus Christianarum gentium mederi. Dum hæc cogitat, & familiaribus

amicis eloquitur, vigesimo pontificatus die excedit è vita. O miram cœlestium volūtatem! pontificem enim sanctitate, moribus, doctrináque excellētem tam citò rapuerūt quàm citò dederant. Quamquam in tam breuissimi pontificatus tempore præconem eximium suæ virtutis habuit Paulum Manutium amantem veri: is enim epistolam dedit ad Marcellum secundum, qua pietate erga deum & homines incensum esse illum prędicat, altissimísque consiliis & cogitationibus affluentem. quas ob causas lætari se dicit quòd tantus vir sedem apostolicam attigerit. magnum illum virum prædicāt, omníque laude & gloria dignissimū. nemo enim laudabilior est, quàm qui ab omnibus laudari potest, vt ab Ambrosio Mediolani Antistite lib. I. de Virginibus dictum scimus. Habuit & Hieronymum Seripandū virum sanctitate & pręstantia insignem, quem Iulius Salerni Archiepiscopum fecerat, Pius quartus Cardinalem præesse synodo Tridentinæ mandans. epistola enim eius ad Fesulanum Episcopū adhuc superest qua virum illum mirè cōstantem & Catonianæ seueritatis propemodū imitatorem, negat pontificatum vmquam humanis consiliis assequuturum. Postea mirari se ait quomodo Cardinales pōtificem eum fecerint, nec adduci posse vt existimet humano consilio id factum, sed diuino potius accidisse. Deinde narrata vitę breuitate, quæ dies viginti duos nō excesserit: Cur, inquit, Deus hanc florētissimā arborem crescere eo vsque siuisti, vt de ea dicere possemus, *Ventum ad supremum est*, nihilominus securim manu tenebas, vt eius radices tam citò præscinderes? Breuissimum Marcello pontificatum fuisse demonstrauimus, ídque non immeritò, etenim vixere quidem diu plerique pontifices Romani, at nemo

nemo adhuc annos Petri attigit, vnico Adriano primo excepto: nam is ferè ad metam eandem cursu peruenit. Cæterorum breuior pontificatus fuit, qui in eo satis diu vixere, breuissimus autem eorum quibus aut mensem vnum duósve aut paucissimos tantùm viuere licuit, vt Marcello huic cōtigit: quidam etiam breuiorem vitam habuere: sed sic est, Deus non pro voluntate hominum, immò pro arbitrio suo vitam eorum aut protrahit aut breuissimam esse iubet, seu iuuenes sunt, seu senio cōfecti: nihil autē tam incertum inter historiarum scriptores quàm tempus, quo quisque in Episcopatu fuit, & qui fuerint parentes singulorū, quæ patria, quæ ætas, qui mores, quibus consulibus, quibus regibus & Cæsaribus vixerūt. Quare interdum omitto, ne lectores per inuias semitas abducti aberrare à rectiori itinere cogātur. Marcello, vt diximus, mortuo antequam patres comitia ingrederentur, conuenit inter eos vt electus qui foret, agnatos decessoris honesto aliquo munere afficeret. domum enim eius more Romano à plebe pretiosa supellectili rebúsque mobilibus nudatam sciebant nec potuisse pontificem tam citò amissarum facultatum damnum eis reparare: id tamen à Paulo successore præstitum non fuisse adhuc constans fama est.



PAVLVS IIII.



ON procul à Furcis Caudinis vbi Spurius Posthumius cùm malè pugnatum esset à Romanis, pacē cū Samnitibus fecit, Ioannem Petrum tertio Cal. Iulias in Scala vico natum cōstat anno à partu virginis quadringentesimo septuagesimo sexto. Auus eius Diomedes Carafa Matalunæ Comes vir clarissimus fuit, pater Ioannes Antonius inter Neapolitanos proceres spectatæ notęque virtutis, puer Latinę, Gręcę, Hebraicęque linguę studiosissimus fuit: deinde sacrarum literarum scientiam auidè complexus, cui vitæ integritatem adiunxit. Ea scientiæ & probitatis fama adductus Iulius secundus, & cōmendatione Oliuarij Carafæ patrui Cardinalis, ad quem extant Sabellici aliquot epistolę, Episcopum Theatinum eum esse iussit. Theate oppidum Marracinorum Plinio & veteribus notum, nūc Episcopi sedes est, eíque impositum Ioānem Petrum diximus: sed pertęsus mollioris vitæ sub mōte Pincio longè ab hominum conspectu in priuatis ædibus diu consedit, posteáque collegium nouum instituit presbyterorum Theatinorum, sic enim vulgo in Italia appellantur à Theate oppido cui Episcopus pręfuisset, quod Silius poëta magnum vocat: quorum hoc initiū fuit: ipse Ioannes Petrus, Caietanus Tiennius, Vicentinus Bonifacius, Collis Alexandrinus anno quinto pontificatus Clementis septimi decimo septimo Cal. Octob. in Vaticano


ad aram Petri apostoli solemnia paupertatis, obsequij & castitatis vota emiserunt anno 1528. Similibus postea se astrinxerũt Theatini omnes socij. Hi sunt alij à Iesuinis, nã hi sibi vidẽtur soli societatẽ cõtraxisse cum Iesu, vulgus tamen eos quoque Theatinos in Italia Hispaniáque vocare solet, cùm Nolæ in Campania Iesuini dicantur, Ferrariæ Scofiotti, Bononiæ presbyteri S. Luciæ, Mutinæ reformati sacerdotes, & in Hispania Ignaciani à principe sectæ Ignacio Loyola milite Cantabro: aliáque passim nomina habeãt, & à Paulo tertio confirmati dicãtur, in eo sanè nimium sapientes quòd se putant cœlo vel ipsi quandoque imperaturos. At Paulus tertius qui Carafæ industiam virtutésque nouerat, eum absentem in Collegium Cardinalium adlegit: quo suscepto honore ita functus est vt nemo melius, solámque ei nimium seueri ingenij & in sententia permanentis animi notam aulici inurere cœperant. Tandem annum natus septuagesimum nonum Alexãdri Farnesij Cardinalis opera ac studio è sui ordinis principe Episcopus vrbis designatus est. Cúmque Ioannes Petrus antea appellaretur, id Petri nomen retinere nefas putauit, prędecessorum morem sequutus, quorum plures cùm Petri ante pontificatum nomen ferrent, spõtè id abiecerunt, non quòd minores essent officio, sed meritis inferiores. Itáq; Pauli nomẽ in gratiam Farnesiæ gentis sumpsit, quòd ex ea Paulum tertium prodiisse meminerat. Electus autem coronari magno fastu voluit, magnósque & illustres viros sibi seruire, magnitudinémque ingentis animi præ se ferebat, vt Hadrianus Hettuscus libro decimo tertio historiæ suæ scriptum reliquit. Quærenti œconomo vt imposterum ipse fratrísque filij victuri essent, Munificè, inquit, vt

principes decet, liberaliterq; viuemus. quæ vox eius regia potius quàm pontificia fuit. Sed filiis Ioannis Alfonsi fratris nimiũ indulgere visus est, vt infœlici postea exitu vitæ cognitũ scimus. Initio autem põtificatus tãtis támque variis populum Romanum beneficiis affecit, vt solemni decreto statuam ei marmoreã Quirites in Capitolio poni iuberent. Iudæos nationem natam seruituti pridie idus Iulias anno millesimo quingentesimo quinto coërcuit eorúmque synagogas vna excepta dirui iussit, glaucíque coloris signo eos notari voluit. Id à Cardinali sanctæ crucis qui Bononiam regebat, olim factum, vt Iudęi certo signo à Christianis dignoscerẽtur, Poggius in funebri concione tradit. Quę Pauli constitutio vtilis, ne dicã necessaria Christianę reipubl. visa est, quòd gentem illam pertinacem & de Christo pessimè sentiẽtem, grauitate edictorum coërceri oporteat, quos in testimonium veræ fidei Christianę primùm Cæsares, deinde Episcopi Romani iam inde à Gregorio magno in vrbe viuere permiserunt. Rectè quidem hoc ab eo factum est. Cùm verò candentibus liliis adornatum seu aspersum animũ haberet, euocato Gallorum exercitu bellum per eos regno Neapolitano inferre cogitabat, Hispanámque gentem cęteris odiosam ex eo depellere, sed aliter quàm sperabat euenit. Igitur toti Latio potius quàm Neapolitanorum finibus bellum funestissimum acciuit, pacéque præter sentẽtiam cum Hispanis facta, Tyberis exundans in agros ínque Romam ipsam sęuiit, ne quid miseriarũ deesset: tãtámq; intulit calamitatẽ quantam Gregorij magni temporibus, vel Plinij secundi inuectam cõstat. Exin Carolum fratris filium & conscios, quorum occultis consiliis atque artibus nec ipse sibi satis-

facere, nec Henrico secũdo Gallorum regi potuerat, procul ab administratione Reipubl. abegit, irrita spe restitutionis in gratiam. Id verò pro dignitate pontificia facere est visus, quòd Ferdinãdi noui Cæsaris legatos audire noluit. cedere enim imperio Carolum quintum ne fratri quidem suo Apostolica sede inconsulta debuisse prædicabat: & omnes qui à recto tramite Christianæ & Catholicæ aberrassent hæreticos, modò ad se reuersi veniam precarentur, humanissimè excepit, vt à Hieronymo Manfredo Bononiæ Iurisconsulto memoriæ mandatum est. His rebus gestis decessit Paulus ex dolore aquæ intercutis decimo quinto Cal. Sept. anno millesimo quingentesimo quinquagesimo nono, ætatis octuagesimo tertio, & aliquanto amplius, moribundíque suprema vox fuit: *Lætatus sum in his quæ dicta sunt mihi, in domum domini ibimus*. Mortuum Romani diris carminibus Pasquillo affixis (ea gladiatoris antiqua vetúsque statua est) vt nũquam de vrbe benemeritũ sunt prosecuti, statuámque eius per vrbem raptatam fœdè comminuerunt.

" *Hic Carafa iacet superis inuisus & imis,*
" *Styx animam, tellus putre cadauer habet.*

Reliqui versus notiores sunt quàm vt stylo nostro egeant, verùm hic mos Romæ vt pontifices seu bonos seu contrà mordacissimis versibus plerumque lacerẽt, nec modò Episcopos, sed etiam reges orbis terrę, famosósque libellos affigere soleãt, vel Pasquillo gladiatori, vel marmoreę statuę iacentis Marforij, quæ iuxta Capitolium posita est.



PIVS IIII.



ERNARDINVS Medices Mediolanẽsis Ioannem Angelum præclarissimum familiæ decus genuit ex Cæcilia Sorbellonia cõiuge. Is natus est pridie Cal. April. anno nonagesimo nono supra millesimum ac quadringentesimũ. Ticini puer, móxque Bononiæ, pręcepta philosophiæ didicit, deinde iuris ciuilis scientiæ operá dedit, vnde ad Rempubl. progressus statim inclaruit, cùm eius non mediocrem in rebus gerendis industriam Paulus tertius cognouisset, à quo absens Cardinalis creatus est. Cúmque post Pauli quarti funus Cardinales in cõclaui essent, columba, vt cùm eligeretur Fabianus accidisse libro primo diximus, casu sacellum Sixti per fenesttas ingressa diu circumuolauit, fessáque cum admiratione omnium auis quietem expectantium Angeli cellæ insedit, qui post longas collegij dissensiones, in quo erant Cardinales quadraginta quatuor, ex Angelo põtifex Romanus factus est anno millesimo quingentesimo sexagesimo: Piúmque se appellari voluit, quòd pietatem præter cæteras virtutes vti reginam profiteri cuperet. De electione autem eius apud Ludouicum Rhegiensem mitissimi ingenij virum sic reperio: " Diuini consilij fuit & bonitatis, vt post graues longásque dissidij & cõtentionis moras Reipubl. Christianæ " põtifex tamen cõcordibus suffragiis præficereris. Extántque eiusdem viri ad Pium epistolæ sexaginta plenæ Chri-

ſtianæ prudentiæ, eiúſque conſilio ad res magnas gerendas motus videtur. Ac pōtificatum quidem exorſus eſt à venia quam populus Romanus petebat, in gratiam eorum qui è minuta plebe ſtatuam deceſſoris in Capitolio, vt ſuprà demonſtrauimus, poſitam raptare per vrbem, fœdatámque comminuere auſi erant. Benedicti duodecimi inſigne argumentum ex ſacris literis ipſe iterum vſurpauit: *Si mei non fuerint dominati, tunc immaculatus ero*: indicans ſe agnatos cognatóſve ſuos nō adeo amaturum, vt quod deceſſor feciſſet, ipſe eos ad imperium vrbis ſummámque rerū admitteret. Ac ne impoſterum agnati pōtificum deſiperent, eóſque falſis nunciis & conſiliis decipere conarentur, exēplum memorabile reliquit, Carolo Carafa Cardinali honoribus exuto, ob eámque cauſam aliáque crimina ab eo commiſſa, quorum apertiſſimè cōuictus eſt damnato maieſtatis, & aliquot præterea affinib⁹ eius ſerui publici manu decollatis, ne vlla agnatio cognatióve pontificem Romanum decipere in reliquum tempus auderet: quo ſpectaculo attonitus populus Romanus admonitus eſt officij, nec rebus nouis ſtudere poſtmodum eſt auſus, quod ſanè factum trāſire ſine admiratione non potuimus. Poſtea Romā venit Abdiſu Patriarcha vrbis Muzale in Aſſyria, vt à Romano pontifice electio orientalis eccleſiæ confirmaretur. Placuit Pio viri ſanctimonia Chaldaicis, Arabicis, Aſſyriíſque literis ornati, ſæpéque cum eo colloquutus per fidum interpretē petitioni eius benignè annuit, donatúmque Latiis muneribus in patriam remiſit. Cæterùm Pius hoc ſpectauit vnum, & in eo potiſſimum ab illo primùm die quo ſummam inter homines poteſtatem delatam diuinitus accepit, fixit curas & cogitationes omnes, vt com-

munibus malis generali synodo mederetur. his enim verbis virum laudatum Paulum Manutium vsum video. Itáque finis synodo Tridentinæ eiusdem Pij studio ac vigilãtia impositus est, acclamationésque patrũ in ea fuere, beatissimo Pio Papæ domino nostro sanctæ & vniuersalis ecclesiæ põtifici multi anni & æterna memoria. Actáque synodi extãt, ne quid à nobis Christiani lectores prætermissum querantur. Hæc dum à Pio fœliciter fiunt, Gallia ciuilibus ob religionis causam bellis exortis ardebat, Carolo nono Rege tunc admodum puero, sub quo Ioannes Caluinus anno ętatis quinquagesimo tertio Geneuę extinctus est, viperæ similis, ad quam securos somnos capere Gallia non poterat, Hieronymi enim verbis vti liceat. Quòd si ægrè ferũt virum illum à me viperam dici, scorpium appello vt Tertullianus Marcionem. Hic damnatæ sectæ à synodo Tridentina propugnator defensórque acerrimus fuerat. Cuius viri non quidem sectam, sed excellentis ingenij vires scribẽdíque grauitatem mirari necesse est; quamquam pudet fateri hoc monstrum in Gallia natum apud Nouiodunum antiquum nec Cęsari ignotum oppidum; secta autem illa foris quidem aliquid, intus nihil est. Multum ergo debemus anno millesimo quingentesimo sexagesimo quarto, quo quidem portentum illud extinctum est. Eodem verò 17. Cal. Nouemb. Pius sacram constitutionem edidit in eos qui nimia quadam facilitate seu potius importunis amicorum familiariúmque precibus adducti alieni iuris beneficia ecclesiastica custodiunt, eósque nisi ea dimiserint, excommunicationis & interdicti pœnæ subiicit. Hæc quidem constitutio à Pio quinto successore Cal. Iunij millesimo quingẽtesimo sexagesimo nono

postea


postea confirmata est. Solent verò pontifices eiusmodi sacras constitutiones Christiano numero annorum distinguere ab aliis rescriptis in quibus tantum mensem atque annum pontificatus sui notant. Superior autem constitutio duorum pontificum ab iis translata est in tabulas diu duraturas; & qui iam in tumulo quiescunt, taciti loquuntur viuis, sed æternum tamen perituris nisi aliena beneficia desierint possidere. Verùm Caroli bellicosissimi Regis pubertatem Caluiniana audacia vt diximus vexabat, sed non minus fastus Hispanicæ gentis, cuius oratores tribuendum sibi primum in consessibus publicis locum contendebant: cúmque Gallus Hispanum æqualem iure respueret, Pius pontifex laudato more maiorum priorem Gallicæ genti assignauit, prudentérque litem illam diremit veritus ne quid noui inter Gallos & gentē illam exoriretur. Melita insula prope Siciliam in mari sita hoc pontifice obsessa est. Cúmque res Melitensium quanto in periculo essent constitutæ per nuncios accepisset, iussit copiarum haberi delectum, quæ subsidio mitterentur laborantibus, edixítque certam pecuniam in illud bellum erogari, & pulueris tormentarij non paruam copiam, & omnibus subsidiorum generibus rem Melitensium adiuuit: vt exemplo, non oratione solùm, Christianos principes ad defendendum Christianum nomen, & veram ac antiquam religionem, & omnium decus vno tempore hortaretur. Nam si illam insulam in deditionem Solymanus compulisset, manifestum omnibus periculum breui imminebat, cùm transitus facillimus inde foret in Siciliam, qua potitus mox Italicos fines anniuersariis incursionibus populatus, denique vniuersam Italiam breui subegisset. Missi sunt

igitur Pompeio Columna duce sexcenti pedites Neapolim, quem multi viri illustres sine stipendiis, solo gloriæ & nominis virtutisq; suæ ad posteros transmittēdę desiderio sunt secuti, cùm tam præclaram támque iustam belli opportunitatem nacti sibi viderentur. Hoc Hieronymus Comes, Alexandrinus in Melitensis belli historia refert, vnde soluta obsidione occisis duobus & viginti hominū millibus Turcæ immanes discessere. quā ob causam Romę supplicationes habitæ, multáq; lętitię signa Pius dedit: nec multo post humanis rebus eximitur anno ætatis sexagesimo sexto, pōtificatus sui quinto & amplius. Ego quidē illū vidi, & idcirco si statura fuisse eum iusta dixero, frōte lata, cæruleis oculis, naso eminenti ac ferè rubido, barbáque mediocri, non mentior. Vrbi quidem huius pontificis memoria ac recordatio gratissima debet esse. sæpe enim illud dicebat: Me pontifice Roma semper erit tutissimum piorum hominum perfugium atque receptaculum. Et reuera fuit. Etenim præter publicā quietem, cui semper cōsuluit, nullus in vrbe locus vacuus est beneficio aliquo Pij quarti. Paulus Manutius scriptor elegans cum epistola ad Titium data Romæ Non. Decemb. 1561. trāquilla illîc esse omnia, nihil turbulenti, nihil aduersi esse dixisset, ciuitatem quo-
„ tidie magis illo pōtifice reuiuiscere, eúmque excellere iu-
„ stitia, pietate, beneficentia, Multis, inquit, locis ædifica-
„ tur strenuè: nam pontifex, vt præstāti animo est, antiquæ
„ illius Romæ speciem eximiam, & formam, cogitatione
„ ac mente complexus, excitari pręclara monumenta, vias
„ restitui veteres, nouas muniri, aquas etiam à longinquis
„ fontibus impensa maxima in vrbem duci iubet. Quæ cùm
„ erunt absoluta, nihil aspectu pulchrius, nihil magnificen-

tius, aut etiam commodius esse poterit. In eam sentētiam quidam Italus poëta non ignobilis hoc carmen edidit,

Marmoream me fecit, eram cùm terrea, Cæsar:

Aurea sub quarto sū modò facta Pio. Maximū verò beneficiū eius est in Quirinali colle, vbi Virginis tēplū in Thermis Diocletiani Cæsaris fieri iussit, sacrauítq; anno millesimo quingentesimo sexagesimo primo, vt alumni familię Carthusianę imposterū in eo tēplo rē diuinā facerēt. Bononia etiam quoties videbit Gymnasium suum pontificio sumptu instauratum, Pij nomen memoriámque celebrabit. Postremò huic Pio, quod recordatione dignum quidam fortasse existimabunt, & Pius successor, & ex eadem prouincia dabitur, vterque enim Insuber fuit.



PIVS V.



OMÆ etiam vidi nondum pontificem exactæ tamen ætatis, & prolixo sed exili corpore, ieiuniísque & anteactis laboribus attenuato, Pium quintum, cui Ghisilerio nomē fuit. is natus Boschi in oppidulo agri Alexandrini sex millibus passuum ab Alexādria ipsa, quam Abdua flumen interluit, ex familia admodum tenui, patréque Paulo, agricola, maiores enim suos factionis Gibellinæ Bononia pulsos audierat, in quibus excelluit Guido Ghisilerius, quem Dantes Bononiæ doctorem illustrem, poëtámque egregium fuisse dicit libro primo &

ſecũdo de vulgari eloquẽtia. Mater illi fuit Dominica, noménque eius initium fortunę filio videri poteſt fuiſſe. Dominici enim ordinẽ ingreſſus adoleſcens poſtea apud ſuos philoſophiam, deinde Theologiã docuit: admotúſque ad Inquiſitionis officiũ apud Bergamum oppidanos aliquot Lutheranę opinionis reos detulit. quo audito nũcio Venetæ reipubl. iuſſu capi iubetur: ſed indices decreti quoſdam habuit ſumptóq; Frãciſcani habitu Bergamo ſtatim profugere coactus eſt, Romámq; pedes proficiſci anno Chriſti milleſimo quingenteſimo quinquageſimo primo, vbi à Paulo quarto tunc Cardinali cognitus ob egregiam virtutem & ſanctimoniam Inquiſitioni hæreticorum pręfectus eſt, hæreſes quippe ad langorem & interitum pietatis productas non expaueſcere iam didicerat. Cùm verò poſtea quẽdam Paulo notiſſimum hęreſeos reum detuliſſet, actáque accuſationis ad illum afferret, Carafa cucullam illi manu detraxit: deinde admiratus hominis patientiſſimi modeſtiã, pluris quàm antea illum fecit, donatum Epiſcopatu Nepeſino quamquam tenui, ínque Cardinalium collegium allectus eſt, cùm ille ad ſummũ imperium perueniſſet, tandem poſt Pij mortem in perpetua illa ſua animi æquitate ac moderatione conquieſcens, nihílque tale cogitans, cõſentiente collegio patrum pontifex maximus declaratus eſt, cùm vir ſanctiſſimus Borromeus Mediolanẽſis ſorore Pij quarti genitus ſententiam ac ſtudiũ ſuum ſociorúmque vt viro bono dãdũ cẽſuiſſet. *Non magiſtratus ex hominibus, ſed homines ex magiſtratu probari æquiſſimum eſt.* Itáque nolenti planè atque recuſanti ſacer ille magiſtratus impoſitus eſt, cùm diceret tã corruptis tẽporibus támque peruerſis vix fieri poſſe, vt ſummus põtifex ad æternã cum

Deo trãquillitatẽ & gloriã perueniat, victus tamẽ religiosissimi viri precibus põtificẽ se fieri passus est reipubl. causa, diéque natali, is Antonio anachoretæ sacer est, annum iniens sexagesimum secundum ante Vaticanam Basilicam sacram tiaram sumpsit, cui spectaculo egomet adolescens interfui. Eum verò natum cõstat apud Insubres, Paulóque aratore prognatum, & Antonio ei nomen fuisse, quod in Michaëlẽ postea mutauit ex ordinis sui disciplina. Verùm quis est quẽ Deus cùm vult in summo dignitatis nõ collocet gradu? pulchrum est, vt comicus ait, laudari à laudato viro, nam à plebe minutóque populo cõtemni ea verò est gloria, vt huic Pio accidit, qui cùm primùm pontificem renũtiatum audiuit, fex Romana Carpisculum vocabat, quo verbo Aurelianus Cæsar olim cùm Carpicus à Senatu esset appellatus ab afflictis Carporum copiis, vsus est literis ad Senatũ datis, Superest, P.C. inquit, vt me Carpisculum vocetis: vt in eius vita apud Flauium Vopiscum reperio. Carpisculum igitur plebs vocabat, solentque Itali Dominicanos qui Insubriam incolunt ab altiore genere calcei quo illi vtũtur, sic appellare. Hic itáque Pius ille ipse est, de quo epistola ad Marium scripta Romæ sexto Calẽ. Sextil. 1566. Paulus Manutius, ait, Optimum qualem ætas nostra non vidit pontificem habemus. eodémque anno quinto Cal. Quintil. Orator ducis Ferrariensis hoc de illo verissimè protulit: Nunquam, inquit, tu honores secutus es: sed recto semper itinere gradientem, & de sola virtute sollicitum, de aliis rebus non laborantem, ipsi te vltrò sunt honores consecuti. Nihil te Cardinalatus dignitas immutauit: nisi quòd vt tua virtus à pluribus cognosceretur effecit: eandem quam priuatus comitatem atque affa-

" bilitatem, eundem cultum, eandem vitæ ac disciplinæ
" seueritatem retinuisti. Vna erat omnium vox, neminem
" esse qui maiori libertate sententiam diceret, qui minùs ad
" gratiam loqueretur, qui quæ vera rectáque erant constan-
" tius aut animosius tueretur. Itáque non in sermone tan-
" tum, sed in vultu ipso ac nutu tuo magna inesse putabatur
" auctoritas. Tanto igitur & tam repentino omnium con-
" sensu pontifex renunciatus es, vt si cui fortè adhuc du-
" bium fuerat, hominúne iudicio, an diuino numine sum-
" mi pontifices crearentur, quod tamen nemini vnquam
" bono dubium fuit, ea tota dubitatio proximis comitiis
" sublata esse videatur. Non enim fumosæ maiorum imagi-
" nes, non inuidiosa diuitiarum magnitudo, non eblanditę
" principum commendationes viam tibi ad pontificatum
" munierunt: eadem illa virtus quæ te ab ipsis incunabulis
" susceptum perpetuò comitata erat, seruit omnino, & vo-
" tis nostris, & meritis tuis, sed tamen in isto te tandem cel-
" sissimo dignitatis inter homines Deo proximæ solio suis
" ipsamet manibus collocauit. Suscepto igitur pontificatu ac nomine Pij decessoris precibus Borromei Cardinalis retento, memoria recolens Eliam Iudæum hominem sibi pollicitum se tum demum Christianæ religionis cultorem fore cùm Romanus pontifex Pius renunciatus esset, misit ad eum rogatū vt pacti memor fieret. Ille attonitus rei nouitate Christianus fieri non recusauit, vxorémq; & liberos eâ legē profiteri, triginta Iudæis secū adductis vt aqua christiana tingerentur, ídque à Surio & aliquot aliis scriptoribus in commentarios relatum reperio. Quin iidem scriptores in explicandis eius virtutibus, rebúsque gestis fortassis nimij sunt, etsi nimiū nihil est in vita virorum bonita-


te affluentium. Anno autem primo Pius constitutiones duas salutares edidit, renouata Innocentij pontificis tertij constitutione, vt medici ægrotos nisi qui se Christianos esse meminissent, post diem tertium non inuiserent: altera quibusq; presbyteris tàm Græcis quàm Latinis, ne deinceps Græci quidem Latino more, Latini Græco missas & alia diuina officia celebrent. quæ quidem constitutio decimo tertio Cal. Septemb. illo anno data est: idem seuerissimus legũ custos fuit, ac seueritatem fortè illàm nimiũ amauit, sanxítque ne in aula Romana iuuenes imberbes alerentur, quod à Hieronymo Manfredo Iuriscõsulto Bononiensi proditũ est. Calen. verò Nouembris insequẽtis anni vtilem quoque publicari imperat, spectaculáque vbi tauri & feræ in circo agitantur, vt à pietate christiana longè aliena sub anathematis pœna fieri vetat. illis enim spectaculis mortaliũ fœdæ dilaniationes sæpe fiebãt. Anno autem quarto Cosmum Medicem cum suis successoribus magnum Ducem Hetruriæ sexto Calend. Decembris pronũciauit, concessis tabulis quæ huic rei fidem facerẽt, hísque datis anno 1569. quibus se tulisse auxilium prædicat Carolo christianissimo Francorum Regi aduersus eius rebelles & hæreticos. Christianissimũ vocans illis ipsis tẽporibus, quibus ob religionis causam Gallia bellis ciuilibus conflagrabat. Et verò ei auxiliarem exercitum misit ex Italia, auspiciis Comitis S. Florę: is ex delectu lectissimorum equitum, peditúmque manu constabat, eíque petenti per legatos magnis multísque precibus vt sibi de patrimonio ecclesiæ Gallicæ vendere liceret pluris licitanti, quanto opus esset ad defendendam Christianam pietatem aduersus hæreticos, bellúmque eis inferendũ (quam-

quam mœstus animi dolénsque annuit solemnibus literis datis Romæ apud S. Petrum die vicesima quarta Nouembris anno incarnationis Dominicæ millesimo quingentesimo sexagesimo octauo, quas scripsit Carolo Lotharingo & Carolo Borbonio Cardinalibus, venditionem eam per eos fieri mandans: distractúmque est de prædiis & rebus ad ecclesiam pertinentibus vsque ad summam centum quinquagies mille aureorum annui certíque redditus. quod nullo vmquam tempore in Gallia factum erat: sed tempora adeo turbata tunc erant, vt id velle clerus cogeretur quod regi suo placeret, placeret verò id solùm quòd summa rerum perturbatio imperaret. At anno quinto pontificatus sui vir sanctus & senex, ne in popularibus concionibus de conceptione Mariæ Virginis disputetur, prudentissimè vetuit. Synodus Tridētina Decameronem Bocacij politissimi scriptoris ob lasciuiam damnauerat, ídque Hetrusci molestissimè ferebant, quòd ille auctor eloquentissimis etiam viris dicendi copiam suggerat. itáque à Cosmo principe Hetruriæ rogatus est vt id opus expurgari & corrigi permitteret, ídque ab eo in Hetruscæ iuuentutis gratiā libēter cōcessum est. Quàm verò humanissimè foueret ingenia virtuti & pietati dedita, dici profectò non potest: quo in numero fuit Frācíscus Senēsis Archiepiscopus materno genere Pium secundum & tertium attingēs. Quàm autem grato animo in decessorem Paulum fuerit, argumento est magnificum ei monumentum ad Mineruæ in maiorum sacello Pij studio positum: quàm grato in patriā vbi monasterium Dominicani ordinis sumptu suo eóque ingenti fieri curauit, séque in eo sepeliri mortuum iussit, licet tumulum in minori fortuna ipse sibi in vrbe apud Domini-

minicanos locauerat, quem egomet ad Mineruæ templum sæpe vidi. Qui rogatu ac precibus Dominicanorum qui in Italia resident impulsus, ipsa acta relationis inter Diuos Ioannis Cadurci Romani pontificis temporibus facta, & quæ Auenione custodiebantur, ad se Romam deportari iussit, vt Thomæ Aquinatis memoriam, quem Ioãnes diuum pronunciasset, Italia omnis & Aquinum patria eius in tutiori quàm essent loco collocata scirent. Quàm grato in propinquos! Gardinæ enim sororis suæ filium Dominicani ordinis, Michaëlem Cardinalẽ instituit, misit in Hispaniam mox in Galliam Legatum gemmámque Regię fidei erga põtificem pignus à Carolo accepit! tantum à Deo beneficium se accepturum non putans, cùm Romæ pridem ab auunculo in famulatu & officina sartoris positus mechanico operi vacabat. Fratris verò filium à piratis captum atque in Africam abductum pecunia redemit, donauítque honestis opibus, admonitum ne iis abuteretur. & cùm ille sępe verbis castigatus satis obsequens nõ esset, Pius cereũ accẽdi, vocatúmq; ad se quã primùm abire iussit extra apostolicæ ditionis fines, antequã ignis extingueretur. Illud verò factum eius imprimis memoria dignum est. Cùm quidam, cuius nomini parcere ob familiæ decus nõ iniquum putaui, vitæ eius insidiatus esset, deprehensæque essẽt literæ eius rei indices, vocatis duobus præstãtissimis Cardinalibus, eas exhibuit, quas cùm reus à se scriptas obsignatásque fateretur, suppléxque procumberet ad pedes sanctissimi senis, optare tuum sit, vis iure vtar, an misericordia? cúmque ille lachrymans demisissimè veniam peteret, ei vltrò benedixit, imposita reo, sibíque & testibus qui aderant perpetui silentij pœna, sed tantam eius beni-

gnitatem & clementiam quis vmquam tacuisset? Profanas quidem statuas & antiqui operis imagines si quas in Vaticano reperit prędecessorũ studio positas, ciuibus Romanis eas restituit, curiosos earum negans pontifices esse debere, atque hoc pietatis eius iudicium explicatu dignũ & mihi visum est, & aliis fortasse videbitur. Sanè erga eruditos piósque homines quo animo fuerit, cæteri amplius docebunt. Ego exemplum literarum eius ex Italico sermone cõuersarum ad Vrbinatem quendam hic subiiciam, vt quàm beneuolus in illum fuerit, perspicuè tradã, vtque
„ ex minimis lectores maiora coniiciant. Valde mihi placuit
„ munusculum mihi oblatũ nomine tuo, & abs te factum:
„ scilicet vita Christi auctore Landulfo in Italicũ sermonem
„ conuersa, dignum opus homine Christiano, & idcirco di-
„ gnum laude, quia liber tuus erit vtilissimus alendæ pietati
„ Christianę, itáque tamquam pignus amoris erga te mei, &
„ meliore vt deinceps sis animo mitto per Troilũ Legatum
„ Ducis Vrbini aureos nummos ducentos, mandauíque
„ Datario vt cùm beneficiũ aliquod ecclesiasticũ vacauerit,
„ id filio tuo cõferat, si modò idoneus est, optóque vt is tem-
„ pore & loco fructus proferat paternis similes. Quo autem animo erga literas fuerit Pius, posteris testabitur collegium Ticini institutum impensis sumptibúsque suis, cui Ghisileriorum gentile nomen attribuit, vt in eo tenera iuuentus imposterum ad bene beatéque viuendum informaretur. Quantam autem animo lætitiam concepit audita Christianorum ad Naupactum nauali, eáque ingenti de Turcis victoria? in quo prælio Marcus Antonius Columna multis ciuibus Romanis stipatus classi pontificiæ prę-erat, ea vndecim triremium instructissimarum fuit: nec

erit inutile, quibus ominibus nauale exercitum in hostes abeuntem sit prosequutus, mari solemni ceremonia apud ciuitatem Veterem benedicto, largitúsque militibus singulis sacram ad id bellum pecuniam: Ite, inquit, victoriam relaturi, si in Christo spem habueritis. Melitensis insulæ Pij decessoris temporibus ab immanibus Turcis obsessæ ac penè captæ singularem curam habuit, ad eámque muniendam ex Apostolico ærario pecuniam misit, ingenti liberalitate in eos vsus. At nihil est quod in eo viro Caluiniani soleant arguere, nisi quas non probant nuptias inter Philippum Hispaniæ Regem & sororis eius filiam, eandémque Maximiliani agnati omni iure ciuili improbatas, quæ auctoritate illius factæ sunt. Qui tamen nuptias Margaretæ Valesiæ & Henrici Regis Nauarræ, quòd religione dissidentes essent, nec plenus vita, nec moribundus vt fierent persuaderi potuit; Bartholomæi festum diem hæreticæ genti in Gallia funestum fore non præsentiens, *homines enim sumus, non dij*. Obiit autem Romæ ex acerbissimo grauissimóque calculi dolore, Calend. Maij, M. D. LXXII. optimus ac sanctissimus pontifex, omnísque virtutis præstãtissimum exemplar, cùm sæpe diceret: *Domine adde ad dolorem, dummodo addas ad patientiam*. Atque in eius funere Marcus Antonius Muretus Lemouix præclaram de virtutibus eius, factis, supremóque morbo orationem habuit.



GREGORIVS XIII.



SEPTIMO Idus Iannuarias anno millesimo quingentesimo secundo Bononiæ in Colonia Romana, vt Tacito videtur, natus est Hugo Boncompagnus, & patria & genere nobilis. Pater enim Christiphorus mercaturæ quidē studio primùm addictus, ea dimissa filios plures habuit, Hieronymum, Hugonem, & Bōcompagnum; inter quos paterna hęreditas ita diuisa est, vt perampla magnificáque domus à Christophoro exædificata Bononiæ iuxta templum D. Petri ad Hugonem peruenerit. Interrogatus pater eccui tam splendidā domum cōderet! Cardinali, inquit, futuro, mathematici enim inspecta filiorum genitura vnum ex iis ad amplissimum illum honorem peruenturum notato astrorum cursu spondere audent. Sacellum quoque magnificum in æde Martini sibi & suis idem Christophorus fieri curauit. Autor quidem originis Bōcōpagnæ gentis apud Bononiēses, fuit Petrus publicus in ea vrbe notarius, qui ante ducentos quinquaginta annos vixit. Frater verò Hugonis nomine Boncōpagnus ex quadraginta virorum numero est, qui apud Bononienses clari nobilésque habentur: & Bononiam quidē quę olim in clientela Antoniorum fuit, natale solum esse oportebat Romani à quo regitur Episcopi. nam à Lucio secundo nullum ex ciuibus pontificem Romanum viderat. Alumnum igitur suum liberalibus disciplinis primùm

imbui curauit. Postea iuris vtriusque peritia excultum vidit, & summa cum laude ac iuuẽtutis concursu ius ipsum diu profitẽrẽ. Erat excelsa & eminẽti statura, teretibus mẽbris, naso veluti aquilino, facie pulchra, corpore toto decẽtissimè composito, barbam summissam nutriens. quarum rerum signa etiam exacta ætate habuit. Cúmque ob sapiẽtiam, mores ac vitæ integritatem Pæstanę ecclesię antistes factus, & iam Pio quarto admodum charus esset (qui eum sciebat & Senatoris munere in vrbe functum, & apud Picentes Legatum pontificium diu fuisse) relatus ab eo est in ordinem Cardinalium, qui honos magnus Romæ & in Europa fermè habetur. In eo munere ita se gessit, vt collegarum animos facilè sibi cõciliaret. etenim mortuis duobus Piis cùm eligendi successoris causa conuenissent, omnibus suffragiis sine mora & statim summus sanctæ sedis præses renuntiatus est. quod maximum excellentissimæ virtutis eius indicium fuit, ídque Paulus Sacratus vir eruditissimus libro sexto epistolarum tradit. Gregorium decimum tertium se appellari dicíque in posterum voluit, nec immeritò. pastor enim gregi incumbens idémque vigilantissimus profectò fuit, ac tanta pietate, mansuetudine, & liberalitate in vita priuata, tum magnificentia publica est vsus in pontificatu, vt natus pontifex Romanus, non factus, renũtiatúsque videretur, atque hoc illi studio fuit vt à nullo Christianorum metueretur. nec immerito, etenim. *Amari parens & Episcopus debet non timeri*, antiqua sentẽtia est, eámque à Hieronymo scriptã in Apologia meminerat. Quod si qui eum in tam exacta ætate nimis facilem accessu atque humanum putãt fuisse,

ij nesciunt quid sit esse Romanum pontificem, hæc enim vna virtus est, qua proximè ad Deum accedimus. Ac Synodum Tridentinam temporibus Pij quarti absolutam obseruari ab omnibus voluit veluti necessariã orbi terræ, seminariáque variis locis plurima instituit, renouãdæ ecclesiasticæ disciplinæ gratia, quæ vbique collapsa videbatur, nullo vtiliori quàm seminariorũ remedio. Seminaria verò sunt scholæ electorum iuuenum ad virtutes & scientias contendentium. Itáque Græcorum collegium instituit, & paulo antè Germanicum. Neophytos verò qui suæ gentis secta deserta, sub Christi vexillo militare vellẽt, sapientissimè vel auxit, vel condidit, quarum rerum testem habeo Fabium Bentiuolium Senensem præfatione ad libros Gennadij Græci, quos fidus interpres in Latinum sermonẽ vertit, dicauítque Gregorio: Quin extra Italiam seminaria fieri iussit, vt Viennæ ad Danubium, in Lituania Vilnæ, in Trãsiluania apud Claudiopolim, apud Indos Iapones tria quoque collegia condi mandauit. grauissimas enim scientias vir prudentissimus amabat, ex cuius ore nõ. semel fluxit sentẽtia illa penè diuina, nullum magis decere vel meliora scire vel plura, quàm pontificem Romanũ, cuius doctrina Christianis omnibus populis debet prodesse: Itáque cùm vix amplius per ætatem libros legere posset, vir doctissimus iubebat in gratiam studiosorũ optimos excudi, & variarum linguarum vt Arabicæ, Syriacæ, Turcicæ, vt homines in disiunctissimis regionibus positi lectione illorum ad Christianã pietatem religionémque allicerentur, libros enim illos ad remotissimas gentes deportari curabat. Exulantes propter religionem & patria

pulsos studiosè fouebat (vbicumque eos esse audierat, sumptu alimentísque inopiam recreans, & bono animo esse afflictos iubens. Eleemosynas pauperibus quoque largiri mandabat, quæ miseris solatio essent & clàm inopibus viduis virginibúsque dotem mittebat è suo. Nec erat profectò aut in augenda pecunia occupatus, aut habendi cupiditate detinebatur, vt qui summas opes summā virtutem nō putaret: & sibi fœlicissimus videbatur, quo die quamplurimis benefecisset. Hoc pontifice mortui sunt duo præstantissimi Cardinales, ínque regum Caroli noni Francorū & Sigismundi Poloniæ pectoribus validi, qui ambo in cōcilio Tridentino excelluere, alter etiā Synodo ipsi præsedit. Carolus Lothariēsium principū heroico sanguine genitus, cui elogiū iam à me scriptū est recēs mortuo: & Stanislaus Hosius Varmiēsis Episcopus, quorū immortalis sit gloria necesse est propter Catholicā egregiè defensā. Hūc etiā magnopere posteris commendabunt Christianæ eloquētiæ dignitas quæ in eo eluxit, & opera quæ scripsit; ex eóque numero in primis præclarū volumen de hæresibus sui temporis, in quo Lutheri Caluiníque, & aliorum quorūdam impios conatus impiósque mores modestissimè expressit, & quæcumque erant digna explicatu, diligēter exposuit. E viuis quoque excessit Cornelius Mussus eloquentissimus mortalium, si eloqui est Italicè dicere, tam disertè enim appositéque vir ille concionabatur, vt rapere hominum mentes atque à se ipsis abalienare videretur, sacrarum eius concionum aliquot volumina supersunt, quæ testabuntur posteris mirabilem illius viri facundiam. Placentinus patria fuit, natúsque vt placeret eruditis, doctis-

queque hominibus, & admodum adolescens Franciscanis se deuouerat, postea Episcopatu Bituntino ob facūdiam donatus est à Paulo tertio amantissimo excellentium ingeniorum. Cúmque pōtificatum iniens Gregorius illum adesse sibi iussisset, vellétque tot labores homuncionis eius (statura quippe pusilla fuit) honesto aliquo munere honorare sexagesimo tertio ætatis, quinto id. Ian. decessit anno millesimo quingentesimo septuagesimo sexto. Atque eo me beatiorem puto, quòd Cornelium publicè dicentem Neapoli semel audire contigit. Eodem anno Gregorius decimo quinto Cal. Augusti, qui opportunū videbat, vt ipse ait, aliquod ex redditibus bonísque ecclesiasticis huius regni subsidium conferre maiestati tuæ Henrice Francorum Rex Christianissime, nihil maiori curæ habuit quàm vt mandaret Carolo Borbonio, Ludouico Guysiæ, Ludouico Estensi Cardinalibus, vt inuitis & contradicentibus possessoribus, qua clausula Pius decessor iam erat vsus, iusto pretio legitimóque venderetur ex bonis ecclesię Gallicæ ad summam annui redditus quinquagies mille aureorum, eæque solemnes pontificiæ literæ sunt executioni mandatæ, Senatu Parisiensi clausulam tantùm illam non probante, quam à Pio vsurpatam quoque diximus. Fortè in pontificatū Gregorij incidit annus Iubileus, innumeríq; mortales pietatis gratia ad limina apostolorū ex omni Europa Romam confluxere, quos ille humaniter à ciuibus excipi imperauit, annonæque consuluit, sic vt ille annus nihil incommodi atque molestiæ peregrinantibus attulerit. Quarum rerum fama permoti Franciscus Bungi Rex, Protasius Arimanorum, & Bartholomæus Omuranorum

rum princeps legatos suos misere ex Indiis vt eum venerarentur, primíque hi Iapponij reges summum pontificem Gregorium salutarunt Non. Cal. Apriles anno millesimo quingentesimo octuagesimo quinto, nec exprimi potest quantum ex ea legatione gaudij quantúmque lætitiæ acceperit,& suum pōtificatum eo beatiorem existimauerit, quòd Indos reges Christum colere & obsequentes Romanæ sedi esse perspexerit. At illo anno fortunatus senex & bonitate affluēs, nec alio quàm senectutis morbo, nam eo die multum deambularat more solito, nec vllum signū imminentis fati habebat, secundo Idus Aprilis hora diei circiter vigesima prima, id est, paulo ante noctem rebus humanis eximitur, tranquilla Italia & pace altissima affluenti, cùm in pace veluti sapiens arbiter principes Catholicæ studiosos viuere procurasset, non in Italia modò, sed in Europa vbicumque potuit. nec immeritò, id enim à pontificibus fieri debet. nam quemadmodum refluente Oceano repentè omnem aquam recedere videmus ac alueum littúsque suum nudum ac ferè cinericium relinquere, ita à pontifice si Reges ac Cæsares aliquo impetu se aut sua retrahant, necesse sit ipsos nudos atque desertos in littore contemni. Pacem igitur & amicitiam colere atque amplecti illos debent vt filios Gregorij exemplo, per quem effectum est vt post magnum grauissimúmque bellum inter Stephanum Batorium magnanimum Sarmatiæ regem, & Moscouitarum principem pacis fœdera vt inter Christianos principes decebat procurarentur, illiúsque beneficij gratia legati Moscouitarum ad Gregorium sunt missi, qui cùm moderationem & clemētiā in administratione admirabilem exhibuisset, anno pō-

LIII

tificatus sui decimo tertio obiit, eodémque mense sepultus est in Sacello Gregoriano apud D. Petrum, quod ipse sumptu impensisque suis magnificè constructum dicarat Virgini & Gregorio Nazanzeno, sacerdotibus ad sacra facienda designatis censum attribuens. Porrò sancti illius viri ossa è templo virginum ex Campo Martio in Vaticanum, ínque id sacellum deportari religiosissimè curauit. Porticum quoque in Palatio fieri iussit longam mille passus, & mirabili artificio fornicatam, in qua depingi veteris nouíque testamenti sacras historias, quatuor ecclesiæ doctores & descriptionem orbis scientissimè exhiberi. Cæterùm vt Augustinus Adeodatum sic Gregorius in minori fortuna filium naturalem Iacobum habuit, Vineolæ non procul à Ferraria Marchionem: hic verò vxorem duxit è generosa familia Comitum S. Floræ, ipséque illum nobilem virum sanctæ Romanæ militiæ tam equestris quàm pedestris præfectum in literis ad eum datis appellabat. Extra literas autē quoties de illo loquebatur, filium secundum carnem appellabat, & rex Hispaniæ apud quem olim Gregorius fuerat, in gratiam optimi senis ducem Soræ Italici oppidi vocari facilè patiebatur, quia id emerat ab hæredibus Cardinalis Vrbinatis, & honestas opes ei à patre relictas constans fama est. nam præter illa quæ attigimus, Arpinum quoque, id est Marci Tullij Ciceronis patriam ei reliquit. Habebat & fratrē nomine proprio, vt antè dixi, cognominéque Boncompagnum. Hunc vetuit initio pontificatus Romam ire, ne id faceret ei significauit, interesse enim monuit ne principis sui fratrem in priuata adhuc fortuna positum Roma

videret, in paterna domo habitabat, ad quam diripiendam cùm audito electionis nuncio plebs Bononiensis accurrisset, à quibusdam ciuibus ne id faceret, persuasa est, qui spoliationem huiusmodi contra bonos mores magnopere damnabant: prohibitam tamen cùm Gregorius resciisset, ęgrè tulit. Ergo, inquit, aulæa tapetésque & domesticum aurum tanti erat, vt iacturam illam resarcire pontifex non possem? Fratris verò filium Cardinalem S. Sixti instituit, itémque Philippum sororis suæ & Angeli Michaëlis Gastauillani nobilis viri filium pari honore affici voluit, ac deinceps amplissimis sacerdotiis augeri. quod eius studium equidem non reprehendo, iustum enim est si pontifices propinquos habeant, imbecilliores fortuna, vt eorum augeant opes, honorísque & dignitati consulant. Subditos suos esse volebat fœlicissimos omnium, qui non imperant sibi: sic enim eos amabat vt parens filios. Hi autem erant ciues Romani, Bononienses, Perusini, Viterbiẽses, Veliterni, Tiburtini, Anconitani, Anagnini, Eugubini, Amerini, Maceratenses, Rauennates, Ariminenses, Ceruiani, Ostienses, Spoletini. Hi parebant Gregorio, præter oppida vicinósque vicos penè innumeros, & cis Alpes Comitatum Venuxinum possidebar, id est, Auenionem, Carpentoractem, Vasionem, Cabellionem, oppida, vicósque eis vicinos. Clientes verò beati Petri tres amplectebatur, Duces Ferrariæ, Vrbini, Parmæ & Placentiæ, qui claues Petri gentilitiis insignibus permiscere solent. Memoria autem dignum est, quòd tantus vir opiniones Lutheranorum à Ieremia Archiepiscopo Constantinopolitano egregiè refutatas damnatásque vidit, etsi is Oecumenicum se dicit more maiorum,

licet vir pius carere libertate atque impiis seruire cogitur. Nam quòd ius pontificium à peritissimis iurisconsultis corrigi emendaríque iussit, id ne præterire quidem debeo. neque hoc profectò Nicolaum Pontem prudentissimum Venetorum Ducem sibi olim cognitum nouerat. Is enim nonagesimum sextum ætatis annum ingressus erat, ipse octuagesimum quartum. itáque quoties legatum illius Reipubl. videbat, statim percuntabatur ab eo qua valetudine Nicolaus esset? cuius enim vita delectabatur, eius annos assequi optabat. senior tamen vicit tertio mense post obitum Gregorij defunctus magno vterque Italiæ & aliarum gentium luctu, non quòd æquè senes non habeant, sed quòd concursum tot heroicarum virtutum in eodem subiecto reperire difficile sit atque arduum. Memorabilis etiam est Calendarij Romani correctio, tentata quidem à plurimis antecessoribus eius, sed frustra propter difficultates quæ inesse rei videbâtur. Cæterùm recuperato qui latebat Ludouici Lilij astrologi libello, qui demonstrabat certis rationibus id fieri posse, quod optabatur effecit, adhibitis ad eam rem insignibus Mathematicis. Itáque Calendarium Romanum nulli amplius vt olim fuit mutationi obnoxium erit, hæc autem emendatio facta est sexto Cal. Martias millesimo quingētesimo octuagesimo primo: vnde plurimum ad posteros commodi atque vtilitatis manabit: sed de ea pluribus dicere nihil necesse est, extat enim sacrum edictum Gregorij Tusculi datum, quo huiusmodi correctio explicatur, & multi astrologorum libri de ea re compositi, ad quos sicut ad fontes, recurrere curiosos oportet, vt-

que eam laudem quam anni emendatio Gregorio peperit, Paulus tertius obtineret, Hieronymus Fracastorius, cuius in Iulio secundo mentionem feci, persuadere conatus est eo libello quem Homocentricorum siue de stellis ad eum scripsit, vtitur enim his verbis. Quòd si ea quoque te tenebit tum digna tum necessaria cura, quæ Iulium Cæsarem pontif. Max. habuit, reformandi anni & solaris cursus ad vera æquinoxia reducēdi, succurrendíque lapsis ciclis, hinc te nō inuitabunt modò sed apertissimam viam ostendent sidera, quibus cum magna quædam esse tibi cognitio videtur, illa nascenti salutaria fœliciáque adfuere: Romanum, Farnesiúmque familia esse voluere crescentem fortunæ bonis, virtutibus, disciplinísque omnibus ornauere: ac postremò in terris pontificem summum ac Dei vicarium effecere. Denique Gregorius antecessorem Pium, successorem Sixtum habuit, cui viuenti elogium scribere indecorum putamus: sequimur enim Ambrosij Mediolanensis Episcopi sententiam illam: *Nemo penetralia domus de ingressu æstimet*. Cæterùm ô Sixte cui inter sacerdotij maximas curas catholicæ religionis obseruatio aut prima semper, aut sola est hanc historiam pedibus tuis subiicimus, eámque emendari cupimus ab te qui Petri & fidem & sedem tenes, nec verò vllius imperio, nec precibus, nec in alicuius gratiam, nec spe magni alicuius præmij à me scripta est, sed si quod munus aut à sanctitate tua, aut à Christianissimo Rege Francorum accepero, agam vtrisque vestrū gratias quātas potero: sin minus, nō desinā solē aspicere, & quātum in me erit prodesse Reipubl. & pietati Christianæ

pietati. Hactenus quinque libris complexi sumus pontifices ducentos, nam hic sextus vitam triginta trium Episcoporum vrbis tantúmodo continet vsque ad tempora tua Sixte quinte, qui vtiná iucundá diuturnámque memoriam pontificatus nominísque tui posteris relinquas, inuictóque animo, vt facere cœpisti, retusis omnium hęreticorum iaculis causam Dei immortalis defendere ac tueri pergas: nam sic est apostolica sedes quasi proposita atque ædita in altum, vt ab omnibus ventis nequitiæ circumflari, à nullo tamen aut opprimi aut euerti possit, erítque pontificatus veluti aqua perennis quæ perpetuò fluit.



NOMINA SVMMORVM PONTIFICVM, NVMERVS ET ORDO

117	*Ioannes*	IX. *vulgò* x.	*fol.* 152.
118	Benedictus	IIII.	*ibidem*
119	*Leo*	V.	*fol.* 153.
120	*Christophorus.*		*ibidem*
121	*Sergius*	III.	*fol.* 154. *vers.*
122	*Anastasius*	III.	*fol.* 157.
123	*Lando.*		*fol.* 157. *vers.*
124	Ioannes	x. *vulgò* XI.	*ibidem*
125	*Leo*	VI.	*fol.* 159.
126	*Stephanus*	VII.	*ibidem*
127	*Ioannes*	XI. *vulgò* XII.	*fol.* 159. *vers.*
128	*Leo*	VII.	*fol.* 160.
129	*Stephanus*	VIII.	*ibidem*
130	*Marinus*	II.	*fol.* 161.
131	Agapetus	II.	*ibidem*
132	*Ioannes*	VII. *vulgo* XIII.	*fol.* 161. *vers.*
133	*Benedictus*	V.	*fol.* 163.
134	*Leo*	VIII.	*ibidem*
135	*Ioannes*	XIII. *vulgò* XIIII.	*fol.* 164.
136	Benedictus	VI.	*fol.* 164. *vers.*
137	*Donnus*	II.	*fol.* 165.
138	Bonifacius	VII.	*ibidem*
139	Benedictus	VII.	*ibidem*
140	*Ioannes*	XIIII. *vulgò* XV.	*fol.* 166.
141	Ioannes	XV. *vulgò* XVI.	*ibidem*
142	*Ioannes*	XVI. *vulgò* XVII.	*ibidem*
143	*Gregorius*	V.	*fol.* 166. *vers.*
144	*Ioannes*	XVII. *vulgò* XVIII.	*ibidem*
145	*Siluester*	II.	*fol.* 168. *vers.*
146	Ioannes	XXIII. *vulgò* XIX.	*fol.* 171. *vers.*



INDEX RERVM OBSERVATIONE DIGNIORVM, QVÆ IN HIS SEX LIBRIS CONTINENTVR, CVIVS NVmerus folium, litera paginam demonstrat.

A

B

D

G

Heliogabali

I

L

M

R

FINIS.



ERRATA.

Folio 4. Galla pro Galba.
68. angustum pro augustum.
76. fecissent pro affecissent.
103. vers. constaret pro constat.
105. vers. Gordianus pater eius vir clarissimus dicitur fuisse, proaui mentio nulla.
111. Marcus Aurelius pro Magnus Aurelius.
117. fueritque pro feceritque.
153. hic interesse pro hoc interesse.
156. desertissimi Augusti pro disertissimi.
164. Cæsari pro Cæsaris.
166. historici pro historia.
ibid. crudelissimum pro eruditissimum.
174. locum non esse deest præpositio ex Iurisconsultorum. Peganiensis pro Pegauiensis.
176. Dauidis sententiam, omissa sunt hæc verba, misericordia domini plena est terra.
179. auferre pro offerre.
184. ab eo appellatum pro ab eis.
185. in Tuscia Sauonæ lege Saonæ.
210. vers. constitutionem pro constitutiones.
212 sibi pro soli.
222. vers. sua pro suo.
248. Comitem Absurgensem pro Aspurgensem.
276. Oniæ fratrem pro frater.
312. quod genus, pro verò.
374. enim, detrahendum est.
386. Traiecti, pro Hayæ iuxta Traiectum vrbem.
386. Erasmus ipse pro Erasmus & ipse.
ibidem Florentio eum pro enim.
387. stipendiarios pro stapedarios.
388 qui cum, pro cui cum.
416. religionis dissidentes pro religione.
418. loquentissimus pro eloquentissimus.
Erratum etiam est in numeris, vt folio.251. Ioannes 20. vulgò 21. pro Ioannes 21. vulgò 22.
278. Ioannes 21. vulgò 22. pro Ioannes 22. vulgò 23.
338. vers. Ioannes 22. vulgò 23. pro Ioannes 23. vulgò 24.

